IHS

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 D
26

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-32.6-11

Digitized by Google

IMPERATORVM, REGVM, ET PRINCIPVM, CLARISSIMORVMQVE VIRORVM QVAESTIONES THEOLOGICAE, IVRIDICæ, & Politicæ, cum pulcherrimis reſponſionibus: ſelectæ, & ex manu ſcriptis Codicibus emendatæ, atque commentarijs ſic illuſtratæ, vt non modò ad benè, iucundè, prudenter, beateque viuendum: ſed ad capeſſendam, & fœliciter adminiſtrandam Remp. omnibus haud mediocriter ſint profuturæ.

AVCTORE IACOBO MIDdendorpio, Academiæ Colonienſis Procancellario, atque Rectore.

CATALOGVS POST PRAEFATIOnem indicatur, adiecto Indice locupletiſſimo.

Tobiæ 4.
Conſilium ſemper à ſapiente require.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus CONRADI BVDGENII,
Anno Domini 1603.

Cum gratia & priuilegio ad decennium.

Coll. Rom. Cat.
Soc. Jesu Inscript.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, D. IVlio, Herbipolenſi Epiſcopo, & Franciæ Orientalis Duci, & Principi ſuo clementiſſimo, Iacobus Middendorpius,

S. E. O.

REVErendißime & Illuſtrißime Prin- Prouerb.1.
ceps, Religioſißimi Propheta, & glorio 12. & 13.
ſißimi Regis Dauidis, ſapientißimus fi-
lius Salomon ait: Audiens ſapiẽtes ſa-
pientior erit: & intelligens guberna-
ula poßidebit. Lingua ſapientum ſanitas eſt: & qui Tob.4.
um ſapientibus graditur, ſapiens eſt. Et prudentißi-
nus ille Tobias ſenior filium ſuum, & omnem poſteri-
atem admonuit: Conſilium ſemper à ſapiente requi-
e. Et Eccleſiaſticus: Cum ſapientibus & prudentibus Eccl.8. & 9.
racta, nec deſpicias narrationem presbyterorum ſa-
ientum, ſed in prouerbijs eorum conuerſare: ab ipſis
nim diſces ſapientiam & doctrinam intellectus. I-
leoq; ſapientißimi viri, cum difficilimum, & omnium
naximum munus eſſe intelligerent, rectè imperare,
oniq; principis officio perfungi, triplici præſidio ſta-
um illius fulciri, affirmârunt. Nimirum religionis,
ietatis, & virtutis ſtudio: deinde maximarum arti-

rum cognitione, & diſciplina & bonorum doctorumq́ hominum coniunctione, familiaritate, & conſuetudine: quorum aſsiduis colloquijs & reſponſis ſapientiores prudentioreſq; euaderent. Plurimum referre putantes, vt Regia indoles, & principum ingenia ſalutaribus huiuſmodi adminiculis in difficillima functione ſua confirmentur. Nullum quippe munus eſt, in quo cum maiore periculo, & rerum omnium confuſione atq; interitu faciliùs peccatur: & vix poſsibile, vt in tantis opibus, & potentia, adulatorumq́; & irritamẽtorum multitudine, nuſquã labantur, niſi pietatis, & ſapientiæ, ac virtutum præſidio, doctorumq́; hominum ſalutaribus conſilijs ſtabiliantur.

Exodi 24. Sic Reipublicæ adminiſtrandæ peritiſsimus Moyſes tantiſper cum Deo in monte collocuturus, ad Maiores aiebat: Si quid ortum fuerit quæſtionis, referte ad Hur & Aaron.

Geneſ. 41. Daniel. 1. Sic Pharao Aegyptiorum, & Nabuchodonoſor Babyloniorum Reges, de ſuis ſomnijs & grauioribus quæſtionibus Ariolos, Magos, & Sapiẽtes interrogauerũt. Qui cum ipſis reſpondere nequirent: ille à Ioſepho patriarcha, hic à Daniele Propheta veram reſponſionẽ accepit.

Heſter 1. Ahaſuerus Rex Perſarum, natam grauiſsimã quæſtionem de repudio Reginæ Vaſthi, ad principes & Sapientes Regni retulit. Alexander Magnus, Monarcha Græcorum, Ptolomæus Philodelphus Aegyptius, Auguſtus Cæſar, Alexander Seuerus, cæteriq; glorioſiſsimi Imperatores libenter quæſtiones ſuas doctis viris propoſuerunt.

Ipſeq;

Ipſeq; crudeliſſimus Herodes à Magis interrogatus Matth.2.
de ortu Meſsiæ, & Regis Iudæorum, conuocauit Principes ſacerdotum & ſcribas, & eorum reſponſiones exquiſiuit. Idem alij cordati Reges & principes, haud ſine maximo fructu, & incredibili gloria feciſſe leguntur, vt difficiliores quæſtiones ad peritos in illa arte referrent. Quorum reſponſiones, & memorabiles ſententiæ abditam doctrinam, & ſecretorum myſteriorum enucleationem poſteris ſuis patefecerunt. Vnde natum eſt prouerbium: Sapientes Tyranni, ſapientum congreſſu: vel, vt Zenodotus ex Aiace Locrenſi, & Aulus Gellius ex Platone citant: commercio ſapientium, Princeps ſapit.

Nec retulerunt ſolùm quæſtiones ſuas ad peritos in arte: ſed magnam quoq; inter hos differentiam conſtituerunt. Pulchrè enim conſulit Salomon: Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles, ne fortè inſultet tibi, & cum audierit, exprobrare non ceſſet. Non omni homini cor tuum Prouerb.25.
manifeſtes, ne fortè inferat tibi gratiam falſam, & Eccl.8.
conuitietur tibi. Ex quo deſumptum videtur Euripedis adagium: Sapientis ſapiens eſt oratio: ſtultus ſtulta loquitur. Quod Seneca ad Lucilium ita refert: Apud Græcos in prouerbium ceſsit: Talis hominibus eſt oratio, qualis vita.

Interrogati verò illi ſapientes à docilibus, plerunq; candidè & apertè: aliquando etiam nihil, aliquando dubiè & obſcurius reſponderunt. Sicut Alexandro Magno aliquid obſcurius interroganti, Indorum gymnoſo-

noſophiſta reſpondit: Dubiarum quæſtionum dubias eſſe reſponſiones.

Equidem ſuperioribus annis, cum de bonarum artium, & literarum, atq; academiarum origine, progreſſionibus, & incrementis commentabar, pleraq; in antiquitatum arcanis deprehendi, quæ illius commẽtationis metas excederent, ideóq; ea primò in locos communes congeſta, paulatim verò, quantum ingenij vires, & publica negotia patiebantur, de vera & falſa religionis, & ſapientiæ, iuſtitiæq;, & ſolitariæ, religioſæ, & monaſticæ vitæ prima origine, ab exordio mundi, ante & poſt diluuium, incrementis, & natura, cauſis, atq; effectis certa methodo redigere cæpi. Occurrenteſq; pulcherrimas Imperatorum, Regum, & Principum, clariſsimorumq; virorum quæſtiones & reſponſiones, quæ ſalutarem & vtilem doctrinam cõtinere videbantur, & partim aſsidua lectione plurimorum Authorum, partim in diuerſorum Principum aulis & conſilijs, obſeruaui, ac lõgo vſu expertus ſum, in hanc formam, grauium virorum authoritate impulſus, adduxi. Ex qua candidos lectores haud mediocrem fructum conſecuturos ſpero. Nec enim vtilis modò, verùm etiam iucunda eorum lectio erit his, qui ſalutis & honeſtatis ſuæ, publicíq; boni amore delectantur, vel rempublicam aliquandò gubernare, aut gubernantibus conſulere debent. Hic enim ex ſapientum virorum reſponſis, & memorabilibus exemplis, velut breui compendio artificiosè demonſtratur:

Ad quid potiſsimum homo natus, atq; in hanc lucem editus ſit: quid illum maximè deceat, quid turpe,

quid

uid ſit honeſtum: in quo ſummum bonum, extrema, elicitas, & vita beata conſiſtat: quidúe in omni vita ptimum, maximeq́ neceſſarium ſit: de vera religio-nis, & ſapientia, iuſtitiaq́ cultura: de Imperiorum, Regnorum, & principatuum, atq́ rerumpublicarum origine, conſeruatione, & ruina: quod illa omnia Dei conſilio & voluntate naſcantur, amplificentur & retineantur, eius deniq́ offenſione labantur, & concidant: quis ſit optimus regnandi modus: quid principē maximè deceat: quid pacis & bellorum tempore principes glorioſos, inuictos, & longæuos, quid contrà ingloriosos, & odibiles reddat: qua ratione omnia rectè peragant, quales ſe domi & foris, publicè & priuatim, erga Deum, erga parentes, & præceptores, erga cognatos & amicos, erga vicinos & ſubditos gerere conueniat, vitamq́ & mores ſuos inſtituere poſſint, vt Deo chari, omnibus grati exiſtere queant, ne veneficia, inſidias, hoſtes vnquam reformidare cogantur: quibus artibus imbuendi, quibus rebus oblectari & inſiſtere, quas cauere debeant: de exercitatione mentis & corporis, qua valetudo conſeruatur: De veri principis officio & munere: Quid ſit tyrannis: de tyrannorum crudelitate & natura: expediatne natum an electum principem habere: & quales potiſſimum eligendi ſint.

Quando & qualiter neceſſaria bella ſuſcipienda, gerendaq́ ſint, de præfectorum & militum delectu, atq́ officijs, & diſciplina militari: quibus conſiliarijs, & Magiſtratibus, & legatis, quali familia & miniſtris vtendum ſit: de iure dicundo, & dirimendis cō-

trouerſijs ferendiſq; ſententijs: de honorandis bonis, et puniēdis improbis, de virtutibus ipſis, officijsq; à quibus honeſtè viuendi præcepta ducuntur: de acquirenda prudentia: de exercenda vera liberalitate: de vectigalibus, tributis, et exactionibus, de cauenda ſuperbia, de ira cohibenda, et comprimendis prauis cupiditatibus, de conuiuiorum modo: de verorum amicorum et adulatorum diſcrimine: de vtraq; fortuna moderatè & fortiter ferenda: gloria quomodo acquiratur & conſeruetur, amiſſaq; inſtauretur: rectaq; ſemper conſilia capere, & diuturna opera peragere, munere ſuo rectè perfungi, commiſſamq; ſibi Eccleſiam & rempublicam aptè moderari, & immortali gloria circumfluere, & coronam ſempiternam adipiſci poſſit, vt pater patriæ dicatur, & ſit.

Deniq; hic diuinarum humanarumq; rerum abdita myſteria, naturæ arcana, bonorum & malorum fontes, humanaq; vitæ ſpeculum, & philoſophiæ totius medulla continetur.

De Iuſtini philoſophi & martyris, Clemētis Alexandrini, Athanaſij, Baſilij Magni, Hieronymi, Auguſtini, aliorumq; Orthodoxorum patrum quæſtionibus & reſponſionibus, parum hic attingere decreui, ne hæc meum propoſitum ſua magnitudine ſuperarent.

Quod autem hunc tractatum ſub Re. & Illuſt. C. T. nomine & auſpicijs prodire voluerim, varia pregnantes cauſæ impulerunt. Diuina Maieſtas I C. T. tot præclariſſimis ornamentis inſigniuit, vt veri prin-

pis Idæam in ea effinxiſſe videatur.

Omneſq; boni principis virtutes, de quibus hic diſ- ſeritur, in I.C.T. cumulatiſſimè reperiuntur. Dupli- cemq; in Eccleſia Dei, & republica Chriſtiana eminẽ- tiſſimum locum, cum maxima laude, obtinet. Eccleſi- aſticorum principum decus, & ſingulare ornamen- tum, ſecularium Ducum & Regulorum ſplendor, qui Maiorum & deceſſorum clariſſimorum gloriam lon- gè exuperat. Pauperum Chriſti liberaliſſimus patro- nus, bonarumq; literarum & artium Mæcenas incom- parabilis: doctorumq; hominum aſylum, fautor, & promotor eximius. Quod tãtis ſumptibus & curis ex- tructa Xynodochia, & hoſpitalia, ſchola & gymnaſia ipſaq; florentiſſima Academia Herbipolenſis demon- ſtrant: & infiniti egregiorum ſcriptorum libri atte- ſtãtur. Præterea ſacri Ro. Imperij incolumitatis pars magna Ill.C.T. debetur. Cuius prudentiam, magna- nimitatem, conſtantiam, & arduis in rebus dexteri- tatem, equidem olim præſens cum ſtupore admiratus fui, & reliqui pluribus locis atque argumentis, cum no- minis ſui, familiæq; ſuæ gloria, & totius Sacri Impe- rij incredibili fructu ſæpius cognouerunt. Adhæc, illius preclarè dicta & facta promeruerunt, vt eius memoria omnium ſcriptis crebrò ad ædificationem poſterorum renouetur: Suamq; beneuolentiam nuper etiam erga me, immerentem quidem, ſed veterem obſeruantiſſimum cultorem clementiſſimis literis ſuis declarauit, Academiarũ libros à me poſtremò æditos ſibi gratos fuiſſe, hortabatur quoq;, vt reliqua, quæ in manibus habere dicerer, elaborarem. Accipiat ergo,

hac vice, quaeſo, hunc non per omnia, ni fallor, tanto principe indignum, nec prorſus inutilem laborem, quem Ill. C. T. ex optimo corde & antiqua obſeruantia dedicare volui: ipſamque opus & authorem ſibi commendatum habere dignetur, donec alia maiora ſequantur. Coloniæ Agrippinæ ex Decanatu S. Andreæ Idib. Februarij, 1603.

Reuerendiſſimæ & Illuſtriſſimæ Cel. T.

Obſeruantiſſimus cliens,

Iacobus Middendorpius, Vniuerſitatis Colonienſis indignus Procancellarius, & Rector.

Abes hic breuiter, candide lector, ſalutares, & iucundas, notabileſq; quæſtiones & reſponſiones, quibus lętus et triſtis, re in animo, in
ıere, ın conuiuio, in conſilijs, in colloquijs
reare; authoritatem tibi conciliare: & ad-
ım conſeruare poſſis.

Dei viui, Regis regum, & Domini Domi·
ıtium ad Adamum, Cainum, Abrahamú,
yſen, Patriarchas, Apoſtolos, & Phariſæos.
rahami, Salomonis, Gedeonis, Dauidis, E-
æ, Apoſtolorum, & Phariſæorum ad Deú,
d Angelos, fol 1 & ſeq.
buchodonoſor Babylonij. 18, & ſeq.
Ahaſueri Medi & Perſæ.
Pharaonis Aegyptij.
Philippi Macedonis.
Periandri. 21
Croeſi.
Dionyſij.
Antigoni.
AlexandriMagni 10 quęſtiones, decem In-
rum Gymnoſophiſtis propoſitas. 23
Ptolomæi Philadelphi, Aegyptiorum Re-
,72. quæſtiones, cum reſponſionibus ſacræ
ipturæ 72. Interpretum, & commentarijs
ſtris, antiquis & nouis. fol. 26 & ſeq.
ıomodo regnum incolume, & ſaluum con-
uaret vſque in finem.

Qua

2 Qua ratione omnia rectè perageret.
3 Qualiter accipere & retinere poſſet veros amicos.
4 In ferendis ſententijs & pœnis infligendis qualiter rectè verſari queat.
5 Bellicis in rebus quomodo inuictus eſſet.
6 Hoſtibus vt formidoloſus exiſteret.
7 Quid ſit ad vitam degendam optimum.
8 Regnum fœlix quomodo conſeruetur, & ad poſteros tranſmittatur.
9 Fortunam bonam & malam quomodo moderatè ferat.
10 Fortitudinis quis ſit finis.
11 Diues qua ratione permaneret.
12 Veritatem quomodo coleret, & mendacium fugeret.
13 Sapientiæ & doctrinæ qui ſint fructus.
14 Humanus & benignus quomodo exiſteret.
15 Regem qui mores deceant.
16 Pietas in quo conſiſtat, & quod ſit pietatis robur.
17 Regnandi modus & officium quod ſit.
18 Cogitationes quomodo bonas ſemper habeat.
19 In ſomno vt quietus eſſet.
20 Indignum vt nihil ageret.
21 Imperium quod ſit optimum.
22 Inuidiam vt caueret.
23 Hoſtes vt ſperneret.
24 Glorioſus quomodo permaneret.

Glorio-

loriofum &magnificum eſſe apud quos cõ- 25
ueniat.
uibus gratificandum ſit. 26
ılchritudine quid ſit dignius. 27
loria amiſſa vti recuperetur. 28
ɔſque triſtitia quomodo viueret. 29
loria vera in quo conſiſtat. 30
udentia vti comparetur. 31
ıletudini quid conducat. 32
rentibus quomodo digna gratia repona- 33
ur.
diendi cupidus vt fieret. 34
ntra leges vt nihil ageret. 35
gnationis quę ſit vtilitas. 36
repidus & abſque metu vt eſſet. 37
tionem rectam quomodo in promptu ha- 38
ɔeret.
auiam & voluptates vt caueret. 39
ulatores & ſimulatores fictos vnde cogno 40
ceret.
ıligentia maxima quæ eſſet in æducandis 41
beris.
·iæ cultor vt exiſteret. 42
oniugio qualiter degendum. 43
ɔmodo non deciperetur. 44
a vt caueret. 45
ıſilia bona quomodo caperet. 46
ofophari quid ſit. 47
icos quomodo inueniret apud ignotos. 48
ɛra diuturna quomodo extruantur. 49

Sapi-

50 Sapientiæ qui ſint fructus.
51 Superbia quomodo caueatur.
52 Conſiliarijs quibus vtendum ſit.
53 Regi quid maximè ſit neceſſarium.
54 Orationis quis ſit finis.
55 Populis multis vt ſe rectè accommodauerit.
56 Triſtitia vt caueatur.
57 Inglorius & contemptibilis vnde quis efficiatur.
58 Seipſum quibus credere poſſet.
59 Regnum quid potiſſimum conſeruet.
60 Honor & gratia vt ſeruetur.
61 In bello vt animo tranquillo ſit.
62 Quomodo non ſeduceretur aut deciperetur verbis.
63 Virtutem cur non omnes amplectantur.
64 Reges quibus rebus maximè inſiſtere debeat.
65 Magiſtratibus qui præficiendi ſint.
66 Belli duces quales conſtituendi.
67 Admiratione digna quæ ſint.
68 Reges quibus rebus occupari deceat.
69 Otia quomodo tranſigenda.
70 Conuiuia qualiter peragenda.
71 Vtrum expediat naſci an creari principem.
72 In regno quid optimum & maximum ſit, deque Iure dicundo.
Veterum clariſſimorum Philoſophorum quæſtiones, & reſponſiones luculentæ. 435 & ſeq.
Romuli, & aliorum regum, Conſulumq; & Sena-

& Senatus Rom. quæſtiones, & reſponſiones pulcherrimæ. fol. 467.
Octauij Auguſti Cæſaris quæſtiones ad oraculum Apollinis Pythij, & ad Sybillam. 471
Adriani Imperatoris quæſtiones, cum reſponſionibus Secundi philoſophi. 472
Adriani aliæ quæſtiones cum reſponſionibus Epicteti. 476
Alphonſi Regis Aragonum.
Sigiſmundi, & Frederici Imperatorum, ex Antonio Panormitano, & Aenea Syluio. fol. 476.
Maximiliani Primi octo quæſtiones, cum reſponſionibus Ioannis Tritenhemij, Abbatis Spanhemenſis. fol 487.
De Natura, incommodis, & remedijs furentis hominũ Iræ, quæſtiones 265. cum reſponſionibus compendioſis: à docto quodam viro collectæ. fol. 581

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

ABſentia principum periculoſa. 282
Abſentes diutius reuocandi. 283
Ad formoſam triginta requiruntur. 228
Adriani Cæſaris quæſtiones. 472
Adulatorum fraudes & doli, fol. 253 & 263.
Adulatores ab amicis quid differant, fol. 263.
Affectare iniquis vijs regnum periculoſum eſt, fol. 199.201.& ſeq.&c.
Afflictiones cur Deus immittat, fol. 10.
Afflictionis diuinæ effectus. 7.
Agriculturę neceſſitas vtilitaſque. 289
Alcibiadis Sileni. 450
Alexandri Magni virtutes, victoriæ, & vitia, fol. 122
Ambire regnum & Epiſcopatum quatenus liceat, fol. 201.
Ambitionis immanitas. fol. 198. & ſeqq. 206. 210.
Amici quomodo tractandi. 465.
Amici veri qui ſint, & cum quibus contrahēda ſit amicitia. 263.352
Amicus fidelis eſt theſaurus. 353
Amicorum diuerſa genera. Ibidem.
Amicus quid ſit. 465.466 479.
Amor quid ſit. 466
Animalium omnium callidiſſimum. 23.
Aquarum inundationes portentoſæ. 132.

Annu-

ꝫuli digitus 455
ꝫrita deteſtanda 160.& ſeq.
ꝫritiæ incommoda. 4.54.
ꝫuſti Cæſaris quæſtiones. 471.
ꝫici ſimiles auiculis 481
ꝫum Tholoſanum habere, 451

B.

ꝫtiſmus neceſſarius ad ſalutem. 489.
ꝫa quid.fol. 476
ꝫitudo in quo ſita.fol. 466
ꝫa quomodo ſuſcipienda & gerenda ſint
ꝫl. 76
ꝫi duces quales eligendi.fol. 373
ꝫi incommoda fol. 89
ꝫas cogitationes & actiones quomodo ali-
ꝫuis habeat f. 189 193
ꝫus & doctus quomodo aliquis fiat folio.
56

C.

ꝫr quid,fol. 479
ꝫnum prandium quid. 452
ꝫerare potentem an expediat.fol. 484
ꝫbrum.fol. 476
ꝫtates extruere augere,muris ornare, lau-
ꝫbile eſt,fol. 292.
ꝫtatum Curiæ, & earum præfecti, folio
8
ꝫientia & benignitas maximè decent prin
ꝫpes f. 156
ꝫationis vtilitas fol. 245

** Cog-

Cognatis non nimium tribuendũ fol. 372. 375.
Collectæ inuſitatæ ſunt periculoſæ folio 147 & ſeq.
Colorum ſpecies. fol. 454
Concilium quibus patere debeat. 483
Conſcientia bona & mala fol. 246
Conſilia diuerſa ſint in aula & republ. folio 248
Conſiliarij ſunt neceſſarij, & quales adhibẽdi, deque eorum officijs. fol. 323. & ſeq.
Conſiliariorum dignitas & priuilegia. folio 246
Conſilijs quid maximè obſit fol. 483
Conſtantia ſapientum Indiæ. 25
Continentia in cibo&potu optima folio. 240
Conuiuandi modus fol. 386
Conuiuiorum antiquiſſimus mos: quomodo inſtituenda: ex quot, & qualibus amicis f. 386 & ſeq.

D.

Damnatur nemo ſine citatione & defenſione fol. 74
Dei neglectus contemptuſque omnis mali origo eſt. fol. 10
Dei via incomprehenſibilis. 444
Dei prouidentia. 569
Deus cur credi potius quàm ſciri voluit. 486
Deus perfectè ab homine mortali cognoſci nequit 494
Deus quare homines creat quos ſcit eſſe dam-
Dili-

ſtandos. 498. & ſeq.
Dęmonum diuerſa genera. 549. & ſeq.
Dæmonum coactiones. 536
Deus cur impietates & ſcelera iam non tam citò puniat.fol. 441.& ſeq.
Deus quid ſit fol. 462.474.479
Dialectica fol. 278
Difficile quid ſit,quid facile. 462
Diligentiæ commendatio fol. 165
Diſciplina qualis eſſe debeat. 67
Diſciplina quomodo vtendum. 125
Diuitiæ quid ſint.fol. 475
Diuitiæ quomodo collocandæ & conſeruandæ. 140. & ſeq.
Docti ab indoctis quid differant fol.465.463 494.
Docti &probi cur egeant, improbis abundãtibus.fol. 439 494
Dolis an hoſtis ſuperandus.fol. 468

E.

Ebrietas cauenda fol. 390
Electio principum fol. 469
Electio ſuperiorum fol. 402.5
Electi principes in exordio ſępe difficultates ſentiunt,quę ijs diſſimulandę ſunt.fol. 419
Electores principum quid conſiderare debeant.fol 408 & ſeq.
Electorum inunctio,munera,cõuiuia.f. 420
Epicuræi quare multi fiant. 464
Epiſtola quid.fol. 476

Excuſatio in peccatis peſſima eſt. 2
Exercitatio corporis vtilis. 241.274

F.

Familia honeſta habenda, ne dedecoret dominos fol. 369
Familiares & miniſtri quales adhibendi, Nobiles, an docti fol. 256 & ſeq.
Familiaritatis fructus fol. 260
Filius magiſtratus gerens, quatenus patrem priuatum præcedat. 460
Filius patri quatenus obediat. 459
Fœdera & ligæ fol. 101
Fœlicitatem quomodo conſequamur. folio 482.
Fœlix quis ſit. fol. 462
Forma folio 222. & ſeq.
Forma quomodo conſeruetur. fol. 229
Formoſam 30. conditiones conſtituunt folio 228
Fortiſſimum in mundo quidnam ſit fol. 7.
Fortuna & illius ſpecies fol. 478
Fortuna quid, fol. 479
Fortuna vtraque qualiter ferenda. fol 135 467
Fides neceſſaria ad ſalutem 495. & ſeq.

G.

Gladij, furcæ, patibuli vſus fol. 70
Gloria amiſſa recuperatur per pœnitentiam & vitę correctionem fol. 230
Gratulationes, acclamationes. fol. 422.

Her-

Digitized by Google

H.

Herculei labores fol. 449
Hiſtoriæ & earum ſcriptores fol. 276
Hiſtoriarum vtilitas fol. 381
Homicidij atrocitas in Caino Adami filio. folio. 3.
Homo ad quid creatus ſit fol. 9
Hominem cur Deus tentari permiſerit. fol. 438.
Homines cur non ſimul creati ſint. fol. 443
Hominis anni cur pauci ſint. Ibid.
Hominis ruina, & miſeria vnde originem habeat fol. 2
Hominum miſeria fol. 315
Homo cur fragilis factus ſit fol. 457
Homo quid fol 474. 478
Honor conſeruatur virtute, vitijs amittitur. fol. 354
Humilitatis fructus fol. 15

I.

Ignauia maxime indecora fol. 165
Imperij & regni difficultates fol. 196. 204
Imperium optimum quod ſit. fol. 195
Imperium quomodo conſeruetur fol. 467
Induciæ quid, fol. 452
Ingluuies peſſima eſt fol. 241
Inobedientia & contumacia in Vaſthi regina punitur. fol. 19
Inuidiæ immanitas fol. 449
Inuidiæ turpitudo & effectus. 207

Inuidiæ origo. folio 219
Iræ natura, incommoda, & remedia. 584
Ira animum perturbat. fol. 67
Ira eſt pernitioſa beſtia fol. 309
Iræ ſigna fol. 452
Iudæorum Reſp. illiuſque adminiſtratores fol. 417
Iudicia fol. 425 & ſeq.
Iudicis officium fol. 455
Iudicis veri qualitates. fol. 53
Iudicum qualitates, præmia, & pœnę fol. 432
Ius dicere ſanctum eſt, & principes decet. fol. 426.
Iuſtitiæ dignitas & effectus. fol. 17. 47
Iuſtitiæ Idæa & imago. fol. 53
Iuſtitiæ neceſſitas. fol. 47
Iuſtitiæ forma. fol. 456
Iuuentutis æducatio neceſſaria eſt, & vtiliſſima. fol. 19
Iuuentus rectè æducanda. 267. & ſeq

L.

Lacrymæ excellentium virorum ſunt ſignũ bonæ naturæ fol.
Legatis an principem ipſum deceat reſpondere fol. 469
Legatorum Ius illæſum ſit. 67
Legere quid principem deceat. 380
Leges Reipubl. baſis & fundamentum folio. 356

Legibus principes parere debent. folio. 359
Legibus non parentes, inglorij fiunt. 360
Liberalitas in quo conſiſtat, & opes reipubl. quomodo & in quos elargiendæ folio 140. & ſeq.
Libertas fol. 477
Libri ſunt boni conſiliarij. 380
Lingua optimum & peſſimum fol. 463
Loquendum quomodo ſit fol. 448
Ludi Principum quales. 274
Luna quid, fol. 474
Luſores non ferendi. 291
M.
Maleficarum poteſtas. 545
Maleficorum genera & fraudes 5.7. & ſeq.
Magiſter qualis pueris pręficiēdus, & de illius officio. 270
Magiſtratus boni Remp. conſeruāt, mali perdunt. fol. 376
Magiſtratus in rep. neceſſarij ſunt, & quales eſſe debeant. fol. 366.376
Magiſtratus ordine & gradatim conferantur dignis. 377
Magiſtratus geſti rationes reddant. fol. 378
Magiſtratuum errores & vitia princeps corrigat. 367.284.
Mandatum an ſemper rigidè obſeruandum ſit folio 457
Mare quid, fol. 474
Mathematicæ diſciplinæ quatenus principi

cipi conueniant. 277
Matrimonij commoda & incommoda fol. 294. & ſeq.
Matrimonij qualitates. 298
Mendacij turpitudo. 150
Mendaces quid lucrentur. folio 465
Mendicorum delectus. fol. 293
Mercaturæ vtilitas. fol. 290.
Mercedem indignam mundus rependit folio 136
Merces iuſtorum Deus fol. 5
Miles quid, folio 479
Milites quot & quales aſſumendi. fol. 8
Militum qualitates & priuilegia ſtipendiaque ijs ſoluenda fol. 84. 104. 107.
Miracula infidelium. 507
Miracula dæmonum, & maleficorum. nu. 511. & ſeq.
Miniſtri & auxiliatores neceſſarij ſunt & quales illi eſſe debeant. fol. 253
Miſericors quomodo quis eſſe poſsit. folio 156.
Mori quando dicamur. 473
Mors quid fol. 475. 77
Mulier quid ſit fol. 475
Mundus quid ſit fol. 474
Miraculorum authores. 511
Maleficia cur Deus patiatur. 555
N.
Nauigationum vtilitas 290

Nauis,

Digitized by Google

Nauis,nauta,folio 478
Neutralitas quatenus permiſſa.folio 460
Nobilitas vera quæ ſit & illius priuilegia in Collegijs & beneficijs fol. 405.407
Numeri ſeptenarij vis. 454
Nox quid.fol. 478

O.

Obedientia famulorum & miniſtrorum Deo placet,ad impoſſibilia tamen non obligantur. 5.6.
Officia & munia diſtincta ſint.fol. 262
Officiorum confuſio pernitioſa. 262
Oratione quali princeps vtatur,folio 350
Oratio principis,fol. 279
Otij incommoda.fol. 170
Otium deteſtandum fol. 290
Otium fugiendi ratio fol. 383

P.

Patientiæ virtutes & affectus folio. 7
Pacis commoda fol. 88.425
Pacis violatores fol. 122
Paraſiti quid ſint fol. 479
Parentes honorandi fol. 243
Parentes tenentur liberos bene æducare. Et à magiſtratu ad hoc cogi poſſunt folio 267. 280
Patientia virtus eximia 138
Patria chariſſima omnibus eſſe debet fol. 167
Patriæ cultura in quibus conſiſtat fol. 285
Pauci Iuſti conſeruant ſæpe remp.fol. 5

Pan-

Google

Paupertas.fol. 475
Pax quid fol. 479
Peccata ſunt cauſa iræ Dei, & omnium malorum fol. 231.& ſeq.
Peccati origo fol. 2
Peccatum excuſare peſſimum eſt.fol. 2
Philoſophiæ fructus. 464.& ſeqq.
Philoſophiæ vtilitas. 312
Pictura quid. 476
Pios Deus cur ab impijs diuexari,& egere patiatur,cum impij ſint diuites. 448.439 & ſ.
Pius & bonus quomodo aliquis eſſe poſſit. 71
Pœnã ferè patiuntur,quam alijs intulerũt. 68
Pœnarum genera. 53.69
Peccare homines cur Deus patiatur. 555.&ſeq.
Pœnarum vtilitas. 53 69
Pœnæ quomodo infligendæ. 55.69
Pœna nonnullis detrahenda.fol. 63.68.71
Pœnitentia & correctione morum placatur Deus,& redeunt bona. 231
Poëtæ qui legendi. 276
Poſt victoriam quid agendum. 123
Prælatorum vita difficilis & laborioſa. 204. & ſeq.
Prandij hora. 466
Primogeniti priuilegia. 423
Primogenitus quis dicatur,& de illius ſucceſſore. 424
Principem an expediat mutata veſte ignotũ incedere. 484

Principem naſci, an elegi expediat. 3. 400. 402 411
Principis æducatio. 401
Princeps qualis eligendus. 402
Principis qualis debeat eſſe ætas, quæ vita, qui mores, quę diuitię, quę nobilitas Ibi & ſeq.
Principes benè à teneris inſtituendi. 269
Principes electi in exordio ſentiunt difficultates, quas diſſimulare debent. 419
Principes externi rarò placent. 410
Principes præſentes ſubditi ferè oderunt, mortuos laudant. 410
Principis munus grauiſſimum. 197
Principis veri cura. 481
Principis veri Idæa. 163. & ſeq.
Principis officium & intentio ſeipſum regere debet. 168. 177. & ſeq.
Pulchritudo quid. 475
Pulchritudo vera in quo cõſiſtat. 222. & ſeq.
Prouidentia Dei. 569

R.

Regna quid conſeruet, quid euertat fol. 128
Regnorum ruinę, & mutationis pręnuncia, & cauſę 131. & ſeq.
Regnum eodem ferè nomine defecit, quo cępit 134
Regnum Dei & Iudicium quando veniet, & quę ſigna aduentus eius. 12
Regnum & Principatus à Deo eſt 109
Regnum iniuſtè partum facilè amittitur, & infauſtum eſt. 189

Regnum quomodo ineundum. 467
Regnum virtute parari 481
Regno quis dignus ſit. 483
Regnum vſurpans læſæ Maieſtatis reus ſit. 424
Regum & Principum indigna mors & merita. 204
Reip. conſeruandæ vel ruituræ ſigna. 130. & ſeq.
Reip. recta gubernatio in quo conſiſtat. 286. & ſeq.
Religionis veræ cultura regna conſeruat, mutatio & neglectus perdit, & reges inglorios efficit. 34. & ſeq.
Religionis veræ cultura vtiliſſima. 30
Religio quæ tenenda. 455
Rhetorica. 278
Roma incolumi non metuendus eſt vltimus dies. 14
Roma quid. 479

S.

Sapiens ab exilio à Tyranno reuocatus an redire debeat. 21
Sapientiæ eſt doctrinæ vtilitas. folio 8. 239
Sapientiam quare multi non amplexentur. 355.
Sapientia principe digniſſima, & neceſſaria 20. 237
Sacrilegorum pœna. 451
Securitatis nimiæ incommoda. 132

Senatoris officium 485
Senatus quid. 479
Senectus. 475
Senectus quomodo tractanda. 456
Serpentes quare ſint, & ſimilia homini noxia. 436
Sermones & iudicia aliorum de ſe principes exquirunt. 293
Silentium Secundi philoſophi. 473
Simulatio quædam deteſtanda, quædam permiſſa. 153
Sobrius vt fias. 463
Sol, Luna, & Stellæ. 474. 478
Somnia & eorum diuinationes. 190
Somnus. 475. 478
Somnus qualiter ineundus. 191
Sors 404
Spes eſt dulcis. 463
Scriptura ſacra quare non apertius & plenius data. 562 & ſeq.
Spes quid ſit. 465 477
Stomachus. 476
Subditorum amor optimum præſidium 215
Subditorum beneuolentia quomodo acquiratur. 49. & ſeq.
Succeſſio principum. 415 & ſeq.
Succeſſorem deſignare expedit. 294
Succeſſores. 375
Superbia abominanda & quomodo caueatur. 314. & ſeq.

Sybillæ

Sybillę quę & quot fuerint. 444

T.

Tempus Deo non ſtatuendum. 7

Terra quid. 474

Tholoſanum aurum. 451

Triſtitia. 351

Triſtitia vnde naſcatur, & quantum noceat homini. 234

Tyrannorum cruces. 234.247

Tyranni trucidati. 422

Tyrannorum mors & interitus folio. 187. & ſeq.

Tyrannus quid ſit, in quo à principe differat. 183

Sub tyranno qualiter ſapienti degendum ſit. 21

Tyranni quomodo ſecuri viuant. 21

Reuocatis à tyranno an redeundum. 21

V.

Valetudo bona & mala vnde. 240

Venatio. 274

Venti inſoliti ſunt ominoſi. 134

Ventorum regiones & nomina. 453

Ventus quid. 476

Venus cur nuda pingatur. 478

Venus cur Vulcano nupta. 479

Verbum & ſermo quid. 476

Veritatis laus. 149

Victoria à ſolo Deo eſt 109.209 & ſeq.

Victorię Alexandri Magni. 122

Victo-

Victoriam adeptis quid faciendum fol 133
Victoria quid. 479
Vigilantia & ſollicitudo Principem decent. 160 & ſeq.
Vini vſus. 468
Virtutem quare multi non amplexentur. 355
Vitę ęternę excellentia & fœlicitas. 17
Vitam ęternam quomodo aſſequamur. 16
Vita, Mors. 475
Vita optima & ſuauiſſima quę ſit. 462. 477
Vxor an ducenda. 463
Vrbes ſemel euerſę difficulter reſtituuntur 133
Vxores duas an habere vni expediat. 452
Vxor mala quomodo ferenda. 459
Vxorum quę ingenia, & quomodo tractandæ ſint. 295
Vxor qualis ducenda. 461

ERRATA GRAVIORA QVAE INTER excudendum irrepſerunt ſic corriguntor.

Fol. 3. verſ. 27. leniter. fol. 53. verſ. 20. ſeditioſis. fol. 115. verſ. 7. cunis. fol. 133. verſ 26. externum fol. 230. verſ. 4 Ira Dei fol. 241. verſ. 21. Rex. fol. 277. verſ. 4. morum. fol. 314. verſ. 13. Cenſus nobilitas. fol. 349. verſ. 17. mulctis. fol. 368. verſ. 13 artibus fol. 411. verſ. 16. Symmachus. fol. 473. verſ. 14. examinata Bod. verſ. 17. vita. fol. 580. verſ. 2. Cæſarem.

DE

DE VTILITATE LIBRI ad Lectorem.

Gaudet Alexander Macedo quod habere Magiſtrum
Poſſet Ariſtotelem, ſibi qui documenta gerendi
Traderet Imperij, & methodum præſcriberet, ex qua
Colligeret tanto virtutes principe dignas:
Non minus hoc noſtro quiuis lætabitur æuo
Princeps, hunc nactus tanto à Doctore libellum,
Cuius erit par vtilitas, ſeu ponere leges
Pro populo, ſeu ſit poſitis parêre neceſſum.
Hunc igitur, lector, lætis complexibus eia
Excipito, hunc nunquam (qualis modo cunq; futurus)
Perpetuâ aut triuiſſe manu, aut legiſſe pigebit.

Ad Eundem.

Qui veſtem facit Indicis lapillis
Contextam, & precioſiore filo
Nouit corpora regia expolire,
Prô quantis celebratur ille honorum
Et laudum titulis! quibus ſuperbi
Illum muneribus duces fatigant!
Maiores meruit ſuo hoc libello
MIDDENDORPIVS inclytus fauores,
Qui non fulgidulæ nitore veſtis
Corpus Principis efficit coruſcum:
Sed mentem regit, excolit, polit q;,
Prauis motibus imperat, repellens
Infauſtas tenebras, die reducto.

I. W. W.

Digitized by Google

QVAESTIO DEI VIVI, OMNIVM MONARCHARVM, REGVM, ET PRINCIPVM, SVPREMI Monarchæ

AD ADAMVM.

Adam vbi es? Geneſ. 3.

RESPONSIO ADAMI.

Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. Non ſunt autem iſta verba ignorantis Dei, vbi Adam eſſet, qui omnes vbique contemplatur: ſed inuitantis ad fidenter comparendum, & intrepidè colloquendũ. Reducit illi quoq; Deus in memoriam ijs verbis, qualis fuerat ante peccatum, & quis iam eſſet, ex quanta felicitate, in quantam miſeriam, per magnifica illa ſerpentis promiſſa, decidiſſet. Agnouit ſe ſtatim poſt admiſſum ſcelus nudum. Non tamen cauſam ſui pudoris aſſignat peccato ſuo, ſed nuditati corporis. Inde apparet, quod nondum ſatis grauitatem flagitij agnouerit: propter eam etenim, & propter offenſum Deum, magis dolere oportebat, quam propter corporis nuditatem, & fortunæ corporiſque bona amiſſa.

Pat. Benedict. Perier, in Geneſ. libro 6. tom. 1

QVAESTIO DEI ad Adamum: Geneſ. 3.

Quis indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?

RESPONSIO ADAMI:

Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Etſi Adamus in Euam, Eua in ſerpentem culpam reijcere, & transferre fruſtra conabantur: Deus tamen omnes iuſtè condemnauit. Quare ſpiritus ſanctus in pectus Regij Prophetæ Dauidis incluſus, ab hoc vitio omnes homines dehortatur. Pſal. 140. Non declines cor meum in verba malitiæ ad quærendas excuſationes in peccatis. Et Dauidis filius Salomon Prouerb. 18. Iuſtus eſt accuſator ſui; excuſatio peccati deteſtabilis eſt, & illius aggrauatio. Rectè autem dixit Sapientiſſimus Eccleſiaſtes: Deus ab initio creauit hominem rectum: ipſe vero ſeipſum multis immiſcuit quęſtionibus. Eccl. 7. Nam callidus ille ſerpens, & perpetuus humani generis oſor, in mundi primordio, ad Euam fallacię ſuæ machinas callidè admouit: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? Geneſ. 3. Ad quam Sophiſticam quęſtionem illa imprudenter reſpondit: De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: de fructu vero ligni quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud: ne fortè moriamur. Quæ incauta & dubia mulieris reſponſio fuit ſemen, fons, & origo omnium malorum, hoc peccati funeſtum & calamitoſum principium extitit. Hinc enim non modo ſapientiæ, & iuſtitiæ denudatio, mortiſque imperium natum eſt, quod totum mundum violẽter oppreſſit, ac pœna mortis ſecuta eſt: ſed ex paradiſo, horto voluptatis amœniſſimo, in mundum hunc incultum, & aſperum eiecti, ſuas quiſq; maledictiones, quas in iſto exilio

exilio ſuſtinerent,acceperunt,& totum genus humanum ex ſumma felicitate in extremam miſeriam concidit. Eua enim peſtifero ſerpentis afflatu vetitum cibum decerpſit, & comedit: illecebriſq; ſuis Adamum ad mortiferas epulas inuitauit: Qui diuinæ legis,& ſuæ dignitatis oblitus, blandienti, & à peſtifera bellua dementatę mulieri leuiter cōſenſit.

Hinc mutatis prioribus benedictionibus, adagia ſecuta ſunt: Homo puluis & cinis eſt. Homo bulla,ventus,fauilla,optimum non naſci.

QVAESTIO DEI AD CAINVM filium Adami, Geneſ. 4.

Vbi eſt Abel frater tuus?

RESPONSIO CAINI.

Neſcio. Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?

Interrogatio hæc Cainum ad pœnitentiam, & confeſſionem criminis adducere conatur, paternumque benigniſſimi Dei affectum erga ſceleratum fratricidam declarat. Reſponſio autem iſta mendax,impia,& inhumana erat. Negat ſe ſcire quod commiſerat,negat Deo,quaſi eum omnia intuentem hoc latere poſſet: inhumanum eſt nulla fratris cura, ſollicitudine, miſericordia commoueri. Nam Dei præceptum eſt: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Et: Vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo: Eccleſ.17. Leuiter ait Dominus: Vbi eſt frater tuus? ac ſi dicat: Quid feciſti? Ne nega, ſcelus notiſſimum mihi eſt. Quomodo tantum facinus animo concipere, & deſignare auſus fuiſti? Necdum agnoſcis immanitatem delicti? ad confeſſionem &pœnitentiam abi,vt indulgen- *Perier. in Geneſ.*

tiam & veniam conſequaris. Vox ſanguinis clamat ad me. Non eſt opus teſtibus, ſanguis ipſe à te nequiter effuſus clamat, atteſtatur, vindictam poſtulat. Ideoq; D.Paulus ait: Sanguinem iuſti Abel loqui apud Deum. Hebræ. 12. Triaq; ſimul Deus ei euentura prædixit. 1. fore maledictum ſuper terram, tanquam maledicti diaboli miniſtrum inuidiæ & odij inter homines. 2. laborem illius in colēda terra infructuoſum & irritum futurum. 3. Vagum deinceps & profugum vitam acturum, maledictumque iri ab hominibus præſentibus & futuris, qui ipſum propter execrādum flagitij ſcelus, tanquam monſtrum & peſtem humani generis eſſent execraturi. Notandū verò hic eſt: Quod vterque pater & filius ſiſtitur ante iudicium Dei: vt qui Deum non coluerant vt patrem, iudicem atque vindicem experirentur.

Adamus pater delictum ſponte confeſſus eſt, cum obſtinatus filius Cain fratricidium negaret, voce clamantis ſanguinis muti conuictus, damnatur: ait enim Deus: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Maledictus ergo eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinē fratris tui, de manu tua; cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus ſuos, vagus & profugus eris ſuper terram. Egreſſusque Cain à facie Domini habitauit in terra profugus, ad Orientalem plagam Eden.

QVAESTIO ABRAHAMI AD DEVM:
Geneſ. 15.

Domine quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis, & vernaculus meus hæres meus erit.

RE-

RESPONSIO DEI.

Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis, egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem, ſuſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. In hac promiſſione mercedis magnæ omnes pij ſeſe conſolari poterint, etſi in hoc mundo deſerti videantur.

QVAESTIO ANGELI AD AGAR ANCILlam Abrahami. Geneſ. 16.

Agar ancilla Sarai vnde venis, & quo vadis?

RESPONSIO AGAR.

A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.

Ad quam angelus pro exemplo obedietiæ & humilitatis omnium famularum: Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

QVAESTIO ABRAHAMI AD DOMINVM. Geneſ. 18.

Nunquid perdes iuſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt ſimul, & non parces loco illi, propter quinquaginta iuſtos?

RESPONSIO DEI AD ABRAHAMVM.

Si inuenero Sodomis quinquaginta, atque adeo decem, iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos, non delebo ciuitatem.

Memorabile hoc eſt ſpeculum miſericordiæ & iuſtitiæ diuinæ. Sicut enim propter paucos bonos totam ſæpe patriam conſeruat Deus: ita propter delicta paucorum totam rempub. affligit. Sicut Achan exemplum Ioſue 7. & Gabaitarum, propter

quos tota tribus Beniamin extincta fuit, declarat. Iudic.19.& 20.

Quid propter Saulis & Dauidis peccata Iudæorum regnum pertulerit, libro 1. Regum commemoratur. Idem hoc tempore multis pro exemplo capiendum eſt.

QVAESTIO ISAAC AD ABRAHAMVM patrem, Geneſ. 22.

Pater ecce ignis & ligna, vbi eſt victima holocauſti?

RESPONSIO ABRAHAMI.

Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. A Deo tentata fides & conſtantia Abrahami, perfectus inuentus eſt, &, vt Paulus ad Romanos cap.4. ait, in ſpem credidit. Quando ex Iſaac multiplicandum credens ſemen ſuum ſuper arenam maris, tamen ex Dei iuſſu illum imolare volebat. Dixit ergo ad illum Deus: Quia obediſti voci meę, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.

QVAESTIO FAMVLI ABRAHAMI ad Dominum ſuum. Geneſ. 24.

Si mulier noluerit venire mecum, iuramentóne quo me obſtrinxiſti ſolutus ero?

RESPONSIO ABRAHAMI.

Si mulier noluerit ſequi te, non teneberis iuramento. Miniſtri & officiales Dominis ſuis diligentiſſimè in licitis & honeſtis obedire tenentur. Impoſſibilium vero non eſt obligatio.

QVAESTIO TRIVM PVERORVM DARII Regis, lib. 3. Eſdræ cap.3. & 4.

Quid ſit fortiſſimum in mundo?

RESPONSIO.

Primus dixit, vinum: ſecundus, fortior eſt Rex.

Ter-

Tertius fortiores quidem ſunt mulieres, ſed fortiſſima eſt inuicta veritas, quæ cœlum terramque tuetur, & gubernat. Et huius ſententiam Rex, & omnes ſapientes approbauerunt. Reliqui tamen tres priores ſententiam ſuam elegantibus argumẽtis ſtabilire conabãtur, quæ lectu iucunda ſunt.

QVAESTIO DE TOBIAE ET IOBI aſſlictione. Tobiæ 2.

Quare Deus optimum illum Tobiam cæcum fieri, & affligi permiſerit ab impijs?

RESPONSIO.

Hanc tentationem permiſit Deus euenire illi, vt poſteris daretur exemplũm patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.

Archangelus Raphael verò aliam cauſam addit: Tobiæ cap.12. Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.

QVAESTIO MAGISTRATVS IVDAEORVM.

Quot diebus expectare deberent auxilium diuinum? Iudith.8.

RESPONSIO IVDITH.

Qui eſtis vos, qui tentatis Deum? poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis? Nonne eſt iſte ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potius iram excitet, & furorem accendat? Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei? Humiliemus animas noſtras Deo, & in ſpiritu humiliato ſeruientes illi, dicamus flẽtes Domino; vt ſecundum voluntatem ſuam faciat vobiſcum miſericordiam ſuam.

QVAESTIO GEDEONIS AD DEVM.
Iudic.7.

Quotnam,& quales milites educturus eſſet ad prælium contra Madiam?

RESPONSIO DEI.

In trecentis viris, qui aquam manu & lingua lambuerunt, liberabo vos, & tradam in manu tua Madiam; reliquus populus reuertatur in locum ſuum, ne dicat Iſrael: Meis viribus liberatus ſum.

QVAESTIO.

Quomodo ſcit Deus, quid agant homines?

RESPONSIO DAVIDIS: *Pſal 93.*

Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem non audiet? & qui finxit oculum, nō conſiderat? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.

QVAESTIO ECCLESIASTIS. *cap.7.*

Quid habet amplius ſapiens à ſtulto?

RESPONSIO.

Hoc plus habet eruditio & ſapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo. Et ſi in mundo iuſtus perit in iuſtitia ſua, & impius multo viuit tempore in malitia ſua. Et cap. 8. Sunt iuſti quibus multa eueniunt, quaſi opera egerint impiorum: & ſunt impij qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta haberent. Et Sapiens cap. 8. Concupiſcentia ſapientiæ ad regnum perpetuum deducit.

Intendamus ergo iuſtitiæ & virtuti, ait Lactantius lib.7.cap. vlt. quæ nos inſeparabilis comes ad Deum ſola perducet, & infatigabili militia Deo militemus, congrediamur cum hoſte fortiter, vt triumphantes præmium virtutis, quod ipſe promiſit, à Deo conſequamur, quanto quiſque appropinqua-

pinquare cernit illum diem, quo ſit ei ex hac vita migrandum, cogitet quam purus abſcedat, quam innocens ad iudicium veniat, ſeque ad Deum tota mente, dum licet, cõuertat, vt illum diem ſecurus expectet, quo Dominus pręſesque mundi Deus, de ſingulorum factis, cogitationibuſque iudicabit.

QVAESTIO ECCLESIASTIS.

Ad quid à Deo creatus eſt homo?

RESPONSIO

Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo. Lactantius Firmianus lib. 3. diuinarũ Inſtitutionum ad Conſtantinum Magnum cap. 9. *Eccle. c. vlt.* Si quis hominem qui verè ſapit interroget: cuius rei gratia natus ſit, reſpondebit intrepidus ac paratus: colendi ſe Dei gratia natum: qui nos ideo generauit, vt ei ſeruiamus. Seruire autem Deo nihil aliud eſt, quàm bonis operibus tueri & conſeruare iuſtitiam.

Et cap. vltimo. Omnis ſapientia hominis in hoc vno eſt vt Deum cognoſcat & colat: hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt. Hoc eſt quod Philoſophi tota vita quæſiuerunt: nec vnquam tamen inueſtigare, comprehendere, vel tenere potuerunt. Et lib. 7. cap. 5. Iccirco mundus factus eſt, vt naſcamur: ideo naſcimur, vt agnoſcamus factorem mũdi ac noſtri Deum: ideo agnoſcimus, vt colamus: ideo colimus, vt immortalitatem pro mercede laborum capiamus. Quoniam maximis laboribus Dei cultus conſtat. Vnum eſt ſummum bonum immortalitas: ad quam capiendam & formati à principio & nati ſumus, ad hanc tendimus, hanc ſpectat natura humana, ad hanc nos prouehit virtus. Id. cap 8.

QVAESTIO.

Cur Deus aliquando ſubtrahat benedictionem ſuam,& patiatur homines affligi ſterilitate & miſeria?

RESPONSIO AGGAEI PROPHETAE capite quarto.

Nunquid tempus vobis eſt,vt habitetis in domibus laqueatis,& domus iſta deſerta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.Comediſtis,&non eſtis ſatiati.Bibiſtis, & non eſtis inebriati. Operuiſtis vos,& non eſtis calefacti, & qui merces congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Hæc dicit Dominus exercituum:Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras:Aſcēdite in mōtem,portate ligna,& ædificate domum, & acceptabilis mihi erit,& glorificabor,dicit Dominus. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus. Et intuliſtis in domum, & exufflaui illud. Quam ob cauſam dicit Dominus exercituum: Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis, vnuſquiſque in domum ſuam: propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum, & vocauit ſiccitatem ſuper terram,& ſuper montes, & ſuper triticum,& ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcunque profert humus,& ſuper homines,& ſuper iumenta,& ſuper omnem laborem manuum.

Quò pertinet hoc Lactantij l. 5. c. 8.Diſcite homines ideo omnia mala rebus humanis quotidie ingraueſcere, quia Deus huius mundi effector & gubernator derelictus eſt, & ſuſceptæ ſunt,contrà quàm fas eſt,impiæ religiones. Vniuerſa igitur

mala

mala,quibus humanum genus ſe ipſum conficit, iniuſtus atque impius Deorum cultus induxit.

Et D. Auguſtinus in libris de ciuitate Dei pluribus argumentis & exemplis inde omnia mala prouenire demonſtrat: Quod verus Deus, à quo omnia bona proficiſcuntur, quique ſolus ab omnibus meritò coli debebat, negligatur, & illius cultores atque amici diuexentur & affligantur ab impijs, & prædæ ſint ſceleratis.

Quærentibus Iudæis: Quare populus electus, gens ſancta, tantoperè affligeretur ab impijs, & in terra inimicorum eſſet? Reſpondit Baruch propheta cap. 3. Quia Iſraël dereliquiſti fontem ſapientiæ. Nam ſi in via Dei ambulares, habitaſſes vtique in pace ſuper terram. Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax.

Et Iſaias cap. 65. eo quod ego vocaui vos, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiuiſtis, faciebatis malum in oculis meis, & quę nolui elegiſtis: propterea dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis, & dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis.

Huc pertinet pulcherrima oratio Iudith: Memores eſtote, quod patres noſtri tentati ſunt, vt probarentur, ſi verè colerent Deum ſuum. Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moy- cap. 8.

Digitized by Google

ſic Moyſes & omnes qui placueruntDeo,per multas tribulationes tranſierunt fideles. Illi autem qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini,& impatientiam ſuam,& inproperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt. Nos ergo non vlciſcamur nos pro his quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc eſſe minora flagella Domini, quaſi ſerui qui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eueniſſe credamus. Cum qua planè conſentit oratio Mathatiæ Machab. libro 1. Machab.cap.2.

QVAESTIO PHARISAEORVM.
Lucæ 17.

Quando veniet regnum Dei?

RESPONSIO CHRISTI.

Non veniet regnum Dei cum obſeruatione, neque dicent: Ecce hic,aut illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. venient dies, quando deſideretis videre vnum diem filij hominis,& non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic; Nolite ire, neque ſectemini. Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, in ea quæ ſub cœlo ſunt fulget, ita erit filius hominis in die ſua. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Et ſicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis.Edebant & bibebant,vxores ducebant,& dabantur ad nuptias, vſque in diem qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes; Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth,Edebant,& bibebant,emebant, & vendebāt,
plan-

plantabant & ædificabant, qua die autē exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur.

Aduentum ſuum Chriſtus ne apoſtolis quidem ſuis reuelare voluit: ſed iuſſit eos ſemper vigilare & paratos eſſe: certa tamen ſigna prædixit, vnde colligere poſſent, non longe eum abeſſe. Sicut in tractatu, de Rom. Imperij origine & inclinatione perſcripſi. Ieremiel archangelus ad Eſdram dixit: Dominus in ſtatera ponderauit ſeculum, & menſurauit tempora, & numerauit ea, & nō commouit, nec excitauit, donec impleatur menſura. Quemadmodum pregnans, impleto ſuo tempore, non poteſt amplius retinere partum, ſed feſtinat effugere neceſſitatem partus, ſic inferni matrix, & terra feſtinat reddere quæ commendata ſunt. De ſignis de quibus me interrogas, ex parte poſſum tibi dicere: de vita autem tua non ſum miſſus dicere tibi, ſed neſcio. *lib. 4. cap. 4.*

Mira quoque ſunt, quæ Lactantius Firmianus libro ſeptimo diuinarum Inſtitutionum, de diuino præmio & vltimo futuro iudicio, de futuris ſignis ante illum diem prædicere voluit, quorum aliqua nos hoc ſeculo experimur.

Propinquante, ait, huius ſeculi termino, humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius, nequitia inualeſcēte, prolabi: vt iam noſtra hæc tempora, quibus iniquitas, & malitia vſque ad ſummum gradum creuit, in illius tamen inſanabilis mali comparatione fœlicia, & prope aurea poſſint iudicari. Ita etenim iuſtitia rareſcet, ita impietas, & auaritia, & cupiditas, & libido cre- *lib 7. ca. 15.*

bre-

breſcet: vt ſi qui tunc forte fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, ac diuexentur vndique ab iniuſtis: ſoli autem mali opulenti ſint, boni vero in omnibus contumelijs, atque in egeſtate iactentur. Confundetur omne ius, & leges peribunt. Nihil tunc quiſpiam habebit, niſi aut quæſitum, aut defenſum malè, audacia & vis omnia poſſidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit. Atque ita neque ſecuritas, neque regimen, neq; requies à malis vlla. Omnis enim terra tumultuabitur, frement vndique bella, omnes gentes in armis erunt, & ſe inuicem oppugnabunt. Ciuitates finitimæ inter ſe præliabuntur. Et prima omnium Aegyptus ſtultarum ſuperſtitionum luet pœnas, & ſanguine velut flumine operietur. Tunc peragrabit gladius orbem meters omnia, & tanquam meſſem cuncta proſternens. Cuius vaſtitatis & cõfuſionis hæc erit cauſa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, ſed dicã, quia futurum eſt) tolletur de terra, & imperium in Aſiam reuertetur, ac rurſus oriens dominabitur, atque occidẽs ſeruiet.

Idem c. 25. Etiam res ipſa declarat, lapſum ruinamque rerum breui fore: niſi quod incolumi vrbe Romã nihil iſtius videtur eſſe metuendum. At verò cum caput iſtud orbis ceciderit, & πῦρ eſſe cęperit, quod Sybillæ fore aiunt, quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbique terrarum? Illa eſt enim ciuitas, quæ adhuc ſuſtentat omnia, precanduſque nobis, & adorandus eſt Deus cœli (ſi tamen ſtatuta eius & placita differri poſſunt) ne citiùs, quàm putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat,

cuius

cuius interitu mundus ipſe lapſurus eſt.

QVAESTIO PETRI DE IOANNE,
Ioan. vltimo.

Domine, hic autem quid?

RESPONSIO CHRISTI.

Quid ſi illum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere.

Nefas exiſtimandum eſt, dicit Lactantius lib. 2. cap. 9. ea ſcrutari, quæ Deus voluit eſſe ſecreta. Hoc eſt enim modum conditionis ſuæ tranſgredi: Deus ea ſcire nos voluit, quæ interfuit hominem ſcire ad vitam conſequendam. Quid ergo quæris quæ nec potes ſcire, nec ſi ſcias, beatior fias? vnde celebre prouerbium Socratis: Quæ ſupra nos nihil ad nos. Et hoc Eccleſiaſtis 7. Ne ſapias plus quã neceſſe eſt. Quid eſt homini neceſſe maiora ſe quærere, cum ignorat quid cõducat ei in vita ſua?

QVAESTIO DISCIPVLORVM.
Matth. 18. Luca 9.

Quis erit maior in regno cœlorum?

RESPONSIO CHRISTI.

Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum. Qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt.

Humilitas Mariæ virginis effecit, vt Chriſtum Dei filium conciperet, & pareret mundi ſaluatorem. Eadem humilitas, ſapiẽtiæ fons & magiſtra, & ſolidæ gloriæ, bonorumque omnium procreatrix eſt.

QVAE-

QVAESTIO LEGISPERITI AD CHRISTVM. Lucæ 10.

Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

RESPONSIO CHRISTI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,&ex tota anima tua,& ex omnibꝰ viribus tuis, & ex omni mente tua,& proximum tuum ſicut teipſum. Hoc fac, & viues.

Simile propemodum eſt apud Ioannem cap. 6. vbi quęrentibus: Quid facimus vt operemur opera Dei? Reſpondit: hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Et Dauidis reſponſum Pſal.1. Beatus vir ille qui non abijt in conſilio impiorum,& in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditatur die ac nocte.

Et Pſal.14. Ille habitabit in tabernaculo Domini,& requieſcet in monte ſancto ſuo,qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo: & non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

Pſal. 33 Quiſquis vult vitam, & diligit dies videre bonos,prohibeat linguam ſuam à malo, & lingua eius ne loquatur dolum: diuertat à malo, & faciat bonum:inquirat pacem & perſequatur eam.

Hæc eſt illa beatitudo,hoc ſummum bonum, hi fines bonorum & malorum, Quæ Poëtæ & philoſophi tam diligenter fruſtra inquiſiuerunt: multoſque libros de his refarſerunt: ſed vix micam è longin-

longinquo quaſi per tranſennam de hac vera ſapientia percipere potuerunt. Sicut in tractatu de ſapientia ediſſerui. Mortalis conditio vix patitur, hominem eſſe ab omni macula purum : debent ergo peccata largitione & eleemoſynis deleri. Deus purgari homines à peccatis maximè cupit: ideò agi pœnitentiam iubet. Agere autem pœnitentiam eſt profiteri & affirmare, ſe vlteriùs non peccaturum. Vnum eſt ſapientis, & iuſti, & vitalis viri opus, diuitias ſuas in ſola iuſtitia collocare. Qua profectò qui eget, licet ille Crœſum aut Craſſum diuitijs ſuperet, hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus eſt. Danda igitur opera eſt, vt indumento iuſtitiæ pietatiſque velemur: quo nos nemo exuat : quod nobis ſempiternum præbet ornatum. *Lac.l.6c.13.*

QVAESTIO PETRI ET DISCIPVLORVM
Luce 18.

Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?

RESPONSIO CHRISTI.

Nemo eſt qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut liberos propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in ſeculo futuro vitam æternam. Vos autem in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuę, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſraël: Et alibi; Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Vincenti dabo manna abſconditum, & calculum candidum, & in eo nomen nouum ſcri-

ptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Dabo illi edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo, & ſedere mecum in throno meo, & dabo ei poteſtatem ſuper gentes, & ſtellam matutinam, & veſtietur veſtimentis albis, & faciam illum columnam in regno meo. Apocalypſ. 2. & 3.

Pharao Aegyptiorum Rex, & Nabuchodonoſor atque Balthaſar Imperatores Babyloniorum, ſuis ſapientibus & Magis quaſtiones abſtruſas, et ſomnia ſua propoſuerunt: ad quæ illi reſpondere nequibant, ſed Ioſeph Patriarcha, & Daniel propheta ex reuelatione diuina ſapienter interpretati fuerunt. Geneſis 41. & Daniel. 2. & 4. & 5.

Quæ hic repetere nimis longum foret. Sacra verò Byblia tam accuratè hæc commemorant, vt Imperatores, Reges, Principes diſcerent miram prouidentiam Dei, in gubernandis rebus humanis; omniaque à ſolo Deo vero in hoc mundo gubernari: recteque facere principes, qui difficiliora ad Deum, & diuino numine afflatos homines referunt, illos audiunt, & ſanis eorum conſiliis obſequuntur. Memores ſapientiſſimi Salomonis: Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi. Eccleſ. 7.

QVAESTIO AHASVERI PERSARVM & Medorum Imperatoris, Eſter. 1.

Cui ſententiæ Vaſthi Regina ſubiaceret, quæ Ahaſueri Regis imperium facere noluiſſet?

RESPONSIO.

Non ſolùm Regem læſit Regina Vaſthi, ſed & omnes populos & principes, qui ſunt in cunctis prouincijs Regis Ahaſueri: egredietur enim ſer-

mo

mo ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & hoc exemplo parui pendant imperia maritorum: nequaquam vltra ingrediatur ad Regem, ſed regnum illius altera, quæ melior illa eſt, accipiat, & hoc in omne diuulgetur latiſſimum Imperium, vt cunctæ vxores deferant maritis ſuis honorem. Multis pulcherrimis doctrinis illa hiſtoria ſcatet. Habebant enim Perſæ ſeptem Duces & principes, qui ſemper primi poſt Regem ſedebant, periti in legibus Regni & conſuetudinibus Maiorum: quos Rex colebat, & in omnibus ſequebatur: ex eorum conſilio Vaſthi Reginam (quę illi chariſſima erat) repudiauit. Cumque Rex pœnitentia duci videbatur, ex amore, vel ex cõmiſeratione erga Vaſthi: eorum authoritate impeditus fuit: ne vxorius amor ſaluti publicæ, & legi latæ anteponeretur. Quidam Principes Chriſtiani, ſynceros Conſiliarios non aſſumunt: vel adhibitos non audiunt: ſemel prudenter concluſa facilè mutari patiuntur. Quod plurima in rempublicam mala importat.

QVAESTIO.

Qua cura diligentiaque educanda ſit Iuuentus?

RESPONSIO.

Hoc ex Philippi Macedoniæ Regis epiſtola ad Ariſtotelem, declarat Gellius lib. 9. c, 2. *Vide noſtra officia Scholaſtica, lib. 1. Acad. & quæſt. Ptholomæi.*

Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit: Filium mihi genitum ſcito, quod equidem dijs habeo gratiam: non proinde, quia natus eſt, quàm pro eo, quod eũ naſci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt eductus eruditusque abs te, dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione.

QVAESTIO.

Quonam Reges & principes maximè excellere deceat?

RESPONSIO ALEXANDRI MAGNI. *Epiſtola ad Ariſtotelem, apud Gellium lib. 20. cap. 4.*

Iam non rectè feciſti; quod libros auſchultatorios diſciplinarum edidiſti. Nam qua re alijs pręſtare poterimus, ſi ea quæ ex te accepimus, omniũ prorſus fuerint communia? Quippe ego doctrina anteire malim, quàm copijs, atque opulentia.

Idem comprobauit Rex Antigonus, ad Zenonẽ, apud D. Laertium lib. 7. Ego fortuna me quidem, & gloria te anteire exiſtimo: cæterùm diſciplinis, ſtudijſque liberalibus, & perfecta felicitate, quam tu poſſides, longè abs te pręcelli ſentio. Quocirca te orare ſtatui, vti ad me proficiſcaris, id mihi perſuadens, te preces meas minimè irritas fieri paſſurum. Certo ſciens, non mei tantùm, ſed omnium ſimul Macedonum eruditorem fore. Nam qui Macedoniæ regem erudit, atque in virtutem imbuit, eum ſubditos quoque inſtruere, ad fortitudinem & probitatem certum eſt. Zeno elegantiſſima epiſtola, Antigoni vehemens diſcendi ſtudium, ſapientiæq;, & virtutis amorem vehementer prædicat, apud eundem Laërtium.

QVAESTIO PERIANDRI.

Tyranni quomodo ſecuri viuant?

RESPONSIO SOLONIS. *apud Laertium lib. 1.*

Scribis tibi multos inſidiari. At tu, ſiquidem omnes è medio tuleris, ne ſic quidem proficies. Inſidiabitur enim tibi quiſpiam ex his quos minimè ſuſpectos habes: partim ſibi metuens, te reprehendens, quod omnia formides, nihilque non metuas, partim ciuitati gratificari cupiens.

Eſſet ergo optimum abſtinere Tyrannide, vt cauſas omnis metus euaderes. Quod ſi tyrannidi omninò inſiſtendum cenſes, compares tibi neceſſe eſt, externas vires, & peregrina auxilia, vrbis viribus maiora: vt iam tibi nullus infeſtus ſit, & tu neminem extorrem agas. Sic Chilon Periandro ſcribebat, apud Laertium lib. 1. Ego felicem eum Tyrannum cenſeo, cui in ſua domo abſque ſanguine contigerit mori. Traſybulus verò Tyrãnus Periandro. 1. Tu ſi Tyrãnidem tutò tenere vis, atque in ea conſtabiliri, ciuitatis principes tolle, ſiue amici, ſiue inimici videantur. Quippe Tyranno amici quoque ſuſpecti ſunt.

QVAESTIO.

Sub Tyranno ſapiens quid agat?

RESPONSIO SOLONIS. apud Laertium, libro 1.

Piſiſtratus blandiens fidelior Athenienſibus exiſtimabatur, quàm Solon vera proloquens. O pàtria, tunc inſanire videbar: illi magna reipub. damna inuexerunt. Itaque patria deſerta proficiſcor, ſolus ex omnibus Piſiſtrati inimicus.

QVAESTIO.

A Tyranno reuocatũ, an in patriam redire expediat?

RESPONSIO SOLONIS AD Piſiſtratum.

Credo equidem nihil me abs te paſſurum mali. *Laert lib. 1.* Nam & ante Tyrannidem tibi amicus eram, ne nunc quidem magis infenſus, quam quiuis alius Athenienſium, qui Tyrannidem non ament. Siue autem vnius Imperio regi, ſiue publicè rem admi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſtrari vtilius ſit: ex ſua quiſque ſententia ſtatuat. Certe Tyrannorum te omnium eſſe præſtantiſſimum fateor. Athenas autem redire mihi vtile non cognoſco: ne quis iuſtè me reprehendat, qui Athenienſibus dudum rempub. ex æquo adminiſtrandam tradideram, præſenſque oblatam mihi Tyrannidem ſponte declinaueram, modò rediens, factum tuum, ſubita pœnitentia, probare videar.

QVAESTIO CRAESI AD SOLONEM.

An pulchrius ſpectaculum vidiſſet ſe Rege, exquiſitiſſimo omnium ornamentorum genere cópoſito, ſublimique in ſolio ſedente?

RESPONSIO SOLONIS.

Laert. in vita Solonis.

Imo Gallos gallinaceos, faſianos, atque pauones; naturali enim nitore, & incredibili ſpecioſitate veſtiuntur.

Laert. lib. 1

QVAESTIONES Cræſi	*RESPONSIONES Pitaci.*
Quodnam ſit maximũ Imperium?	Ligni varij: Legem innuens.
Quid ſit optimum?	Bene agere.
Quid maximè gratũ?	Tempus.
Quid obſcurum?	Futurorum euentus.
Quid fidele?	Terra.
Quid infidele?	Mare.

QVAESTIO DIONYSII.

Cuius rei gratia philoſophi diuitum limina terunt; philoſophorum diuites non ita?

RESPON-

RESPONSIO ARISTIPPI.

Quod illi ſciunt quibus indigent, & hi neſciunt. Ad hoc ego ad te veni, vt quæ habeo impartiar, & quod non habeo, accipiam. Quando ſapientia indigebam, adij Socratem, nunc pecuniarũ egens, ad te venio. *Diogenes lib. 2.*

QVAESTIO ANTIGONI.

Anne Κῶμον Luxurioſum adiret conuiuium? *Laert. eod.*

RESPONSIO MENEDEMI.

Memento te Regis eſſe filium.

ALEXANDRI MAGNI DECEM QVAESTIONES, QVAS DECEM INDORVM GYMNOSOPHI-

ſtis præcipuis propoſuit, cum iam Ariſtotelis & Græcorum Philoſophorum doctrinâ imbutus eſſet: mortem minatus, qui non aptè reſpondiſſet. Ex Clemente Alexandrino, l. 6. ſtromatum.

Quæſtio 1.

Vtrum plures exiſtimaret eſſe, viuos ne an mortuos? *Reſponſio.*

Viuos. Non eſſe enim mortuos.

Quæſtio 2.

Terráne an mare maiores aleret belluas?

Reſponſio.

Terra. Nam eius quoque pars eſt mare.

Quæſtio 3.

Quodnam ſit animantium callidiſſimum?

Reſponſio.

Homo.

Quæſtio 4.

Qua ratione moti Sabba principem ſuum ad defenſionem impuliſſent?

Reſponſio:

Volentes eum vel honeſtè viuere, vel honeſtè mori.

Quæſtio 5.

Vtrum putaret fuiſſe priorem diem, an noctem?

Reſponſio:

Vno die. Dubiarum enim quæſtionum dubias eſſe reſponſiones.

Quæſtio 6.

Qua ratione fieret, vt quis maximè diligeretur?

Reſponſio:

Si cùm ſit potentiſſimus, non fuerit terribilis.

Quæſtio 7.

Quomodo ex hominibus fieret Deus aliquis?

Reſponſio:

Si ea fecerit, quæ homo facere non poteſt.

Quæſtio 8.

Quid ſit fortius: vita an mors?

Reſponſio:

Vita: quæ tam multa mala ferat.

Quæſtio 9.

Quouſque benè ſit homini viuere?

Reſponſio:

Quouſque non exiſtimet melius eſſe mori, quã viuere.

Quæſtio 10.

Decimus Iudex conſtitutus erat, iuſſus ergo aliquid dicere.

Reſpon-

Reſponſio:

Alius,ait, dixit alio deterius. ad quæ cum Alexander diceret: Ergo tu quoque morieris primus, qui hæc iudicas. Et quomodo, inquit, ô Rex verus fueris, qui dixiſti, te primum eum interfecturum qui peſſimè reſpondiſſet?

Quorum ſapientiam cum Philoſophos Græcos, qui in exercitu erant, Alexander probare videret: iccirco vt eruditæ Græciæ, (quæ omnes præ ſe velut barbaros contemnebat) Indorum ſapientiam oſtentaret, Alexander Calanum eorũ principem hortatus eſt, vt ſecum proficiſceretur, paraturus magnam gloriam in Europa & Aſia. Quod vbi non impetraret Alexander, per vim ſe abducturum minatus eſt.

Quæſtio Alexandri Magni.

Vtrum Indorum Gymnoſophiſtas cogere poſſet, vt in Græciam ſequerentur inuiti?

Reſponſio Calani Gymnoſophiſtarum Principis.

Amici tibi ſuadent vt cogas Indorum Philoſophos, ne per ſomnum quidem conſpicati noſtras res, & noſtra negotia. Corpora de loco ad locum transferas, animis inuitis nullam vim inferes, nihilo magis quàm ſi lateres & ligna cogas vocem mittere. Ignis corporibus viuis magnos dolores excitat, non ſine pernicie; hunc tamen nos deſpicimus dum viui comburimur. Nullus rex, nullus princeps poteſt efficere, vt quicquam agamus preter animi ſententiam. Non ſumus Græcorum philoſophorum ſimiles, qui diu meditatas orationes recitant in celebritatum conuentibus, apud nos res à verbis non diſcrepant; res celeres & ſermones

Philo in libro, Quod omnis probus liber.
Ambroſius lib. 2. epiſt. 7.

 nes

nes breues, in virtute nobis libertas beata eſt: breui momento beatitudinem & felicitatem adipiſcimur. Qua me laude dignum Græciam petere poſcis, ſi poſſum cogi facere quod nolo? Vale. Præclara hæc, addit Ambroſius, verba, ſed verba: Præclara conſtantia, ſed viri: præclara epiſtola, ſed philoſophi.

Cicero lib 1. de diuinat. Calanus ille rogum ingreſſus Alexandrum breui poſt ſe moriturum prædixit, quod & factum eſt.

Rhodogi: l. 18. cap. 31. Morituro Calano, Alexander varia certamina inſtituit, gymnica nimirum & muſica, atque acratopoſiæ.

PTOLOMAEI PHILODELPHI AEGYPTIORVM REGIS QVAESTIONES LXXII. CVM RESPONSIONIBVS S. SCRIPTVRAE Interpretum, ex Commentarijs noſtris antiquis & nouis.

QVOD Ptolomæus Rex has quæſtiones partim de cognitione Dei, partim quoque de regni adminiſtratione, ſeptuaginta ſacræ Scripturæ interpretibus propoſuerit: & quòd ſinguli, tam Regi quàm reliquis Aegyptijs cumulatè ſatisfecerint: teſtatur Ioſephus libro 12. Antiquitatum, capite 2. & Vincentius lib. 6. Speculi cap. 17. & meus Ariſtas ediſſeruit.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quomodo regnum incolume ac ſaluum retineret vſque in finem?

RESPONSIO.

Si in tota gubernatione tua Dei æquitatem, manſuetudinemque imiteris: extollaſque & honores, vti par eſt, dignos; manſuetudine verò & longanimitate indignos ab improbitate ad pœnitentiam perducas.

OMnium ferè philoſophorum, qui de gubernanda republica diſſeruerunt, concors ſententia eſt: quod duabus potiſſimum rebus & domus ſingulæ, & vrbes, & imperia conſeruentur: laude nimirum præmioque bonorum, & improborum pœna. Solon enim vnus è ſeptem ſapientibus Græciæ, illam ciuitatem quàm optimè habitari aiebat, in qua viri boni honoribus afficerentur, & improbi pœna. Antiſtenes verò id ciuitates perdere dicebat, cùm nullum in ijs eſſet bonorum & malorum diſcrimen. Euripides quoque: Multæ, inquit, ciuitates in hoc laborant, quod qui bonus & ſtrenuus vir eſt, nihilo plus quàm deteriores accipit. Marcus etiam Cicero: Legibus, ait, propoſita ſunt ſupplicia vitijs, & virtutibus præmia: nec enim reſpublica vlla, nec domus ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec ſupplicia peccatis. Quanquam verò clementia & benignitas in primis commendatur in Principe, vt Vopiſcus in Auidio, & Lampridius in Alexandro pulcherrimè demonſtrant,

Vide q. 61.

Vide q. 4.

Homilia 52. in actus Apoſtolorũ. ſtrant, & benefacere ac prodeſſe proprium principis munus eſt, authore Chryſoſtomo: tamen publicæ tranquillitatis gratia ſic clementiam ſeueritate temperare oportet, vt omnibus in ſuo officio ſatisfiat, & alij beneuolentia quadam ad virtutis ſtudium ſemper accendantur: alij bonis rationibus & acrimonia permoti, reſipiſcant. Prudenter quidem & humaniter prius mali admoneantur: ſi verò nec optimis legibus rationibuſque, nec ſaluberrimis admonitionibus vel in officio retineri, vel ad mentem reuocari, poſtquam ſemel aberrauêre, poſſint: magnitudine pœnæ à maleficio ſubmouendi ſunt. Magna enim peccandi illecebra eſt, teſte Cicerone, peccandi licentia, & impunitatis ſpes. *Vide q 4. & 6.* Quod autem Dei exemplo vtitur, id pulchrè declarat Plutarchus: quod nimirum dij eos diu in ſceleribus viuere permittant, quos ſciunt aliquando pęnitentiam acturos: quos verò immedicabiles eſſe cognoſcunt, ſtatim reſcindant, vitaque deleant.

Miſericordia enim & veritas cuſtodiunt Regẽ, & roborabitur clementiâ thronus eius. *Prouer. 20.*

Pulchrum profectò, & hoc noſtro tempore perquàm neceſſarium eſt, quod olim Agapitus ad Iuſtinianum Imperatorem perſcripſit: Aequalis peccati reputa, iniuriam facere, & non prohibere: nam in republica etſi quis rectè viuat, ſi tamen ad ciuium ſuorum iniurias conniuet, apud Deum ſcelerum omnium ſocius iudicatur. Quare ſi duplici nomine probari vis, da operam, vt, te Principe, & pulcherrimis virtutibus ſint propoſita præmia, & ſceleratis factis ſupplicia. Quod iiſdem ferè verbis apud Gratianum, can. faciẽtes, diſt. 86.

& Syl-

& Syluium in librum primum Panormitani de geſtis Alphonſi regis repetitum extat, & à Cicerone libro primo officiorum, his verbis confirmatur: Qui nec defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat. Id cum in omnes Reges quadret, qui ad hoc præcipuè eliguntur, teſte Ambroſio, vt vitam corrigant, & prohibeant aduerſa: tum vel maximè principibus eccleſiaſticis conuenit, qui ad hoc bonorum ſuffragijs eliguntur, vt boni paſtores ſint, & animam ſuam ponant pro ouibus ſuis. Nullum verò crimen patitur is, qui nô prohibet, cum prohibere non poſſit. L. nullum crimen, ff. de Regu. Iuris. Quod vero mali prudentia & manſuetudine quadam ad pœnitentiam reducendi, non ſtatim ex iracundia opprimendi ſint, quæſtione 6. aperietur. Minimè tamen hic prætereundum eſt, quod illi imperium florentiſſimum ſemper conſeruârint, & ad poſteros quoq; tranſmiſerint, qui ſyncerum Dei cultum, veramque & orthodoxam religionem præ cæteris omnibus rebus conſeruârint atque defenderint: contrà vero facientes, omnibus malis & grauiſſima optimarum rerum perturbatione repleuerint: ſicut hiſtoriarum ſcriptores vno ore loquuntur, & ſacræ veteris teſtamenti ſcripturę apertè teſtantur, ac Aeneas Syluius in regno Bohemico declarat. Vnde Chryſoſtomus in caput primum Matthæi: Notandum, inquit, eſt, quod quicumque Regum placuerunt Deo, diutiùs regnauerunt, & proſperati ſunt, & inimicos eorum humiliauit Deus ſub manibus eorum. Quapropter Salomon tam diligenter præcipit, ne tranſgrediantur terminos anti-

In cap 13. epiſt. ad Romanos. Vide q. 17.

Prouer. 12.

antiquos quos poſuerunt patres eorum. Et Iſocrates ad Nicoclem regem: In deorum cultu ita facito, quemadmodum à maioribus præſcriptum eſt. Hinc & Iuſtinus Tyberio Imperium traditurus: Honora inquit Deum, & Eccleſiam eius, olim quidem heram & dominam, nunc vero matrem tuam. Diligite ergo ſapientiam, ô Reges populi, vt in æternum regnetis. DEI profectò numine, conſilio, voluntate regna naſcuntur, augentur, atque retinentur: eius mente atque ratione gubernantur, eius ope & auxilio fulciuntur: eius denique offenſione labuntur, & concidunt, atque delentur. Princeps igitur qui vult munere ſuo perfungi, commiſſumque ſibi Imperium aptè moderari: hoc ſtatuere cogitur, omnem regni fœliciter adminiſtrandi rationem, numinis placatione, atque Dei cultu contineri: nihilque maiori ſtudio ſibi procurandum, quàm vt toto animo in religionem incumbat: & caſtiſſimis precibus Dei opem efflagitet: omne tandem officium ſuum eſſe in religionis ſanctiſſimæ rationem conferendum. Rex enim, ſi verè regis nomen obtinet, cum id ſpectare teneatur, vt ciues beati ſint, & reſpublica florens: nihil profectò illi tantâ curâ prouidendum eſt, quàm vt omnes Deo pietatis cultu, fideique ſanctitate deuinciat, atque omnium animi religionis & ſanctitatis diſciplina imbuantur. Et vix quicquam magis ad boni Principis officium pertinet, quàm conſeruandæ & inſtaurandæ veræ religionis ſtudium. Quod intelligens Dauid, ſtatim regnum adeptus de reducenda arca, & extruendo templo piam cogitationem ſuſcepit: Recteque pronunciat: Dedit illis regiones gentium, & labores

Nicephorus lib. 17. cap. vlt. Sapientia cap. 6.

Vide 128. epiſtolam Baſilij.

Lib. 2 Reg. cap. 6 & 7.

Pſal. 104.

bores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Nam propterea iſto loco ſunt à Deo collocati, vt rempublicam ſuam, cætuſque hominum tueantur, & in vera religione, ſynceroque cultu retineant.

Quicunque ergò regni & reipublicæ tuendi, & conſeruandi ſtudio flagrant, immortalique gloria circumfluere concupiſcunt, non tam quid ſuaue atque iucundum videatur, opibuſque firmandis conueniat, quàm quid gloria Chriſti, quid diuina lex, quid ratio ſanctiſſimæ religionis poſtulet, cogitandum eſt. Omnes verò qui delitias, voluptates, opes, religioni anteponunt, dignitatemque ſuam dignitati Chriſti præferunt, ne aliquod pro Chriſto, eiuſque ſponſa Eccleſia, & religione Catholica periculum adeant: in maiores adhuc calamitates ferè incidunt, quas ne ſubirent, Chriſti gloriam hominum flagitijs imminui, & obſcurari permiſerunt. Iuſto enim Dei iudicio ſæpiſſimè fit, vt qui ſuam gloriam, gloriæ Dei anteponit: omni dignitate ſpoliatus intereat. Contrà verò qui præ Chriſti gloria opes atque dignitatem contemnunt: illi ſummas opes, & dignitatem multis ornamentis amplificatam conſequuntur: Chriſti ope atque auxilio rempublicam præclarè gubernant, omni ornamentorum genere illuſtrant, perturbatam conſtituunt: ſummum Deum, qui nunquam res ſuorum negligit, ſibi patronum adoptant: atque ita longè firmiore præſidio opes ſuas & dignitatem ſepiunt, quàm ſi maximo exercitu ſe ſtiparent, vt quæſtione octaua & 61. explicabitur.

Veteres

Veteres ſapientiſſimi viri, cum difficillimum & omnium maximum munus eſſe intelligerent, rectè imperare, & boni principis officio perfungi: triplici præſidio ſtatum illius fulciri affirmabant. Nempe bonorum hominum coniunctione, familiaritate & conſuetudine, de qua 4. quæſtione agetur. Deinde maximarum artium cognitione & diſciplina, de qua 31. quæſtione aperietur, & in primis religionis & pietatis, atque virtutis ſtudio. Antiquiſſimi poetæ, & philoſophi, diuinarumque & humanarum hiſtoriarum ſcriptores vno ore, velut pro lege, tradiderunt: Imperia ope diuina fundari, augeri, & ea quæ iam ſunt opibus ſummis amplificata, deleri: Vt appareat eũdem Deum, virtutis induſtriam, Imperij ornamentis amplificare, & ſuperbiam Imperio & potentia inſoleſcentem, de illo ſtatu iterum deturbare: & quod veræ religionis, & pietatis, iuſtitiæque & ſapientiæ cultura Imperium florens & diuturnum efficiat. Sicut infinitis exemplis demonſtrari poteſt: & in tractatu de Rom. Imperij origine, incremento, atque inclinatione, datâ operâ, perpurgaui.

Principum triplex præſidium.

Quæſ. 27.

Legum ergo, & rerum publicarum conditores, omne Iuris fundamentum in religione collocârunt. Etſi veram religionem ſæpe ignorabant: tolerabilius tamen eſſe crediderunt, ſpeciem aliquã religionis aſciſcere, quàm omnem religionẽ negligere. Qui enim aliquam religionem habet, quamuis ea ſit minimè ſapienter inſtituta, credit ſaltem omnia diuina mente & numine completa, & res humanas à Deo animaduerti. Ideoque Dei metu fidem colit, à flagitio & ſcelere ſæpè reuocatur: at qui nullam religionem colit, nec fidem ſer-

uat,

uat,nec humanitatem reuocat,ſed ſocietatem humanam dirimit,& ſtatum reip. intemperantia ſua peruertit.

Cum reges,& principes à Deo reliquis hominibus antelati ſint, & multis amplioribus beneficijs obſtricti: certè omne illorum ſtudium eſt ad religionem conferendum: quippe in quo omniū virtutum fons, & origo,atque incrementum, rectus animi ſtatus,& publica ſalus continetur. Solus Deus & Imperij conditor,& moderator. Non poteſt ergo Rex ſapienter & aptè regnum moderari,niſi ſummum illum regem caſtè veneretur, & colat. Præſertim cum ad hoc à Deo principes conſtituti ſint, vt pacem & tranquillitatem inter homines, ſacratiſſimamque Dei religionem, & ſyncerum cultum atque iuſtitiam tueantur, & conſeruent. Quod poſt Socratem, & Platonem Cicero in ſomnio Scipionis agnouit.

Princeps ergo munus diuinum in terris gerit, illiuſque ſummi atque ſempiterni Regis adminiſter & vicarius eſt. Ideoque Homerus Regum genus ad Iouem reuocabat: populorumque paſtores Iouis ſatu procreatos Reges affirmat. Nihil eſt magis regium, quàm ſtudium religionis & ſanctitatis.Regis enim virtus à Deo emanauit,& iccirco ad illius cultum,& gloriam eſt ardenti ſtudio precipuè referenda. Humana namque ex diuinis colligata pendent. Qui ergo diuina potiſſimum intuentur, humana etiam per ſe conſequentur. Si ad humana tantum,ſine vllo reſpectu ad res diuinas, attenderint: vaniſſima ſpe deluſi, tam diuinis quā humanis ſpoliantur. Humana prudentia diuino conſilio deſtituta,non tam prudentia quàm teme-

ritas appellāda eſt. Fons bonorum omnium Deus eſt: qui igitur Deum præcipuè reſpiciunt, omniaque vitæ ſtudia ad illius cultum conferenda putant, omnium bonorum compotes fiunt.

Duo ſunt hominis munera, vnum eſt intelligere, alterum agere: alterutrum qui ſine ope diuina fieri poſſe credit, Chriſtianæ pietatis ignarus eſt.

Multò minus Rex ſapienter regnum gubernare poterit, niſi Dei præſidium imploret, niſi ſe totum ad imitationem Regis illius ſummi atque ſempiterni contulerit. Quo fiet, vt cœleſti ſapientia repletus, & diuino præſidio ſuffultus, munus ſibi aſſignatum prudenter obeat, & omnia negotia regni cum ſumma felicitate conficiat. Quare Deus in lege Moyſis præcipiebat Regibus, vt legem deſcriberent, vt firmiùs eorum memoria hæreret, atque eam perpetua mente recolerent, & ſic numinis metu ſe ab omni flagitio continerent; & ita facilius luce diuina fruerentur. Ioſue verò Moyſis
Ioſue 1. ſucceſſori ait: Ne recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias ac facias omnia, quæ in eo continentur. Quæ non illi tantū ſanctiſſimo principi Deus præſcripſit, ſed omnibus, qui ritè officio ſuo fungi, & populum ſapiēter gubernare volunt: vt perpetuò Deum reuereantur, & colant, eiuſdemq; veram religionem conſeruent.

In principe tria hæc neceſſariò requiri probat Ia. Menochius, lib. de arbit. Iudic. q. 7. Religionis cultum, ſapientiam, & potentiam: M. Cicero pro lege Manilia, de laudibus C. Pompei dicturus, inter cæteras virtutes Pompeio felicitatem in bello, qua

quæ Imperatori neceſſaria ſit, attribuit.

Dei enim cultor & amator rex, nunquam erit diuina ope atque auxilio deſtitutus, ſed ſplendore diuinæ ſapientiæ illuſtrabitur: ſi fremant vndique bella, omnia contra illum caſtra conſurgant, in totius mundi confuſione diuinam conſtantiam retinebit, cœleſti clypeo protegetur, & quæ alijs impoſſibilia videntur, facillimè felliciſſimeque conſequetur.

Deus talibus præbet fortitudinem, & pugnat pro illis, cumque omnia auxilia deficiant, diuinū auxilium reſtat. *2. Paralip. 16. & 20.*

Subditos quoque obſequentiſſimos habent: Nam ſolus Dei timor cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. *Lactant. de ira Dei. c. 12*

Memorabilis Dei vox eſt: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contempſerit me, erit ignobilis. *L. 1. Reg. 2.*

Diuinæ & humanæ hiſtoriæ profitentur: illas reſpublicas, quæ veram religionem, & iuſtitiam, atque pietatem coluerunt, tantiſper floruiſſe, dum eam ſanctè conſeruarent: vbi primùm Dei cultus negligi, leges conculcari, iura perfringi cœperunt: Imperium ipſum labi cœpiſſe, atque tandem extinctum fuiſſe. Sic Athenæ Imperij naufragium fecerunt, ſic Lacedæmon pœnas dedit: ſic Carthago cecidit, aliæque infinitæ vrbes veterem maieſtatem amiſerunt. *Vide queſt. 21 & 24.*

Sacræque literæ dirum exitium omnibus gentibus denunciârunt, apud quas illa, quæ prædixi, negligerentur.

Ideoque multa potentiſſima regna, multas florētiſſimas ciuitates à paruis hoſtibus mirabili modo in-

do inuaſas, atque euerſas accepimus: iſtarum ciuitatum potiùs iniquitate, quàm hoſtium virtute. Sic enim à Deo conſtitutum, atque à natura comparatum eſt; vt quod virtute partum fuit, obſcuretur flagitijs, quod acquiſitum induſtria, hoc ignauia amittatur. Ob contemptam veram religionẽ, neglectumque ſyncerum Dei cultum, Iudæi à Deo mirificè affligebantur: cum eam reſuſcitaſſent, Deus eos liberauit.

Iudic. c. 10. & ſeq.

Michas dicebat: Scio quod benefaciet mihi Dominus, cum habeam apud me Leuitici generis ſacerdotem. Arca veteris teſtamenti apud quem cuſtodiebatur, diues fiebat.

Iudic. 17. 2. Reg. 6. 1. Paral. 13.

Sub pijs & religioſis Iudicibus atque Pontificibus vniuerſa reſpubl. Iudæorum floruit: ſub impijs verò atque peruerſis afflicta eſt. Sicut hiſtoria lib. Iudicum atque Regum teſtatur.

1. Reg. 7. Quam diu Samuel Propheta gubernabat, Iſrael in altiſſima pace florebat.

2. Reg. 8. Dauidem quoque Regem in omnibus fortunabat Deus. Ideoque moribundus Dauid ad filium *1. Paral. 22.* Salomonem aiebat: proficere poteris, ſi obſerues mandata, atque Iudicia quæ præcepit Moyſes.

Et Salomon parentis præcepto obediturus, à *L. 1. Paral. c. 23. & l. 2. cap. 3.* Deo ſapientiam precatur. Dei templum glorioſiſſimum extruxit, religionem amplificauit, viginti quatuor millia Leuitarum conſtituit.

Cyrus Perſarum Monarcha omnia regna ſe à Deo habere fatetur: ideò ad Dei cultum conuertitur, templum Hieroſolymitanum euerſum reſtitui mandat, vaſaque & munera ablata reddit. Quare ob pietatis & iuſtitiæ ſtudium, glorioſus à Deo effectus eſt, & à Daniele propheta meruit erudiri.

L. 1. Eſd. c. 1. & 2.

Illam

Illam templi reſtaurationem vicini populi impedire conabantur per calumnias, ſed Darius Rex Cyri mandata confirmat. 2 *Eſd.6.*

Cyri filius Cambyſes fratrem ſuum interemit, ſororem vxorem duxit, & poſt tyrannicè ſtrangulauit, Iudæos vexauit, atque tyrannum egit: & intra primum annum Regni turpiter perijt. Sardanapali luxus, Imperium Aſſyriorum: Adulterium, Troianum regnum euertit.

Quid Nabuchodonoſori, atque Balthaſari ob contemptam & profanatam religionem acciderit, liber Danielis Prophetæ commemorat. Iurauit Dominus Dauidi, Regi Iſraëlis: Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea, ipſi & filij eorum ſedebunt ſuper ſedem tuam, vſque in ſeculum ſeculi. *Pſal. 132.*

Et per Nathan prophetam illum ſic affatus eſt: Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populum meum Iſraël, & fui tecũ quocunque ambulaſti, & interfeci omnes inimicos tuos, fecique tibi nomen, & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnũ eius, & ſtabiliam thronum regni, vſque in ſempiternum. Diligentiam & curam illius erga religionem vide. 1. Paralip. 15. 23. & ſeq. lib. 2. c. 5. Cum adulterium perpetraſſet Dauid, idem ille Nathan propheta ſic eum alloquitur: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vnxi te in regem ſuper Iſraël, & erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſraël, & Iuda, ſiue parua ſint iſta, adijciã tibi multò maiora. Quare ergo contempſiſti ver- *2 Reg 7.* *2. Reg. c. 12.*

bum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo? Quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in æternum: eò quod deſpexeris me, ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum eis in oculis ſolis huius. Tu feciſti abſcondirè, ego notum faciam in conſpectu omnis Iſraël. Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propterea filius, qui natus eſt tibi, morietur.

Non ſolùm autem mortuus eſt ille puer, ſed lõgè maiora mala Dauid exercuerunt.

2.Reg.13. Primogenitus ſuus filius Ammon, quem valdè amabat Dauid, ſorori ſuæ Thamar fœdum inceſtum attulit.

Quam ob cauſam Abſolon, frater Thamar, Ammon trucidauit.

2.Reg.15. Abſolon patris regnum affectat: Dauid flens, nudis pedibus, & aperto capite fugam capit.

2.Reg 16. Et ad concubinas patris ſui Dauidis, Abſolon ingreditur.

Rurſus Dauid per ſuperbiam numerari populum pręcepit. Mittitur ergo ad illum Gad Propheta dicens: Trium datur tibi optio, aut ſeptem annis
2.Reg. vlt. veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & ipſi te perſequentur, aut ſaltem tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Elegit Dauid peſtem, & mortui ſunt ſeptuaginta millia virorum.

Pſal.2. Omnes igitur Reges & principes ad Dei timorem adhortatur: Vos Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne fortè iraſca-

mur

tur Dominus,& pereatis de via iuſta. Regna terræ cantate Deo, & pſallite Domino. *Pſal. 68.*

Salomon filius & ſucceſſor Dauidis diligebat Deum,& ambulabat in præceptis patris ſui: apparuit ergo illi Dominus per ſomnium nocte, dicẽs: Poſtula à me quicquid volueris,vt dem tibi. Salomon poſtulat cor docile,& ſapientiam à Deo. Dixit ergo Dominus: Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit in regibus terræ. Et ſi ambulaueris in vijs meis,& cuſtodieris præcepta mea, ſicut fecit pater tuus,longos faciam dies tuos. *L.3.Reg.3.*

Omnes reges & reginæ admirabantur ſapientiam Salomonis,& ſuſpiciebant illum, & munera maxima offerebant illi. Familiamq́ue & menſam incredibilem alebat, tantaque fuit abundantia argenti in Hieruſalem,quanta lapidum: & diſputauit de natura lignorum,iumẽtorum, volucrum, reptilium,& piſcium ſapientiſſimè. Etſi libros illos Deus extare noluit. Habitabatq́ue Iſraël & Iuda abſque vllo timore vnuſquiſque ſub vite atq; ficu ſua. *3.Reg.4.10.*

Extructoque templo Domini,& regia ſua, iterũ apparuit ei Dominus, dicens: Si ambulaueris coram me,ſicut ambulauit pater tuus in ſimplicitate cordis,& in æquitate, & feceris omne quod præcepi tibi, & iudicia mea ſeruaueris, ponam thronum regni tui,ſuper Iſraël in ſempiternum, ſicut promiſi Dauid patri tuo: ſi autem auerſione auerſi fueritis vos, & filij veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea, & ceremonias quas propoſui vobis, ſed colueritis Deos alienos,& adoraueritis eos, auferã Iſraël de ſuperficie terræ,

quam dedi eis,& templum quod ſanctificaui nomini meo,proijciam à conſpectu meo, eritque Iſraël in prouerbium, & in fabulam cunctis populis,& domus hæc in exemplum erit. Omnis qui tranſierit per eam, ſtupebit, & ſibilabit,& dicet: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt dominum Deum ſuum, & ſecuti ſunt Deos alienos, iccircò induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc.

Et 3. Reg. cap. 9.

Poſtquam Salomon mulieribus paganis & idololatris contra Dei præceptum ardentiſſimo amore copulatus, idola earum venerabatur, eiſdemq; ſana extruebat, iratus eſt Dominus Salomoni, & dixit illi: Quia habuiſti hoc apud te,& non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta quæ mandaui tibi,dirumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo: veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui ſcindam illud: nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum, & Hieruſalem quam elegi.

3. Reg. 11.

Diuerſoſque inimicos excitauit Deus, qui contra Salomonem rebellârunt, & Ieroboam dedit decem tribus Iſraëlis.

3. Reg. 11. & 12.

Vnde liquet,quòd libido,& impietas, atque ingratitudo perdiderunt Salomonem.

Ad Hieroboam ait Dominus per prophetam: Te aſſumam,& regnabis ſuper omnia quæ deſiderat anima mea, eriſque Rex ſuper Iſraël. Si audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis,& feceris quod rectum eſt coram me,cuſtodiens mandata & præcepta mea, ſicut fecit Dauid

3. Reg. 11.

uid

uid ſeruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, ſicut ædificaui Dauid, & tradam tibi Iſraël, & affligam domum Dauid ſuper hoc. Poſtea verò Achias Propheta illi reſpondit: Ego te exaltaui, & feci te ducem ſuper populum meũ Iſraël; tu operatus es malè ſuper omnes qui ante fuerunt, & feciſti Deos alienos conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proieciſti poſt tergum tuum; iccircò ecce ego inducam mala ſuper domum Hieroboam, & percutiam mingentem ad parietem, & nouiſſimum in Iſraël, & mũdabo reliquias domus Hieroboam, ſicut fimus mundari ſolet, vſque ad purum. Qui mortui fuerint de domo Hieroboam in ciuitatibus, eos comedent canes: qui autem mortui fuerint in agro, illos comedent aues cœli. *l. 3. Reg. c. 14.*

Ezechias Rex Deum venerabatur, idola ſubuertit, veram religionem reſtituit: curauit ergo illum Deus à graui infirmitate corporis, & Dominus erat cum eo, & de hoſtibus, qui ſub impijs Regibus Iſraëli dominabantur, glorioſè triumphauit: effecitque illum Deus diuitem, & inclytum valde. Sed quia legatis Babyloniorum omnem ſuppellectilem, omneſq́; theſauros Regios ſuperbè oſtenderat: Audi, inquit Iſaias Propheta, ſermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vſque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quicquam, filij tui erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis. *l. 4. Reg. c. 18. & ſeq. 2. Paral. c. 32. 4. Reg. 20.*

De Ezechiæ Regis filio Manaſſe legitur: Quia Manaſſes fecit abominationes peſſimas, & peccare fecit etiam Iudam in immunditijs ſuis, propterea *l. 4. Reg. c. 21.*

rea hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego inducam mala ſuper Hieruſalem & Iudam, vt quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius, & extendam ſuper Hieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab, & delebo Hieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ. Dimittam verò reliquias hęreditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius, eruntque in vaſtitatem, & rapinam cunctis aduerſarijs eius. Ipſeque Manaſſes cathenis ferreis ligatus in Babylonem abductus eſt: ſed poſtquā abiecta falſa religione veram inſtaurauit, à Deo in regnum reſtituitur.

4. Reg. 21. & 22. 2. Paral. c. 33.

2. Paralip. cap. 14. Sub Aſapio rege, regnum Iudæorum floruit, & amplificabatur, pacem Domino largiente.

2. Paral. 14 Ioſaphat pietas & religio fecerunt glorioſum.

4. Reg. 9. Ieſabel impia & iniuſtiſſima regina, quæ maritum Achab regem Iudęorum ſeduxerat, & innocētem Naboth per falſos teſtes occiderat, vt bona illius vſurparet, à canibus deuoratur.

2. Paral. 21. Ioram Rex Iuda optimo patri Ioſaphat ſucceſſit, ſed ab vxore ſua, filia Regis Achab ſeductus, religionem peruertit, fratres interemit, tyrannus euaſit: ſed multi à regno defecerunt, ipſe à Deo infirmitate peſſima percuſſus, ſubditis viuus & mortuus execrabilis fuit.

4. Reg. 10. Iehu Regi ob pietatem addicitur regnum in quartam generationem. Ille enim Baal deſtruxit, templum eius latrinam effecit, ſacerdotes ipſius aſtu occidit.

4. Reg. 23. Ioſias ſuſtulit idola, quædam ſepulta combuſſit, legemque Dei reſtituit, ideoque fœliciſſimus fuit.

Quia diligit Deus Iſrael, & vult ſeruare in æter-

ternum: iccircò propoſuit te ſuper eum regem, 2. *Paral.* 9.
ait Regina Saba ad Salomonem.

Quod religio omnibus rebus proponenda ſit, omniaque à cultu & inuocatione Dei inchoanda, in tractatu de religione demonſtraui.

Lactantius Firmianus non abs re miratur, qd' *lib.* 2. *c.* 1.
Deus, qui ſolus coli debebat, in tantam apud homines obliuionem venerit, vt ferè totus negligatur. Mutataque religione, aurei ſeculi felicitatem *l.* 5 *c.* 5.
quoque mutatam affirmat. Ex ſyncero cultu Dei omne bonum hominibus prouenire, affirmat diſertiſſimus ille Iudæorum Philo, in tractatu, quod deterius potiori inſidietur. Hoc præcipuum Principis munus eſſe, vt pura conſeruetur religio, per quam Deus propitiatur, quod ſine propiciato Deo reſpubl. rectè adminiſtrari non poſſit, probat Mar. Salomon libro 2. de principatu. Diuinum numen ob ſpretam neglectamque religionem hominibus iraſci poetæ atque philoſophi agnouerunt: dum Deos Troiam amicam ciuitatem deſe- *August. l.* 3
ruiſſe, atque ob adulterium Paridis euerti paſſos *c.* 3. *de ciui-*
fuiſſe commemorant. *tat. Dei.*

Perſius Satyr. 2. Iuuenal. Satyr. 11. & 14. aſſeuerant, tunc Deos reipub. magis propitios fuiſſe, cũ puriore religione colerentur, vbi de Iudæis loquens ait:

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem, *Iuuenalis*
Nil præter nubes, & cœli numen adorant: *Satyra* 14.
Iudaicum ediſcunt, & ſeruant, ac metuunt Ius,
Tradidit arcano quodcunq; volumine Moſes.

Vnde Virgilius in Bucolicis.

A Ioue principium, Iouis omnia plena. *Egloga* 3.

Aenead. 1. *At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.*
& Aenead. 2. *Heu nihil inuitis fas quemque eſt fidere diuis,*
Quid tantum inſano iuuat indulgere labori?
O dulcis coniunx, non hac ſine numine Diuûm
Eueniunt.

Aenead. 6. *Si te fata vocant, aliter non viribus vllis*
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro,
Vicit iter durum patriæ.

Et Aeneas in libro Maphæi ad Turnum â ſe occiſum, quod Dijs repugnaſſet:

Diſce Iouem reuereri, & iuſſa faceſcere Diuûm,
Magnum etenim capit ira Iouem, memoreſq; malorum
Sollicitat vindicta Deos.

Horat. lib. 3. carm. Ode. 6.

Delicta maiorum immeritus lues.
Romane, donec templa refeceris,
Aedeſq; labentes Deorum, &
Fœda nigro ſimulata fumo.
Dijs te minorem quod geris, Imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum:
Dij multa neglecti dederunt
Heſperia mala luctuoſa.

Quanquam Deus gentium idola aboleri præceperat: tamen qui temerè hoc fecerant, grauiter à Deo propter violatum Numen puniti fuerunt. Sicut in Adagio, Aurum Tholoſanum habet, videre eſt. Quàm exitioſum fuerit Balthaſaro & Antiocho, quod templum & fana ſacra profanaſſent, Danielis, & Machabæorum hiſtoria declarat.

L.7.D.

Digitized by Google

L.7.D.de officio proconſulis mandatur, vt proconſul veniens in vrbes inquirat: an ſarta tecta ſint, an aliqua reformatione indigeant? Appius Claudius cenſor, cum ſacra Herculis ad ſeruos retuliſſet, quarum Potitij & Sinarij Pontifices eſſe debebant, irâ Deorum luminibus orbatus eſt, & Potitiorum gens, quæ ſacra prodiderat, intra vnius anni ſpatium extincta fuit. *Feneſtella de ſacerdo. Ro.c. 2. Pomp.Latus cap 3. Lactan. lib. 2 cap 8.*

Quicunque veram religionem coluerunt, fœlices & glorioſi fuerunt: contra facientes, infœlices & inglorij. quæſt.24. Piè regnum adminiſtrantes ſpem à Deo præclaram habent: quæſt. 50. Honor & regnum virtute & pietate conſeruatur, ideoque Deum colere, ac venerari, non ſolùm Regi, ſed omnibus hominibus glorioſum eſt, quæſt. 30. 50.58.60. Superbia reddit inglorios, quæſt.57.

Tertullia. in Apologetico contra gentiles. Aug. in libris de ciuit. Dei. Euſeb. lib.8.c.13.& 14. Rom. Imperium tranquillum & fœlix fuiſſe demonſtrant, quando veram Chriſtianam religionem fouebant: ſed cum eam perſequerentur, remp. grauiter perturbatam fuiſſe.

Conſtantinus Magnus quod ſublatis idolis veram religionem tueretur, domi & foris fœlix & longæuus fuit, & filios poſt ſe Cæſares reliquit. Alijs quibuſdam Chriſtianis Imperatoribus illa fœlicitas non contigit: vt diſcerent, non propterea Chriſtiani eſſe, vt in hoc mundo fœlices eſſent, ſed Chriſtiani fierent, vt rectè imperarent, & vitam æternam conſequerentur. *Auguſt. l.5. cap.25 ciuitat. Dei.*

Babylonij cum Danielem odiſſent, ſed nullam in eo culpam inuenirent, ex cultu veræ religionis calumniabantur, vt in Lacum leonum truderetur. *Daniel.c.6.*

Sub

2.Reg c.15. Sub religionis prætextu Abſolon regnum affe-ctauit, Nam 200. viros adduxit ſecum, quaſi ad ſa-crificium.ignaros rebellionis.

Hieroboam per falſam religionem regnum ſta-bilire conabatur, ne populus amore veri cultus, ad Hieruſalem ventitaret: ſed per hoc regnum perdidit. Cumque ipſe in eo peccaſſet, & populo idololatriæ anſam præbuiſſet, tota illius familia prorſus extincta eſt.

3.Reg. 14. & 15.

Vnde multi exemplum capere poſſunt: quod politica illa ſapientia cum Deo iocari, miſerabi-lem exitum habere ſolet. Deus non irridetur. Me-moratu quoque dignum eſt, quod Ioſue 22. legi-tur: Ruben, Gad, & Manaſſe dedit Moyſes ſortem ſuam cis Iordanem, ab initio victoriæ; voluit ta-men vt ſequerentur viri bellatores fratres ſuos, donec & ipſi ſuas ſortes acciperent. Reuerſi ergo in ſuas ſedes, Ruben, Gad, & Manaſſe, ædificârunt altare magnum; putauerunt aliæ tribus Iſraël, quod hæreſim vel idololatriam vellent inchoare, ergo ſtatim cõtra eos pugnare voluerunt; ſed pri-us miſerunt legatos, ſacerdotem, & decem princi-pes cum eo, qui cauſam interrogarent. Nihil e-gerunt temerè contra non auditos. Cumque in-tellexiſſent, quòd pio zelo altare extruxiſſent, vt illa cæremonia poſteris ſuis exemplum doctrinæ, & teſtimonium veritatis relinquerent; laudaue-runt eos. Quod olim apud Priſcos, cum parua ad-huc eſſent regna, & homines vtcunque boni, Re-ges cum maieſtate regia, ſacerdotij dignitatem coniunxerint, religionîſque & ſacrorum curam armis ſociârint, ijdemque & Iudices, & oratores, & Imperatores, & ſacerdotes extiterint; poſtea ve-rò cum

rò cum regna excreſcerent,& amplificarētur, hominesq; malitioſi & vafri euaderent, vt vnus vtrique muneri vacare nequiret, neceſſariò ſacerdotis officium à Regio munere diſtinctum fuit, vt alterum alterius ope firmaretur, Regumq; inſolentia ſacerdotij pietate & religione frenaretur: & peſſimè tunc regibus ceſſiſſe, ſi ſacris nimium ſeſe immiſcerent,& quid in rebus ſacris Regi permiſſum atq; prohibitum ſit: qualemque in religionis negotijs ſe prębere debeat, ne ſit vel ſuperſtitioſus, vel profanator, ex profeſſo differit Hieron. Oſorius lib. 7. de inſtitutione Regis.

QVAESTIO. II.

Quomodo rectè omnia inſtitueret perageretq;?

RESPONSIO.

Ita demum ſingula rectè perages, ſi quod iuſtū eſt erga omnes conſerues, perſuadeaſque tibi omnem cogitationem Deo notam eſſe: & in primis ſi cum Dei timore omnes actiones tuas inchoës, nuſquam aberrabis.

Quia ſuperiori quæſtione didicerat, vnicuique pro ſuis meritis neceſſariò tribuendum eſſe, quæ virtus vno nomine iuſtitia vocatur: nunc quo potiſſimum id modo fieret, ex vera Hebræorum philoſophia diſcere cupit. Eſt enim iſta virtus omnium ferè reliquarum domina & regina, ſine qua nec illi quidem, qui ſcelere & maleficio paſcũtur, vt Cicero in Officijs loquitur, poſsũt viuere. Quę ſi exerceretur, nec fortitudinem requiri Ageſilaus aiebat. Veteres ita loquuntur & docent, abſque iuſtitia principatum recte gerere, ne Iouem quidem ipſum poſſe. Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Abominabiles, inquit Salomō, Regi, *Auguſt. l. 4. c. 4. Ciuit. Dei.*

Prouerb.16 Regi, qui agunt impiè: iuſtitiâ firmatur ſolium. Corona dignitatis ſenectus, quę in vijs iuſtitiæ reperietur. Quòd autem Ptolomæus rex iuſtitiæ ſtudioſus fuerit, & iniuſtitiæ oſor, ex epiſtola, quam ad Eleazarum dedit, perſpicitur: vbi ſignificat, ſeſe iniuſtè oppreſſos Iudæos multo auro redemiſſe. Quare & Eleazarus eum in ſua epiſtola regem iuſtiſſimum vocat.

Quòd iuſtitia principibus perquàm neceſſaria ſit, ideoque eam ante omnia colere debeant, 15. reſpondit. Iniuſtitiam verò priuationem vitæ, 18. appellat. Hanc Dei munus eſſe, 63. affirmat. Quare in Iuſtitiæ ſtudio omnes principum curæ, cogitationes, labores, & vigiliæ conſumendæ ſunt. Ea namque à principio Reges creauit, & ornauit, & ad ſummam amplitudinem decoris atque dignitatis euexit: ea populorum vulnera ſanat, motus omnes comprimit, pacem & otium conſtituit, vires reipub. firmat, opes & Imperium auget. Nulla gens, nulla ciuitas, nulla domus, ſine iuſtitia conſiſtere poteſt. Hęc cœlum terræ deuincit, ima ſummis amore coniungit. Qui iuſtitiam colunt, Deo chari ſunt, opibuſque diuinis augentur.

Quod ſi omnibus qui beati eſſe volunt, iuſtitia vnicè colenda eſt, multò certè magis regi, cui hoc munus impoſitum eſt, vt non ſolùm ipſe iuſtus ſit, ſed vniuerſam rempub. iuſtitiæ ornamentis afficiat, & tanquàm ſol in mundo, iuſtitiæ & æquitatis ſplendore coruſcet. Deus iuſtos amat, & iucundiſſimis bonis afficit, quæſt. 15. & 18. Iuſtitia regnum florens & diuturnum efficit, quæſt. 9. & 8.

Quòd iuſtitia ſit virtus regia, regibuſque in primis neceſſaria, & quomodo reges in Iure dicendo verſa-

verſari, incorruptoſque Iudices conſtituere deceat, quæſt. 72. dicetur. De iuſtitiæ veræ & falſæ, diuinæ & humanæ origine, progreſſionibus, & incremento, de cauſa efficiente, materiali, forma, & fine, atque effectis in tractatu de iuſtitia ediſſerui.

QVAESTIO III.

Qualiter accipere & retinere poſſet ſibi animis conſentientes amicos.

RESPONSIO.

Si videant te magnam curam habere ſubditorum: quod tu ita facies, ſi conſideres, quomodo Deus humanum genus adiuuet, qui valetudinem ipſis, alimenta, victum, cæteraque omnia in tempore ſuo præparat.

Quoniam princeps, Dei quædam imago eſſe apud veteres prædicatur: non abs re Iudæorum ſapientes Regem crebrò ad Dei exemplum reuocãt. Vehementer id Regi ciues conciliat, amicoſque plurimos facit, ſi operam det, vt reſpublica ſit quã florentiſſima, beatiſſimiq; ciues: ſi declaret, ſe prodeſſe omnibus, pauciſſimos lædere velle: nullã pro communibus commodis pericula, nullas inimicitias, tempeſtates, clades ſubire detractet. Si talem ſe gerãt ergã ſuos ciues, qualem ipſe Regem deſideraret. Si benignus, & clemens, aff. bilis, comis, iuſtus, æquuſque fiet: Vehementer enim populus permouetur, authore Cicerone, Sermone blando, & oratione benigna, liberalitate, affabilitate, iuſtitia, morumque facilitate. *lib. 2. offic.*

Alphonſo Aragonum Regi incredibilẽ authoritatem, maximùmque fauorem comparaſſe ſcribit Panormitanus, quòd non verbis tantum, ſed re ipſa declarabat, velle quidem ſe pro republica, ſi

tempus poſtularet, pro amicis, pro ciuibus, opes vitamque profundere. Cumq; increbuiſſet, eum agaſoni cuidam, vt aſinum ex luto retraheret, proprijs manibus opẽ tuliſſe: multos feroces populos vna illa re, quæ ſummæ pietatis & maximi erga ſubditos amoris argumentum erat, ſibi cõciliauit.

Quàm neceſſarium verò Principi ſit, vt beneuolos atque amicos ciues habeat, 23. & 53. docebunt. Verum quidem hoc eſt: Vulgus amicitias vtilitate probat: ſed iniquis artibus acquirere quod largiatur, nõ licet: & alteri eripere quod alteri detur, iniuſtum atq; indignum eſt. Vnde Cicero libro 2. officiorum: Nulla re conciliare facilius beneuolentiã multitudinis poſſunt ij, qui reipublicæ præsũt, quàm abſtinentia & continentia. Qui verò populares eſſe volunt, ob eamque cauſam aut agrariam rem tentant, vt poſſeſſores pellantur ſuis ſedibus, aut pecunias creditas condonandas creditoribus putant, ij labefactant fundamenta reipublicæ: concordiæ primum, quæ eſſe non poteſt, cùm alijs adimuntur, alijs condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuiq; nõ licet. Atq; in hac pernitie reipublicæ ne illam quidem conſequuntur, quam putant gratiam. Nam cui res eripitur eſt inimicus: cui datur occultat ſuum gaudium, ne videatur non fuiſſe ſoluendo. Nec ſi plures ſint illi, quibus improbè datum eſt, quàm ij quibus iniuſtè ademptum: iccircò plus etiam valent: nõ enim numero hæc iudicantur, ſed pondere. Ac propter hoc iniuriȩ genus Lacedemonij Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin regem, quod nunquam antè apud eos acciderat, necauerunt. Quid? noſtros Gracchos Tyberij Gracchi ſummi viri

viri filios, Aphricani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? Philippus Magnus Macedoniæ Rex Alexandrum filium verbis caſtigaſſe legitur, quòd muneribus ſibi quoſdam conciliare niteretur. Eoſne, inquiens, tibi fideles fore putas, quos pecunia corrumpis? vt ſcribit Cicero libro 2. Officiorum. Similia refert Ambroſius lib. 2. Officiorum cap. 23. & 24. *Vide q. 23. & q. 11.*

Si ergo iuſtitiam, continentiam, virtuteſque reliquas ſibi amicas reddat: ac ſeipſum regere diſcat, quod 17. & 21. reſpondent: infinitos homines arctiſſimo amoris vinculo breui coniunctos habebit.

Nam humanitate, & beneuolentia, atque virtutibus non amicos tantùm, ſed diuturna etiam Imperia acquiri probat Ambroſius lib. 2. Offic. cap. 7. 9. 21. 23.

Cicero in libro de Petitione conſulatus hac potiſſimum via ad honores & magiſtratus conſcendi affirmat; ſi qui eos appetit, fauorem ſibi, beneuolentiamque conciliet.

Qui volunt firmum eſſe ſolium, hilaritate & gratia vultus plenos exhibeant: ne per arrogantiã rigidi plebis odium incurrant. Raba: ad Prouerb.

Conuenit Regibus atque principibus qui ſe charos vniuerſis eſſe ſtudent, faciles aditus habere, multa ſigna benignitatis oſtendere, homines nominatim appellare, dare ſigna lętitiæ cùm eos in fœlicitate verſari vident, præ ſe ferre mœſtitiã, cùm incommodis vexatos animaduertunt, beneficiorum gratiam ipſis referre.

Illa ad amorem alliciunt atque inuitant, quod 21. confirmat.

Humilitas quoque beneuolentiæ conciliatrix eſt, vt ſe quis ſi non inferiorem, ſaltem ne ſuperiorem alijs efficere conetur, reſpondet. 48.

De Abſolon filio Dauidis Regis narrat Scriptura ſacra, quod cum ille regnum patris affectaret, mane ſteterit iuxta introitum portæ, in via, & quibuſcunque erat negotium apud regem, humaniſſimis verbis allocutus fuerit, ſeque eis auxilio futurum promiſerit, vt facile & iuſtum iudicium conſequerentur: manum porrexerit, & oſculatus ſit. 2. Reg. c. 15.

Quantopere neceſſaria ſint Principi amor & beneuolentia ſubditorum, quæſtio 23. & 53. docet. Superbiam, contemptus & vituperationes ſequũtur, & aſperitate multi offenduntur. q. 57. Socrates percunctãti, quomodo bonam famam haberet, reſpondit: Si talis eſſe ſtudeas, qualis haberi vis. Ageſilaus verò: Si loqueretur optima, faceret honeſtiſſima. Antalcides: Si loquatur iucundiſſimè, præſtet vtiliſſima.

QVAESTIO IIII.

Quomodo in iure dicendo, ferendiſque ſententijs, laudem & approbationem conſequeretur, etiam apud illos, qui voti ſui compotes non fierent.

RESPONSIO.

Si omnibus te æquum præbueris, & nihil vel ſuperbè vel pro tua potentia egeris contra delinquentes. Hoc autem ita facies, ſi Dei gubernationem conſtitutionemque obſerues: qui dignis vota ſua perficit: quos autem votorum ſuorum participes fieri non vult, illis aut per inſomnia, aut factis & actionibus ipſis oſtendit, ipſorum vota eſſe

noxia: neque eos vel pro ipſorum delictis, vel pro ſuæ potentiæ magnitudine affligit, ſed æquitate erga omnes vtitur.

Qualiter iuſtitia, atque virtutes Principi beneuolentiam concilient, quæſtione præcedenti dictum eſt. Quod in cauſis dijudicandis, & iure dicundo rectè verſari oporteat, quæſtione 72. aperietur. Nunc de pœnis diſciplinaque pertractabo. Præclarum eſt illud Iſidori apud Gratianum: Factę ſunt leges, vt earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas. Nam: *diſtinct. 4.*

Oderunt peccare boni virtutis amore:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Grauiſſimeque rempublicam perturbat, boniſque omnibus nocet, qui malos non punit, vt quęſtione prima declaraui. Ideoque Boërius inter præcipuas ſeditionum cauſas refert, ſi peccata maneát impunita, in tractatu de ſediosis. Chryſippus os, & oculos, vultumque iuſtitiæ ſeueris atque venerandis verborum coloribus depinxit. Facit quippe imaginem iuſtitiæ, fierique ſolitam eſſe dicit à pictoribus atque rhetoribus antiquis, forma atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate. Quod iudicem, qui iuſtitiæ antiſtes eſt, oporteret eſſe grauem, ſanctum, ſeuerum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos immiſericordem, atq; inexorabilem, erectum, arduum ac potentem, vi & maieſtate ęquitatis veritatiſque terrificum. Rectè virgo pingitur iuſtitia, vt incor- *Gellius l. 14 cap. 4.*

 rupta

rupta ſit, & nequaquam concedat maleficis, nec blandis ſermonibus moueatur, nec deprecationes, laudem vel adulationem admittat: ſed quæ conſtantem habeat vultum, intentum, vt impijs terrorem, probis fiduciā inijciat. Sicut Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribit, magiſtratum geſtare gladium ad laudem atque defenſionem bonorum, & pœnam malorum.

Cap. 13.

Lib. 14. c. 4.

Etſi delicatiores quidam philoſophi, teſte Aulo Gellio, ſeuitiæ iſtam imaginem eſſe, non iuſtitiæ dixerunt. Veteres Romani octo præcipua ſuppliciorum pœnarumque genera habebant: damnum, vincula, verbera, taliones, ignominiam, ſeruitutē, exilium, mortem. Quibus vt in improbos animaduerterent, tribus maximè cauſis adducebantur. Quarum prima à Græcis νȣθεσία vel Κόλασισ dicebatur, quæ caſtigandi emendandiq́ue gratia fit, cum pœna adhibetur, qui fortuitò deliquit, vt attentior fiat correctiorq́; eam Plato in Protagora εὐθύνην directionem, reductionemq́ue in viam nominat. Altera cauſa pœnarum erat, vt dignitas auctoritaſque eius qui iniuria afficiebatur, conſeruaretur: ne prætermiſſa animaduerſio, contemptū eius pareret, honoremq́ue eleuaret: quam ſpeciem Græci propterea τιμωρίαν, quaſi honoris conſeruationem, dixerunt. Tertia ratio vindictæ fuit, quæ propter exemplum aſſumebatur, vt cęteri à ſimilibus peccatis, quæ prohiberi publicitùs intereſt, metu cognitę pœnę deterrerentur, quę Græcis, παράδειγμα nominatur. Iccircò veteres noſtri, inquit Gellius, exempla pro maximis grauiſſimiſque pœnis dicebant. Clementina prima de officio

Cauſæ pœnarum.

Lib. 6. c. 14.

ordi-

ordinarij Epiſcopis mandatur, vt clericorum vitia corrigant: vt & delinquentes fiant meliores, & alij à flagitijs metu pœnæ deterreantur, nec reſpublica detrimentum capiat. Rectè verò admonet Salomon, vt omnia prudenter & cum conſilio agantur. Iſocrates Nicoclem hortatur, vt non ſæuitia & atrocitate puniendi, dignitatem ſuam tueri ſtudeat, ſed, vt omnium ſaluti cōſulere videatur, pœnas ſemper commiſſis minores irroget. Agapitus Iuſtiniano præſcribit, vt & amabilis & terribilis ſit, & quaſi per medium ingrediens, nec maieſtatem ſuam amitteret nimium amando, nec amorem nimia ſæuitia perderet: nec amabilis facilitas in cōtemptum, nec in odium ſeueritas abiret. Fronto enim dixiſſe fertur: Malum eſſe, illum imperare, ſub quo nemini quicquā concederetur: ſed longè peius ſub eo viuere, ſub quo eſſet maxima licentia quibuſlibet: optimum verò ſub quo optima ratio iuſtè clementerq; ſeruaretur. Ea enim facit, ne intempeſtiuè quis commoueatur, aut ſæpiùs q̃ neceſſe eſt: nec ex odio vel inuidia, aut priuato affectu aliòs ſine ratione excarnificet, ad aliorum peccata conniueat: taliterq; ſe gerat, vt omnes intelligant, eum inuitū ad ſupplicia accedere, ac mederi maluiſſe, quàm præſcindere. Vnde Cicero l. 1. Officiorū: obiurgationes nonnunquā ſunt neceſſariæ, in quibus vtendū eſt fortaſſe, & vocis cōtētione maiore, & verborū grauitate acriore. Id agendū eſt, ne ea facere videamur irati: ſed vt ad vrendū & ſecandū, ſic & ad hoc genus caſtigandi raro inuitiq; veniemus: nec vnquā niſi neceſſariò, ſi nulla alia reperietur medicina. Sed tamen ira procul abſit: cum qua nihil rectè fieri, nihil cōſideratè poteſt. Magna

Prouerb. 14.

autem parte clementi caſtigatione licet vti, grauitate tamen adiuncta, vt ſeueritas adhibeatur, & cõtumelia repellatur. Atq; etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet obiurgatio, ſignificandum eſt, ipſius id cauſa, qui obiurgatur, ſuſceptum eſſe. Baſilius Magnus aliquando rogatus à Domitiano, vt pro ipſo apud Andronicum Ducem, in quem deliquerat, intercederet: huiuſmodi literas dedit: Magnanimum ſimul ac humanum in ſtatuendo animaduertendoque in ipſum te eſſe ſupplicamus. Nam reluctantes quidem ſubiugare, fortis eſt & reuerà Principis, ſuccumbentibus verò benignum atque manſuetum eſſe, eius eſt, qui magnanimitate & manſuetudine omnes excellit. Rurſus oportere taliter ad corrigendum accedere, vt ex amore et ſtudio ſanandi, odioq; ſceleris, non hominis, nec vindictæ appetitu fieri cognoſcat. Talis quoque pœna adhibeatur, quæ omnium maximè à ſcelere homines deterreat, & à qua in primis abhorrent. Sicut Cicero: Noxæ ſemper pœna par eſto: & in ſuo quiſque vitio puniatur: vis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia ſanciatur: contraria contrarijs curentur. Cum dolore amputatur pars corporis, etiam quę putuit, & diu tractatur, ſi poſſit ſanari medicamentis: ſi non poteſt, tunc à medico bono abſcinditur. Sic Epiſcopi, ait Ambroſius, affectus boni eſt, vt optet ſanare infirmos, ſerpētia auferre vlcera, adurere aliqua, nō abſcindere: poſtremò, quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere.

Baſilius epiſtola 164.

quæſt 50. et 51 fuſe explicat.

lib 3 de legibus.

lib. 2. officiorũ c. 27.

Prius admonere, terrere, & fortaſſe ſæpius, peccantes Dei exemplo conuenit, vt tam hic 4. quàm 6. reſpondit: & ſcriptura ſacra declarat. Quia enim ſigni-

ſignificabatur, vltra Iordanum redituras tribus, *Ioſue c. 22.*
ingens altare ad falſam religionem extruere: miſit ad eas Ioſue, qui rem cognoſcerent, admonerent quoque illos officij, ac hortarentur, vt à tam nefario inſtituto maturè deſiſterent, alioqui futurum, vt contra ipſos arma caperet: Quòd certè memorabile & elegans exemplum eſt, ne omni rumori ſtatim credatur, omniaque prius, Dei more, tententur, quàm armis decertetur. Maſſilienſes, authore Valerio, gladium quo noxij iugulabantur, à condita vrbe aſſeruabant, rubigine exæſum, *lib. 2. c. 1.*
& vix miniſterio ſufficientem: ſed indicem ſeueritatis maiorum: Peccata manere impunita non expedit reipublicæ, & melius eſt in vnum, duos, tres animaduertere, eoſque breui tempore triſtitia afficere, quàm vt illi ipſi ſempiternis cruciatibus reſeruentur, & tota reſpublica inficiatur, vt libro 1. Officiorum ſcholaſticorum pluribus verbis ex Chryſoſtomo, & reliquorum SS. Patrum atque philoſophorum ſcriptis demonſtraui.

Imò aliqui quòd ſcelera non punirent, ipſi à *Lib. 1. Reg.*
Deo grauiter iccircò caſtigati fuêre, vt Heli & Saul exempla teſtantur. *c. 2. & 15.*

Curandum tamen eſt, ne lenitas & bonis obſit, & malos deteriores reddat: ſed cum ſeueritate tēperetur: & qui benignitate allici noluerunt, timore ab impietate deterreantur. Moyſes vir mitiſſimus ferè triginta millia impiorum hominum *Exodi 32.*
vno die trucidari curauit. Phinees, quòd flagitioſos vlciſceretur, iram Dei auertit. Samuel lenis *Numer. 25.*
Propheta, Agag impium concidit in fruſta coram Domino. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. *1. Reg. 15.*
Sed nimia ſæuitia tyrannidem ſapit, nimiſque ſe- *Pſal 67.*

ueri atque duri Principes crebro fortunas, Imperium, vitam perdiderunt. Filius Salomonis Roboam, qui nihil de patris ſeuitia remittere volebat, populoque Iſraël reſpondit: pater cæcidit vos flagellis, ego cædam ſcorpionibus: præcipuam regni partem amiſit. Quocirca præclarè Tiberius Auguſtus Mauritium Imperatorem hortabatur, apud Nicephorum: Apibus natura duces dedit, earumque regem aculeo quaſi ſpõtanea & naturali quadam poteſtate armauit: vt pungere etiam eum poſſit, qui legitimè non pareat: nec tamen apis tyrannicum, ſed iuſtum, & commodum communi vtilitati aculeum habet.

3. Reg. 12. *lib. 18. c. 6.*

Lucæ 10. Verus Samaritanus Chriſtus Ieſus, in curando homine, qui à latronibus vulneratus erat, oleum ſimul & vinum vſurpauit.

1. Reg. 25. Libro primo Regum, Abigail prudẽtiſſima fœmina prædicatur, quod impium Nabal maritum ſuum obiurgatura, cum veſperi illum videret ebrium, expectârit in alterum diem, dum vinum digeſſiſſet.

Sic loci, temporis, delicti, perſonarum in puniendo rationem habere oportet. Et principijs obſtandum eſt. Omne malum naſcens facilè opprimitur, inueteratum plerumq; fit robuſtum. alij publicè, alij priuatim puniũtur. Minore ſupplicio dignus eſt, qui fortuitò, & ſemel, aut rariſſimè deliquit, quàm qui petulanter, & ex maleficio conſuetudinem facit. Nobiles peccantes, duplici pœna dignos iudicat Philo, libro de creatione principis: quòd & malè agant, & maiores ſuos vitijs dedecorent. Sed Panormitanus de Alphonſo rege narrat, quod in nobilem quendam virum, læſæ maieſta-

lib. 2. c. 19.

tis reum, tacito iudicio, præter morem animaduerterit: ne aut ſcelus maneret impunitum, nec vnius hominis perfidiâ, tam nobilis familia notam infamiæ incurreret. Et Iure nunc conſtitutum, atque moribus receptum eſt, Nobiles delinquentes mitius puniri: textus, gloſſ. atque Doctores in capit. vlt. de pœnis. Nicolaus Boërius deciſione 173. n. 3. & in tractatu de ſeditioſis nu. 50. Guido Papæ deciſione 106. Didacus Couarruuias lib. 2. variarum reſolut. cap. 9. Niſi enormiter deliquerint, Grammat. deciſione 23. Tiraquellus de nobilitate capite 20. Similiter Fœminis ob fragilitatem ſexus, minoribus atque pupillis ob rationis & ingenij ac intellectus imbecillitatem, nec non ſenibus & infirmis multa conceduntur. Quæ tamen propter neceſſitatem, & grauiſſimas cauſas fortè recepta ſunt, non debent in argumentum trahi. L. Quæ propter neceſſitatem, ff. de Regulis Iuris. Capit. Cum in cunctis, extra, de electione & electi poteſtate. Terentianus Mitio fieri aliquando ait, vt duo cum idem faciunt, huic impunè liceat facere, illi non liceat: non quod diſſimilis res ſit, ſed quod diſſimilis is, qui facit. D. tamen Hieronymus iniuſtum fore ſcribit, ſi pauperes publicè arguantur, puniantúrque, diuites maiora deſignantes non corripi, atque propinquis omnia indulgeri. Saul rex Iſraël filium ſuum Ionatam, quòd contra præceptum egiſſet, punire voluit, niſi populus interceſſiſſet. Aſſuero Regi ſapienter reſpondetur: Plus oportere illum rempublicam curare, quàm Vaſthi reginam ſuperbam: ne factum eius reliquæ mulieres liberius imitarentur. Si verò nihilominus reprehendantur, magiſtratus meminerint, quod

ad c. 3. Eſai.

1. Reg. 14.

Heſter. 1.

quod Alphonſus dicere ſolebat: Principum eſſe benefacere, & male patienter audire: vt Fridericus 3. Rom. Imp. aiebat: Principes tanquam ſignũ
Ioan. 7. ad ſagittam expoſitos. Ipſeq; rex regum Chriſtus Ieſus, cum de omnibus optimè mereretur, alij dicebant, quia bonus eſt, alij negabant, vocabantque ſeductorem populi.

Magna virtus eſt, & principem maximè decet clementia, quæ cum amabili ſeueritate coniuncta eſt, quæſt. 14. Leges quæ de pœnis delictorum loquuntur ſunt fauorabiles. Publicè enim intereſt ne delicta maneant impunita, & vt pax inter homines ſeruetur. Q. Mandoſius ad Cancell. regulá 34. q. 3.

Fauore igitur publico pœnæ introductæ ſunt, ne detur materia delinquendi. Minſing. conſil. 42. Iaffred. deciſ. 217.

Et in infligendis pœnis delictorum, verſatur vtilitas duplex, publica & priuata; vt peccata coarceantur, tollatur improbitas, innocentia conſeruetur, & conſolentur illi qui damnum paſſi ſunt. Oldrad. conſ. 1.

Princeps gladium iuſtitiæ habet à Deo, ad conſolationem bonorum & terrorem malorum.
Gratianus 23. q. 4. c. 5. Si ergo malos non punit, quando poteſt, nocet reipub. quam improborum audacia perturbari ſinit: nocet bonis, qui iniuria afficiuntur; nocet ipſis malis, qui peiores euadunt.

Sine vltrice iuſtitia ne Iouem quidem rectè Imperium adminiſtrare, poëtæ tradiderunt.

Nam veniæ facilitas incentiuum eſt delinquendi. Io. Neuizanus lib. 1. ſyluæ nupt. nu. 75.

Quibus pœnis vtimur contra delinquentes, ne quid

quid poſthac tale committant ipſi, cæteri verò ſint ad delinquendum tardiores. Cicero lib. 1. Offic. Vt pœna vnius ſit exemplum & metus multorum, Lege 1. ff. ad L. Iuliam, repetund. L. Diuus, §. 1. ff. de cuſt. & exhib. reor.

Principis ergò officium eſt: bonos fouere, & amplificare, reipubl. morbos pellere, & partes inſanabili morbo laborantes exſecare, ne ad vniuerſam rempublicam illarum contagiò atque lues emanet. Nihil eſt enim hominum perditorum audacia & immanitate periculoſius, neque magiſtratuum impunitate funeſtius.

Vbi ergo neque vitæ ratio ab ijs, qui in republ. multum poſſunt, exigitur, nec maleficia ſeuerè puniuntur, ibi publica ſalus diu conſiſtere nequit.

Ideoque in Deo ipſo iram neceſſariam eſſe, qua filios delinquẽtes paternè caſtiget, probat Lactan. in lib. quem de Ira Dei conſcripſit. Vbi cap. 17. inquit: Surgimus ad vindictam, non quia læſi ſumus, ſed vt diſciplina ſeruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc eſt ira iuſta, quæ ſicut in homine neceſſaria eſt, ad prauitatis coërtionem, ſic etiam in Deo, à quo ad hominem peruenit exẽplum. Ira quę ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo poteſt, quia & vtilis eſt rebus humanis, & neceſſaria.

Et cap. 18. eiuſdem lib. Vitioſa eſt in peccatis iræ ſuæ cohibitio. Euadent enim ad maius malum, per impunitatem: quotidieque ad maxima facinora proſilient, audaciaque nutrietur. Non coërcere igitur peccata, peccatum eſt: dummodo in tempore ac moderatè fiat.

Marius Salomonius lib. 3. de principatu: His artibus

tibus boni efficiuntur ciues: pœnarum metu, & præmiorum pollicitatione. Diſciplina verò eſt, ſecundum Platonem, ea vitæ inſtitutio quæ in amorem virtutis paulatim inducit animum puerilem.

lib. 2. Officiorum. Propterea apud Rom. tot bella extitiſſe ait Cicero, quæ rempu. turbârint atque afflixerint, quòd ſcelera relinquerent impunita.

Lacedæmoniorum remp. funditus euerſam concidiſſe aiunt, quod ſcelera, etiam delata, non puniret; ideoque flagitiorum multorum ipſa tandem reſpublica pœnas acerbiſſimas exoluerit.

Vide Grammaticũ decis. 36. in pr. Quando enim delicta non puniuntur: boni ab improbis nefariè diuexantur, & Ius diuinum atq; humanum violatur. Quod cum fit; Deus offenſus gratiam ſuam ſubtrahit, publicamque ſalutem euerti neceſſe eſt.

Iccircò Deus in ſuis legibus tam ſæpè in ſcelus vindicare præcepit, ne populus vniuerſus ſceleris conſenſione cõtaminatus publicè lueret id, quod fuerat ab vno, vel à paucis commiſſum. Auferes malum de medio tui. Et Dauid ait, ſe de multa nocte vigilare ſolitum, vt tolleret de ciuitate Dei omnes, qui operantur iniquitatem. Sic enim reſpub. contagione liberatur, improbitas exemplo coërcetur, innocentia liberè reſpirat. Sceleris autem conſenſu Deus irritatur: legitima vindicta placatur, & ad gratiam flectitur. Vbi impunita licentia facinoroſis hominibus attribuitur: Deo vltore peſte, fame, gladijs, omnes affliguntur, multæq; ciuitates magis ſua iniquitate, quam hoſtium virtute captæ & euerſæ fuerunt: id ſcriptura ſacra tribus Beniamin memorabili exitio cõprobauit. Declaret igitur princeps, nihil ſibi placere, quod ſit in-

ſtitutæ

ſtitiæ & æquitati contrarium. Aliter autem & populum ſibi commiſſum perdet,& illis ipſis quibus indulget, plurimum nocebit, quando iniquitatis vulnus eorum animi ſinflictum latius ſerpet,&reliquos impunitate propoſita ad ſcelera incitabit, princeps ignominia ſempiterna maculatur,ipſum Deum,cuius vices in terris gerit,grauiter offendet. Scelere ſe alligat, qui in ſcelere ſuſcepto conniuet.Quare vt diligens agricola ne ſegetes intereāt herbas noxias frugibus euellit, ſic princeps ſāctus & pius ſcelera radicitus extrahit,ne virtutis frugibus officiant.Nec enim ibi poteſt multum iuſtitiæ ſeges exurgere,vbi iniquitatis & iniuriæ ſeges dominatur.Eſtque princeps legum cuſtos,publici iuris vindex, communis ſalutis patronus, omnium afflictorum defenſor,& conſeruator, iucūdus bonis,infeſtus improbis, perfugium miſeris, inuictū præſidium hominibus omnium ope deſtitutis. Adeò diſciplinæ vigor à politicis in principe deſideratur,vt neceſſitudinis aut propinquitatis rationē deferendam affirment; ſi cognati, propinqui, aut domeſtici deliquerunt. Alioqui leges & Ius perfregerit,fidem atq; officium prodiderit, ſocietatē humanam diremerit, diuinumque numen violārit.Perniciem infert reipub. qui leges atque iudicia, quibus reip. ſalus continetur, ſuorum gratia cōtemnit.Saul rex Ionatham filium extremo ſupplicio afficere volebat, quod regium præceptum violaſſet,niſi populus eum prohibuiſſet.

Cognatis & amicis non parcendum in ſcelere.

1.Reg.14.

Tantum valere debet coniunctio ſanguinis, quantū leges & iura permittunt, vbi à ſuis Ius, qđ omnes tenent, contemni perſpexerint, in illis exempla ſeueritatis ſtatuant, vt planum fiat omnibus

ſummæ manſuetudini ſummam Imperij ſeueritatem addebat: inque illos, qui legatos in vincula coniecerant, ſeueriùs animaduertit, ne alij idem ſibi licere arbitrarentur, ſed exemplo iſto legationis Ius in reliquum tempus illæſum conſeruaretur.

Prudenter tamen hic agere oportet.

De Platone refert Diogenes Laërtius lib. 3. de vitis philoſophorum, quod ingreſſo aliquando Xenocrati; Cæde, inquit: hunc puerum, nam ipſe quia iratus ſum, nequeo. Cuidam etiam ſeruorum: Iam, inquit, vapulaſſes, niſi iratus eſſem. Gentium Doctor, electionis vas, D. Paulus Apoſtolus moderatè agendum, ait, cum delinquentibus, ne aliqui præ nimia triſtitia abſorbeantur. Periculoſa eſt ſemper deſperatio, & durum eſt ſi gladius contra fratres ad internecionem deſæuiat. *Moderatè agendum in pœnis infligendis* *Vide Lact. de Ira Dei cap. 18.* *2. Corinth.* *2. Galat. 6.* *2. Reg. 2.*

Prælati qui cum potentia & nimia auſteritate imperant, taxantur. Ezech. 34. & 1. Petr. 5.

Gedeon mollibus verbis placat, quos obiurgare potuiſſet. Iud. 8.

Paulus ad Theſſal. ita ſe cum eis egiſſe dicit, ſicut pater cum filijs agere ſolet. Hoc ad alios prælatos refert V. Beda ſuper Cantica. Vt diſciplina eorum ſit paterna & ſalutaris, Vt ex charitate omnia fiant, & moderatè atque prudenter, iuſtitięque miſericordiam adhibeant. Quod hæc tempora antiquorum canonum rigorem non patiantur, docetur c. fraternitatis, c. omnis, c. diſciplina, diſtinct. 45. Concilium Trident. ſeſſ. 25. c. 21. *1. Theſſ. c. 2.*

Prudentiſſimi poëtæ Regibus iuſtitiam aſſidere, iuſtitiæque comitē verecundiam finxerunt, vt admonerēt principes: vereri & metuere eos oporte-

 tere,

tere, ne vel delicta ſinerent impunita, vel temerè alicui pœnam infligerent, neue ad puniendum iracundia, ſed æquitate ducerentur, Cicero lib. 3. de legib. Peccata quæ mediocri pœna corrigi atq; ſanari poſſunt, facili atq; tolerabili medicina contenta ſunt; graues verò & periculoſi morbi non niſi curationibus acerbiſſimis expelluntur. Inhumanum foret, ſpem de illo abijcere, qui per imperitiam vel incuriam errauit, vel leue aliquod flagitium admiſit: facilius enim illi poſſunt ad officiũ reuocari. Incidunt aliquando tempora, vt propter multitudinem vel potentiam aliquorum cõniuere, & opportunum tempus plectendi expectare oporteat. Tunc Dauidem imitentur, qui Ioab & fratres illius quando ex priuato odio, ſpecie tamẽ recta, Abner fraudulenter occiderant, offendere tunc non audebat, ſed vindictam commiſit filio & ſucceſſori ſuo Salomoni.

2. Reg. 3.
3 Reg. 2.

Eadem ferè homines patiūtur quæ alijs intulerunt.

Per quæ peccat quis, per eadem punietur, ait Sapiens. Ideò plerumq; fit, vt iuſto Dei iudicio eadẽ pœna homines afficiantur, qua alios diuexârant.

Iudic. 1.

Sub menſa Regis Adoniſobeth 70. Reges, amputatis ſummitatibus manuum & pedũ, cibum colligebant: à Iuda ergo Duce Iudæorum ſibi iuſtè manus & pedes præſcindi fatetur: Sicut feci alijs, ita reddidit mihi Deus.

1. Reg. 15.

Samuel ad Agag Regem aiebat: Sicut abſque liberis mulieres gladius tuus fecit, ita abſque liberis mater tua erit.

2. Reg. 12. & ſeq.

Dauid Rex vxorem Vriæ adulterio vitiauerat: ideò illi prædicitur, quod Abſolon filius, ipſius cõcubinas violaturus eſſet. Vriam gladio incircumciſorum occidi Dauid curauerat: iccircò à filio, & ab alijs

ab alijs hoſtibus gladij perſecutionem perpeſſus eſt.

Iuſtè, inquiunt fratres Ioſeph, hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus eum: idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.

Apud veteres Romanos, etſi octo pœnarum genera fuerunt: Damnum, exilium, vincula, verbera, talio, ignominia, ſeruitus & mors: Raro tamen mortis pœnam infligere conſueuerunt, præterquam in parricidas, homicidas, & perduelliones, Franciſcus Patritius lib. 3. de Inſtit. principis. Felyn. in d. c. Qualiter, & quando, de accuſ. And. Gail lib. 2. de pace p. cap. 1.

Tarquinius ſuperbus vltimus Romanorũ Rex, tormentorum genera excogitauit: Vincula, fuſtes, latumias, compedes, cathenas, exilia, metalla. Petrus Comeſtor. in hiſtoria ſacra Danielis. c. 19.

Iure ciuili ſeptem genera pœnarum referuntur; quarum tria ſunt capitalia, reliqua nõ, de quibus in l. Capitalium. l. aut damnum & ſeq. D. de pœnis. Gail lib. 2. de pace pub. c. 1.

Mortis autem genera in lege Moſaica quatuor fuerunt, lapidatio, crematio, decapitatio, & ſuſpẽſio. Sunt enim quatuor, quæ in pœnis maximè timentur. Diuturnitas, quæ in lapidatione, acerbitas, quæ in crematione, irremediabilitas, quæ in decapitatione, & ignominia ſeu vilitas, quæ in ſuſpenſione ineſt.

Nam inter hæc omnium viliſſima ignominioſiſſimaque erat ſuſpenſio, ſicut honeſtiſſima decapitatio. Alexander Ales 3. Summæ, quæſt. 47. Tiraquell. de nobilitate c. 20. nu. 113. & cap. 37. n. 154.

Digitized by Google

Benius priuileg.Iuriſp.43. Crux & furca olim erat ſummũ ſupplicium, cui nunc ſucceſſit membrorũ confractio,Rhatbrechen,VVeſ.lib.48.ff.t.19.

Vtimur etiam hodie ſuſpenſione, crematione, ſtrangulatione,ſubmerſione,caſtigatione, exilio, ſigni in fronte impreſſione, membrive alicuius amputatione. De quibus VVeſenb. lib. 48. digeſt. tit.19.& lib.49.tit.16.

Gladius honeſtior eſt, quàm patibulum. Ideò Doctores non ſuſpenduntur. Iacob. Benius priuilegio 43.Iuriſperitorum,& nobiles rarò, niſi in atrociſſimis criminibus. Si enim nobiles proditores vel falſarij extiterint, altiùs ſuſpenduntur quã plebei,& eorum inſignia delētur, Thomas Grammat.deciſ.36.& Tyraquellus de nobilitate,c.20.

Lex de gladij pœna loquens, non ſemper de ipſo gladio,ſed depœna extremi ſupplicij accipitur. Menoch.remed.9.recup.poſſeſſ.nu.353.

Furcas & patibula erigere, antiquus mos eſt, vt ſuppliciorum renouetur memoria, & in ſolatium eorum,qui iniuriam acceperunt, Oldra. conſ.161.

Erigendaque ſunt,loco ad hoc maximè idoneo, publico videlicet,& in triuio,vel biuio, ob exemplum & terrorem.Oldr.eod.

Erigit autem Furcas & patibula, qui merum & mixtum imperium habet. Si talem cõmodum locum aliter habere nequit,ſubditi,etiam eccleſia,locum vendere tenetur.Oldr.d. loco. Vbi certa pœna legibus eſt,eam ſupremus Magiſtratus,ex cauſa augere,& minuere poteſt. Socin. Iur. reg. 351. Duenn.reg,440.Diaz reg.371.Hippol.ſing.182. Meno. de arb.iud.lib.1.q.85.& 96.

Delicta quæ certa lege non vindicantur extra ordi-

ordinem coërceri ſolent, pro diſcretione & arbitrio magiſtratus, ex circumſtantijs cauſæ, perſonarum, loci, & temporis: tex. & DD. ad l. aut facta. D. de pœnis, Viuius & Gribald. In communibus opinionibus Iuriſperitorum. Menoch. de arb. iud. lib. 2. caſu 449. Minſing. cent. 6. obſer. 97.

Arbitrium enim iudicis atque magiſtratus, Iure & ratione circumſcriptum eſt, vt non tam liberam voluntatem ſuam, quæ facilè aberrare poſſet, quã Iuris, æquitatis, & publici boni rationem ſequatur, & mitiorem potius, quàm ſeueriorem pœnam infligat, ex Baldo, Alexand. Decio, Bellono, Felyno, & alijs, Menoch. lib. 1. de arb. iudic. c. 77. 85. & ſeq. VVeſenb. lib. 47. D. tit. 11.

Quæ arbitrio Iudicis relicta ſunt, non facilè debent ad pęnam ſanguinis extendi. Menoch. de arb. Iud. cap. 86. VVeſenb. lib. 48. D. tit. 8.

Perſonæ dignitas peccata quandoque minuit, quandoque auget, honorati atq; in dignitate conſtituti magis plectuntur pecunia, plebei magis in corpore. Damaſ. Iur. reg. 36, Qui non habet in ære, luat in pelle, Menoc. lib. 1. de arb iud. q. 80.

Hoc Duennas regula Iuris 590. interpretatur, de pœnis deſcendentibus ex delictis, vel quaſi, & de vilibus perſonis: Nam in alijs perſonis minima pœna corporis, excedit quamcunque pœnam pecuniariam. Pro diuerſitate temporum, perſonarũ, & ordinum, & arbitrio Iudicis legibus & ratione formato variantur pœnæ. Menoch. de arb. iud. lib. 1. c. 77. & 83. Grammat. deciſ. 23. Gail lib. 1. obſ. 114. ætatis fragilitas, & imprudentia conſideranda eſt. Duennas Reg. Iur. 259.

Viro honeſto, nec peccare ſolito, poteſt ordina-

Digitized by Google

Valde doctis & excellentibus parcitur.

ria pœna minui vel etiam remitti. Gram.dec.23.& ylt. Valdeque doctis, excellentibus & benè meritis de repub. ſi eos errare, & labi contigerit, non ſolùm ordinaria pœna minui, ſed planè cōdonari poteſt, l. ad beſtias & ibi Dd. D.de pœn. per quā l. Bartol. defendit Bald. cum legi vna litera deleta fraudem feciſſet, ne ad bullatum damnaretur. Io. Neuiz.lib.5. ſyl. nupt. Vnde ob excellentiam viri leges tranſgredi poſſe affirmat. Propter ſingularē doctrinam, egregia geſta, & benemerita de principe, aut republ. pœna temperatur, vel dimittitur, Grammat.deciſ.27. Hippol. ſingul.273. Menoch. de arb.iud.lib.1.q.92. Benius priuil. Iuriſp.c. 39.40.& ſeq. Adde c.eos qui, & ſeq.1.q.5.& q.7.

Grauiùs puniuntur publica, quàm priuata. Hippol.ſing.639. Et ea ex quibus maius damnum ſequitur, Gribald.de homicid.

Atrocitas criminis facit, vt abſque iuris ordine, & præter leges procedatur. Menoch. de arbit.iud. lib.1.c.84.& 87. Grammat.deciſ.56.

Ob frequentiam delictorum, vbi exemplis opus eſt, ius commune ad terrorem tranſgredimur. Menoch.de arb.iud.lib.1.c.87. Gram.deciſ.36. VVeſē. lib.47.ff.tit.2.DD. ad l. aut facta. D.de pœnis.

Quæ occultiùs & impunitiùs committi ſolent, & ex quibus homines nihil mali ſuſpicantur, deprehenſa, ſeueriùs plectuntur. VVeſenb.lib.47.tit. 17. Qualia ſunt furta quæ in balneis, & nauibus committuntur.

Temporis diuturnitas non minuit, ſed auget peccata. Damaſus Reg. Iuris 132.

Ideoq; acerbius punitur, qui ſæpius deliquit. cā. Imitare Petrum 6. q.1.l. quicumq; de ſeru.fugi. l.3. C.de Epiſc.aud. Quod

Digitized by Google

Quod indicat ipſius Dei reſponſum ad Moyſen: In die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. *Exod. c. 32.*

Sed quæ ſemel, & ante longum tempus deſignata fuerunt, mitius feriuntur. *Hippolit. ſing. 454.*

Quatenus liceat Iudici recedere à pœna certa in lege, vel ſtatuto expreſſa: & vbi ſunt plures pœnæ, electio ſit penes Iudicem an reum: & vbi non eſt certa pœna expreſſa, tunc ſit arbitraria & extraordinaria, quomodo hoc arbitrium debeat eſſe formatum, pulchrè poſt alios declarat Hardevvig. à Daſſel ad conſuetudines Luneburgenſes cap. 10. num. 18. 22. 38.

Et de pœnis ordinarijs ſiue expreſſis, & extraordinarijs atque arbitrarijs, Ferrarienſis in practica. ſub forma inquiſitionis, §. debita forma.

Admoneri aliquando delinquentes in genere poſſunt: Neminem nomino, conſcientia ſua vnumquemque conueniat. can. quid autem, 8. q. 1.

Multitudini ferè parcitur, & his à quibus multitudo dependet, can. quoties. 1. q. 7. C. Si quis 23. q. 4. Gail lib. 2. de pace p. c. 11.

Faciliorque vindicta eſt in his, ad quæ homines à natura vehementiùs impelluntur: Gribald. de homicid. gl. can. qui, 15. q. 8.

Sicut clementiùs agitur cum eo, qui formoſam ſeduxit, quàm qui deformem, can. vlt. 14. quæſtion. 6.

Talionis pœna hodie abrogata eſt, Menoch. de arb. iud. lib. 1. c. 79. & lib. 2. caſu 275.

Illa verò pœna delictis irrogari ſolet, quam delinquentes peſſimè oderunt, vt auaro pecunia, ſuperbo ignominia, & confuſio, Damaſus reg.

 139. Di-

139.Diaz regula 546. gloſſ.2.cap.3.de pœnis.

Doctiſſimus ille Panormitanus ad cap. at ſi Clerici,de Iudic. ex can.fraternitatis. diſtinct.34. admonuit, Priſcorum canonum ſeueritatem nunc vſquequaque ſpectandam non eſſe, quod huius ſeculi homines, cum priſcis illis conferri nõ poſſint,ſiue ſtaturam & vires corporis, ſiue mores & ingenium reſpicias.

Nam ingenij acumen, indolis bonitas, ipſaque natura cum mundo paulatim ſeneſcit. Quò etiam alluſit Satyricus Poëta:

Terra malos homines nunc educat, atq; puſillos.

M.Tullius Cicero in oratione antequam iret in exilium,conqueritur:Quod nemo eſſet tam perdita authoritate,vel facinoroſa vita iuuentus,qui etiamſi fateretur de ſcelere, non tamen ſententijs priùs Iudicum conuinceretur,quàm ſupplicio addiceretur.Ipſe verò eijceretur ſine teſte, ſine Iudice,ſine crimine,ſine accuſatore. Si ſacrilegis, proditoribus,veneficis, poteſtas defendẽdi ſuidatur, nec condemnari quenquam incognita cauſa licet: nos Iure poſtulamus ne prius damnent, quàm cũcta cognoſcant.

Lactan. l.5. cap.1.

Sed quo cecidit ſub crimine? quiſnam
Delator? quibus indicijs? quo teſte probauit?
Nil horum, verboſa, & grandis epiſtola venit.

Iuuenal.ſatyr.10.

can. vlt 15. quæſt.8. Pulchrè etiam Nicolaus Pontifex ad Conſulta Bulgarorum reſpondit:Priuſquã audias, ne iudicaueris quenquam,& ante probationem accuſationis illatæ nemo à communione ſuſpendatur. Quia non ſtatim qui accuſatur reus eſt,ſed qui cõuincitur,criminoſus.Olim Antoninus reſpondit:

Iuſtam

Iuſtam ſeruitutem ſeruientium querelas male tra-ctationis aduerſus Dominos audiendas eſſe, nobis verò ne hiſcere conceſſum. In Phalaridis tauro bulliẽtium mugitus inhibitos, nuſquam legimus. Crudeliſſimum ædepol, & ſuprà quàm dici poſſet, in tormentis tacere iuſſis tormentum. Marius Salom, lib.3. de principatu.

Iure igitur ſancitum eſt: Ne quis damnetur niſi legitimè vocatus, auditus, confeſſus vel conuictus, multis canonib.2.q.1.& 15.q.5.

Et vt nemini defendendi facultas præcludatur, Firmian. enim Lactant. lib. de Ira Dei. ca.18. Nunquam, ait, ſcelus tam clarum eſſe poteſt, vt defenſioni locus non ſit.

Eſt enim defenſio beneficium ab ipſa natura, & Iure gentium indultum, quod non homini tantũ, ſed ne Diabolo quidem, ſi in iudicio eſſe poſſet, auferri deberet.

Ob ſcandalum tamen, & propter tumultum popularem aliquando rei nocentes puniuntur, abſq; ordinario proceſſu. Iaffred. deciſ.144.

Pronior ſemper magiſtratus eſſe debet, ad mitiorem pœnam, & ad abſoluendum, quàm ad condemnandum: maioremque laudem conſequitur ex clementia, quàm ex nimio rigore, ex abſolutione, quàm ex condemnatione. Latè Menoch. de arb. Iud. lib.1.c.85. & paſſim. Neuiz. lib.1. & lib.6. ſyl. nupt. Grammat. deciſ.23. Gail lib.1. obſ.114.

Damnati quo mortis genere, vel quo inſtrumẽmento, vel quo modo interficiantur, executori vel Carnificis arbitrio relinqendum non eſt. Iuxta hoc Caracallæ Imperat. gladio, non ſecuri iuſſum meum exequi oportuit. Menoch. de arb. iud.

lib.1.c.87. Pontius Pilatus duos horrendos errores commiſit: quòd Chriſtum, quem ſciebat innocenter, ex inuidia, falsò accuſari, contra Ius, in fauorem aduerſariorum damnauit. Deinde quod condemnatum tradidit eorum voluntati, & arbitrio perimendum.

QVAESTIO V.

Quomodo in rebus bellicis inuictus eſſet?

RESPONSIO.

Si nec in multitudine, nec in potẽtia, & viribus confidas, ſed Deum ſemper inuocaueris, vt tibi omnia iuſtè agenti, conatus & conſilia dirigat.

Quoniam duo inter homines genera decertandi reperiuntur, vnum per diſceptationem & leges, alterum per vim & arma: paci quidem, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, in primis eſt conſulendum, ſed confugiendum ad poſterius, quando vti priori genere non licet. Suſcipiendaque, authore Cicerone, bella ſunt, vt ſine iniuria in pace viuatur. Quæ verò ex nulla neceſſitate, propter vanam gloriam, bella ſuſcipiuntur, infœlicem ferè exitum habent, vt Ioſephi, & Azariæ exemplum declarat lib. 1. Machabæor. capit.5. Auxilio autem Dei fretos Iudæorum Reges contra potentiſſimos & pertinaciſſimos hoſtes fœliciter decertaſſe, varijs in locis ſacra ſcriptura commemorat: quos hic nimis longum eſſet recenſere. Numa Pompilius Romanorum religioſus, ac publicæ quietis ſtudioſus Rex, cum animaduerteret, bellum quod abſque iuſta cauſa infertur, nihil aliud quàm latrocinium eſſe: totam eam rem ex arbitrio ſacerdotum, ac religioſorum

rum hominum pendere voluit. Ideoque Fecialium, quos ἱερηνοδίκας appellat Dionyſius, collegium, belli cauſa inſtitutum fuit. Non licebat enim Romæ bellum mouere, niſi, cognita cauſa, Feciales id eſſe iuſtum pronunciaſſent, Deorumque voluntatem, priuſquam bella ſuſciperent, per aruſpices exquirebant. Cumque iuſta & neceſſaria fore bella conſtaret, lege cautum erat: IVSTA BELLA IVSTE GERVNTO. Conſules exercitum educturi ſacra prius faciebant: & ſi de fœlici euentu forte dubitarent, ante prælium vouebant templa, ludos, ſacra, ſtatuas, quibus expiarentur peccata, & placarentur Dij: ſi etiam vel ante, vel in ipſo prælio grauius aliquod periculū immineret, ſolennia vota emittebantur: ad libros Sibyllinos, & ſacrificia recurrebant, vt in academia Romana fuſius eſt demonſtratum. Itaque fœlicitatem, & ſucceſſum Romanorum in bello, huic inſtituto, & religioni quidam aſſcribere non dubitauerunt: nec ſuis viribus & potentia, ſed iuſtitia, & Deorum immortalium auxilio vniuerſi terrarum orbis Imperium accepiſſe credebant.

Nec numero Hiſpanos, inquit Cicero, de Aruſpicum reſponſis, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo huius gentis ac terræ domeſtico natiuoque ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate ac religione ſuperauimus. Lucius Florus de Scipione loquens, Certum, ait, eſt, ad profligandam Prouinciam, maximè profeciſſe ſingularē Ducis ſanctitatem. *Florus l. 2. cap. 6.*

Pulchrum eſt quod refert Aul. Gellius libro 3. capit. octauo. Conſules Romani ſalutem dicunt

Pyrrho

Pyrrho Regi. Ad nos venit Nycias familiaris tuus, qui ſibi pretium à nobis petijt, ſi te interfeciſſet. Id nos negauimus velle, & ſimul viſum eſt, vt te certiorē faceremus, ne quid huiuſmodi ſi accidiſſet, noſtro conſilio ciuitates putarent factum: & quod nobis non placet, pretio aut prȩmio, aut dolis pugnare. Tu niſi caueas, iacebis.

Idem aliarum quoque gentium Principes fecerunt. Nam Clodouæus Gallorum rex ad Tolbiacū contra Germanos acerrimo prȩlio decertans, cum nihil humanȩ ſpei ac virtutis ſupereſſet, Chriſtum quem Clotildis Burgundionum Regina Chriſtiana, Clodouæi primi vxor ſæpè fruſtrà prædicârat, implorare cœpit: Is præſens ſtatim adfuit, & illius auxilio rex victor in patriam reuerſus, & fidem Chriſtianam, & ſacrum baptiſma ſuſcepit. Qualiter omnem benè gerendi belli rationem cȩteræ gentes à diuino numine proficiſci crediderunt, ideoque ſacerdotes Deorum miniſtros, & vates in bello ferè præſtò habuerint, alibi à me apertè eſt declaratum. Epiſtolæ Iaponicæ ſignificant, quod in nouo orbe, antequam eò Luſitani & Hiſpani penetrarent, Principes bellum ſuſcepturi, dȩmoni cuidam, idolo ſuo, vitam atque ſalutem commendârint, promittentes ei, ſi faueret, magnā pecuniam, ſacella, ſacra, &c. Fœliciterque confecto bello, nihil antiquius habuerint, quàm ſeſe iſta religione liberare, quodque hunc periculoſis ſemper in rebus inclamârint. Vnde apparet, à veteribus Ianigenis hanc doctrinam in omnes gentes permanaſſe. Sicut enim Noachus filios atque nepotes ſuos docuiſſe reperitur, vt omnibus in rebus ad Dei fauorem auxiliumque recurrerent, &

pro-

pro tanta victoria, quòd ipſe ſolus cum ſuis in naui à Deo conſeruatus diluuium euaſiſſet, gratias acturus, ſacrificium obtulit, illudque Deo gratiſſimum fuit: ita ipſius poſteritas per vniuerſum orbem diſperſa hanc ſemper retinuit, etſi varijs ſuperſtitionibus atque idololatria paulatim, authore diabolo, fuit deprauata. Romani bello fœliciter geſto, Dijs gratias publicè agebant, Iouique optimo Maximo laurum mittebant, vota diligentiſſimè ſoluebant. Pytho Athenienſibus ipſum ob res fœliciter geſtas admirantibus, ac prædicantibus, quòd Cotym regem interemiſſet: Dijs, inquit, habenda eſt gratia, quibus authoribus hoc facinus præclarè geſtum eſt, ipſe nihil præter manum & operam commodaui. Euentus quippè rei in manu Dei eſt, & huic debetur gratia, ſi quid fœliciter ceſſerit, ſed interim vult hominum operam accedere. Ioſue Iſraëlitas alloquitur: vnus è vobis perſequetur hoſtiũ mille viros, quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt: nullus vobis reſiſtere poterit. Hoc tantum diligẽtiſſimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum veſtrum. Abrahami poſteritas, quæ veram religionem purè retinuit, ſi bellum neceſſariò gerendum eſſet, Dei potentia hoc freta ſuſcepit: & ſacerdotes magno fortiq; animo eſſe iubebant, quod Deus in medio eorum habitaret. Samuelis Prophetæ mater Anna: Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore: non in fortitudine ſua roborabitur vir. Dauid Rex & Propheta: Non ſaluatur Rex per multam virtutem, nec gygas in multitudine virtutis ſuæ, fallax equus ad ſalutem. Idq; veriſſimum eſſe Conſtantini exemplo probat Euſebius

Geneſ. c. 8.

Ioſ. c. 23.

Deut. c. 20.

1. Reg. ca. 2.

Pſal. 32.

Digitized by Google

Euſeb.lib 9 cap. 10. ſebius. Et: In Deo, inquit, ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus. Hoc autem apparuit, quando contra magnum & ſuperbum Goliath pugnaturus: Tu inquit venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo, ego autem veni ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël. Erat verò Dauid non armatus, ſed gerebat baculum ſuum paſtoralem, & lapides: taliterque ſe pugnaturum aiebat, vt omnes intelligerent, quod non in gladio, nec in haſta ſaluaret Deus. Et antequam ſeriò aliquid aggrederetur, ſemper ferè Deum, de euentu prius cõſulebat: vt 1. Reg. 30. & 2. Regum 2. atque 5. capite videre eſt. Equus paratur ad bellum, Dominus ſalutem tribuit Prouerb. 1. Aſa Rex contra Aethiopes decertaturus, Domine, inquit, Deus, non eſt apud te vlla diſtantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus, adiuua nos Domine Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.

Pſal. 61. *Pſal 164.* *1. Reg. c. 17.* *Vide Pſal. 43.* *2. Paral. c. 14.*

Iudith 6. Cùm Holofernes, Regis Nabuchodonoſor magiſtratus, grauiſſimè obſideret Iudæos, vniuerſus populus Iudæorum per totam noctem in Eccleſia orauit, petens auxilium à Deo. Et Eliachim ſacerdos Magnus, eos ſic allocutus eſt: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manẽtes permãſeritis in ieiunijs, & in orationibus in cõſpectu Domini. Memores eſtote Moyſi, ſerui Domini, qui Amalech in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis, & in curribus, equitibuſ-

Iudith c. 4.

buſque ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis deiecit. Ipſaque Iudith hoſtem per inſidias adoritura: Erit memorabile nomini tuo, cum manus fœminæ deiecerit eum, nec enim in multitudine eſt virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua eſt. In eandem ſententiam Iudas Machabæus, facilè eſt concludi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli, liberare in multis an in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Idque varijs exemplis demonſtrabat, ſemperque ante prælium diuinum auxilium implorabat. Mihi ſane videtur, ait Sozomenus, oſtendere Deus, ſolam pietatem Regibus & Imperatoribus ſufficere ad ſalutem, & ſine hac nullius eſſe momenti exercitus, robur Imperij, & reliquum apparatum. Ideircò Conſtantinus Magnus, poſtquam Chriſti virtutem in ſigno ſanctę Crucis cognôrat, aduerſus Tyrannos pugnaturus, Eccleſiæ Chriſtianæ, & Epiſcoporum preces expetebat. Diuique Anthonij, & reliquorrum pijſſimorum monachorum orationibus ſe, vxorem, liberos, & Imperium crebrò commendabat. Narrat in vita Conſtantini Euſebius libro quarto, quod milites ſuos docuerit, non tam potentiæ ſuæ & armis confidere, quàm Deum victoriæ atque ſalutis authorem agnoſcere: quodque peculiarẽ ipſis precandi formam Romana lingua præſcripſerit. Vnde factum eſt, vt quãtò humiliorem religioſioremq; ſeſe gerebat, tantò magis Deus bella ipſi⁹ & gloriã fortunaret, vt crudeliſſimas gẽtes armis, adiutore Deo, domaret. Qđ Licinius tyrãnus pſpiciens, ne boni viri, & Chriſtiana Eccle-

Iudith c. 6. & 9.

2. Mach. c. 11. 13. 15.

Lib. 9 hiſtoriæ c. 1.

Rufini lib. 1. cap. 8.

Euſebius li. 10 hiſt. c.8 & lib. 2. de vita Conſtant. Ruffinus li. 2 hiſt. c. 33. Niceph l. 12 c.39. P.

Eccleſiá pro Conſtantino amplius oraret, ideóque res ipſius proſperarentur, quædam templa claudi iuſſit, quædam prorſus euertit. Theodoſius præparat or ad bellum, inquit Ruffinus, nō tam armorum telorumque, quam ieiuniorum & orationū ſubſidijs: nec tam excubiarum vigilijs, quàm obſecrationum pernoctatione munitus; circumibat cum ſacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida ſanctorū interceſſione poſcebat. Cumque aliquandiu anceps eſſet contra barbaros pugna, proiectis armis ad ſolita ſe vertit auxilia, & proſtratus in conſpectu Dei: Tu inquit omnipotens Deus noſti, quia in nomine Chriſti filij tui vltionis iuſtæ, vt puto, prælia iſta ſuſcepi, ſi ſecus, in me vindica: ſi verò cum cauſa probabili, & in te confiſus huc veni, porrige dexteram tuis, ne fortè dicant gentes: Vbi eſt Deus eorum? Quantum iſta pietas Theodoſio Imperatori profuerit, indicat Claudianus:

Diaconus in vita. Sozomenus lib.7.c. 24.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab Antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claßica venti.

B. Ambroſius de fide ad Gratianum Imperatorem ſcribens: Petis ait fidei libellum à me, ſancte Imperator, profecturus ad prælium: noſti enim fide magis Imperatoris, quàm virtute militum quęri ſolere victoriam, Idque Abrahami & Ioſue exēplo declarat. Ergo & tu vincere paras, qui Chriſtū adoras: vincere paras, qui fidem vindicas, cuius à me libellum petiſti. Quod Carolus Magnus diuino auxilio fretus grauiſſima bella ſuſceperit, viroſque

roſque religioſos, & pios ſacerdotes ſemper in exercitu adhibuerit; ideoque ea fœliciter geſſerit, & poſt victoriam plurimas eccleſias, multa cœnobia, & ſacra fundârit, omnes ferè hiſtoriæ loquuntur. Vt hoc viuum Germanis exemplum eſſe debeat. De Roberto Francorum rege ſcribit Platina, qđ cum pius Rex eſſet, & horas canonicas legeret, oppidi cuiuſdam mœnia diuinitus corruerint, vt ſine vlla difficultate à regio milite caperetur. Qualiter Sipontini olim D. Michaelis auxilio, cum ieiunijs atque orationibus publicis diuinum fauorem implorasſent, vicerint, refert in Ferdinando primo Iouinianus Pontanus.

Platina in Ioanne PP. 20.

De Nicolao V. Pontifice Max. teſtatur Platina, quod tempore belli Turcici omnibus fidelibus, in meridie pulſatis campanis, ſignum dari voluerit, vt contra Turcos pugnaturos precibus adiuuarét. Idem in comitijs Imperij ſub Maximiliano II. conſtitutum fuit. Qui contrà fecerunt, vt neglecto Deo in humana potentia, & diuitijs ſpem collocarent, infeliciter temerè ſuſcepta bella geſſerunt. Cuius quidem rei plura in veteri teſtamento apertiſſima exempla reperiuntur eorum, qui vel animi, vel corporis viribus efferebantur, vel abundantia pecuniæ, & humana potentia nitebantur. Clariſſimũ verò extat Iudicum capite 19. & 20.

Fortiſſimus ille Iudas Machabæus quandiu cõtra hoſtes ſuos, vera religione & diuino auxilio fretus fortiter pugnauit, pauciſſimis viris infinitã hominum multitudinem profligare potuit: ſed poſtquam timidior, vt videtur, factus, Romanorũ potentiam & arma expetiuit: nihil amplius præclare geſſit, verùm ab hoſtibus interemptus eſt.

1. Mach. c. 8. & 9.

Maledictus qui confidit in homine.

Aſa rex quanquam Aethiopes adiutore Deo vicerat, tamen quia contra Benadab regem Syriæ nō fuit auſus prælio decertare, ſed miſſo argento fœdus cum eo percuſſerat, his verbis Hanani Propheta eum alloquitur: Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, iccirco euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nonne Aethiopes & Lybies multò plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum Deo credidiſſes, tradidit in manu tua? Stulte egiſti, & propter hoc etiam præſenti tempore aduerſum te bella conſurgunt. Caius Auguſti Cæſaris nepos in Aegyptum profecturus, Hieroſolymam tranſiuit, & verumDeum adorare contempſit, idque Auguſtus prudēter ab ipſo factum aſſeruit: vnde grauiſſima peſtis, & publica calamitas, quę ſtatim ſubſecuta eſt, credebatur exorta. Præterea, qui pro religione catholica, pro pace & ſalute publica iuſta bella ſuſceperunt, ſemper ferè inuicti extiterunt, vt quæſtione prima eſt declaratum. Cognita cauſa, & diuini numinis fauore ſuſcepto bello, vt feliciter geratur, videndum eſt, vt boni milites conſcribantur. Ingens Iudæorum multitudo ſeſe Gedeoni, contra Madianitas, coniunxerat: ſed Gedeon ex præcepto Dei timidos, & qui curuatis genibus aquam biberent, ex prælio abire iuſſit: ne ſuis viribus & ignauo militi, iſtam victoriam, quæ à ſolo Deo proficiſcebatur, tribuerent. Iulius Cæſar rei militaris peritiſſimus, tam continentiam modeſtiamque in militibus requirebat, quàm virtutē & robur. Theodoretus author eſt, quod Conſtantius Imperator in expeditione belli Magnentiani militibus ſuaſerit, vt diuina prius myſteria ſecum

Hieremiæ 17. *2. Paralip. cap. 16.* *Vrſpergē. in chronicis* *Iudic. 7.* *Lib. 3. cap. 3.*

per-

perciperent, vtque in tanto mortis periculo futuri, pretioſam veſtem illam induerent: quod ſi quis ſpiritualem illum amiculum ſibi circundare nollet, is domum rediret, ſe non niſi initiatis ſecum in bello ſocijs vſurum. Quemadmodum Carolus Magnus contra barbaros pugnaturus, monachos & ſacerdotes in exercitu adhibuiſſe fertur, qui peccatis ſolutos milites ſacra euchariſtia munirent. *Saluianus* ſcriptum reliquit: quod Gothi & VVandali Romanum Imperium facilè deuaſtârint, quoniam ipſi Chriſtianis longè melius morati erant. Nam quantum ſæpè vnius hominis improbitas, vniuerſo exercitui afferat detrimentum, Achan exemplum declarat. Vnde Diogenes Cynicus affirmare ſolebat, ſatius eſſe cum paucis bonis aduerſus omnes malos, quàm cum multis malis aduerſus paucos bonos pugnare. Certas quoque leges militares, & diſciplinam obſeruare oportet, vt Ioannis Baptiſtæ de militibus præceptum retineatur: ſtipendijs ſuis contenti ſint, & à ſceleribus, præda, & rapinis, ſacrilegioque abſtineant. Qui bella ſacra, quæ contra Saracenos geſta ſunt, deſcripſere, commemorant, quòd aliquando illa quidem fœliciter ſucceſſerint, ſæpè calamitoſum prorſus exitum fuerint ſortita, quoties aut propter vanam gloriam temerè, aut ex armorum, militumque, & potentiæ fiducia arroganter ſuſcipiebantur, aut ipſi Principes in medio exercitu libidinem ſectabantur, aut milites à ſceleribus & rapina minimè temperabant.

Ante prælium lex Dei prælecta *2 Mach. c. 8.*

Ioſue c. 7.

D. Hieronymus ad Heliodorum in epitaphio Nepotiani ſcribit: Noſtris peccatis barbari for-

tes ſunt,noſtris vitijs Romanus ſuperatur exercitus: nec tamen amputamus cauſas morbi.

Vt nihil mirum ſit,quod optimi quandoque & pijſſimi Principes,tam crudeli & impio milite infœliciter contra Turcos bella gerant, quòd piam & bonam cauſam Deus per tam impia organa tractari nolit:plerunque enim ſine vllo delectu multis ſceleribus inſignes in militiam aſſcribuntur, quorum qui crudelior nequiorque eſt, is optimus miles,& fortiſſimus dux habetur. Nec quiſquam eſt,qui ante prælium de expiandis peccatis, de adhibendo ſacerdote,& cœleſti armatura, ſacra Euchariſtia,cogitat,ſed ipſos Dei miniſtros,& ſacramenta indignis contumelijs afficiunt.

Longè minus quoque eſt admirandum, quòd aliqui principes à ſuſcepto bello deſiſtere cum perpetua ignominia,& dedecore coacti fuerint, quoniam contra Deum,ipſiuſque religionem Catholicam, contra legitimum magiſtratum, & omnes bonos viros auſu temerario ea ſuſceperant. Alphonſum regem prædicat Panormitanus, quod antequam ad bellum procederet, ſemper diligentiſſimè diuinum auxilium implorârit, in conſcribendo milite delectum habuerit, & aliquando poſt egregiam victoriamnec edere,nec bibere,nec pulueres excutere voluerit, antequam rem diuinam fieri curaſſet,dominoque Deo,vnde eam proueniſſe ſciebat,gratias egiſſet. Quæ Carolus V. Imperator,ipſiuſque filius Philippus II. Rex Catholicus,cæterique Principes Catholici imitati fuêre. Et quantum ipſis ea pietas,atque diſciplina militaris profuerit, cum illorum hoſtibus iuſto Dei iudicio terra mareque repugnarent, ſuperiorum tẽporum

porum hiſtoriæ teſtantur. Parta victoria, Cicero libro primo Officiorum, conſeruandos dicit, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerint, quique, armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt. Perſæ publica lege coguntur, vbi in bello ſuperiores fuerint, vti modeſtia, ideoque populos in quos pugnando Imperium conſecuti ſunt, interfectis Principibus, ne rebus nouis ſtudeant, tributa pendere iubent. Quàm verò Sauli & Achab, Iudæorum Regibus, periculoſum extiterit, quòd impios, contra Dei præceptum, hoſtes conſeruaſſent, ſcriptura ſacra teſtatur, lib. 1. Reg. ca. 5. & lib. 3. cap. 10.

Scipio autem Africanus dicere ſolebat, malle ſe vnum ex ciuibus ſeruare, quàm mille hoſtes perdere. Et Lucullus aiebat: malle ſe vnum ciuem Romanum ex hoſtium manibus eripere, quàm vniuerſas hoſtium fortunas ſibi vendicare. Alphonſus Rex, apud Panormitanum lib. 2. c. 62. gloriatur, non tam quòd hoſtes vincere ſciret, quàm quòd victis conſulere didiciſſet: nec tam multis hoſtium millibus cæſis, quàm ſeruatis triumphandi legem Regibus dediſſet, lib. 1. c. 34. Cumque Caietã obſideret, & pueros, ac bello inutiles, illi propter victus inopiam eijcerent, eoſque in Regis caſtra minimè recipiendos conſiliarij decernerent: Ego, inquit, malo Caieta nunquam potiri, quàm tam fœdè & crudeliter vincere. Nobilis quidam vir pollicebatur ſe Caſtellæ Regem, Alphonſi hoſtem, occiſurum: Alphonſus reſpondit, ſe non modò pro iſto regno, ſed ne pro totius quidem orbis imperio adipiſcendo, tam crudele & deteſtandum facinus permiſſurum.

Plura vide q. 66.

lib. 1. c. 15.

lib. 2. ca. 31.

Digitized by Google

Multis exitioſiſſimum fuit, quòd victoria vti nequirent, & nimium iccirco inſoleſcerent.

Cum Macedonum Rex Philippus in victos A-
Luc.2.c.7. thenienſes nimium ſæuiret, illi mutato conſilio Romanorum auxilia contra ipſum implorârunt, teſte Floro. Fit aliquando, vt Deus ſuis iratus, permittat eos ſuperari, ſed iterum placatus, hoſtes gra-
2. Machab. cap.5. uiſſimè puniat: quod ſenſit Antiochus 2. Machab. 5. Nam contra Eccleſiam Dei, & bonos viros proſperitas, ſumma infœlicitas, & malum maximum eſt.

De diuidendis poſt victoriam ſpolijs inter ſocios Ioſue 22. & 1. Regum cap. 30. exemplum extat.
Ioſue 23. & 24. Hæc autem vir ille ex media ſcriptura ſacra deprompſit, vbi Deus ſe pro Iudæis, tanquam pro pupilla oculi, ſi in legibus ſuis perdurarent, decerta-
Iudith.5. turum promittit. Idque ſemper etiam eſſe factum egregiè Holoferni declarabat Achior: facilè eos ſuperatos, cùm Deum offendiſſent, alioqui eſſe inuictos. Bellū vero à belluis Feſtus deriuat: quoniam pax & concordia homines, bellum & diſcordia belluas maximè deceat.

Quid pace dulcius, quid ſalutarius dici, vel cogitari poteſt? Nam pacis tempore omnia pulcherrimè vernant, coluntur agri, lætè paſcuntur ſegetes, ædificantur villæ, extruuntur oppida, creſcunt diuitiæ, leges vigent, feruet religio, floret totius reip. ſtatus, honeſtiſſimarumque diſciplinarum ſtudia excoluntur. Recte igitur vulgò dicitur: Pace nihil melius, pacem te poſcimus omnes. Quæ pacis commoda, Baldus de pace conſtantiæ, Eraſmus Adagio, Dulce bellum inexpertis, Gailius L. 1. de pace p.c.1. & alij ſcriptores fuſiùs proſequuntur.

pacis

Pacis præconia ex Mantuano.

Pax hominum genitrix, pax eſt cuſtodia rerum,
Pax aperit iuris iuſticiaq; forum.
Gloria pace minor, minor eſt victoria pace,
Atq; aliquid peius pace triumphus habet.
Nulla quies homini, nulla eſt ſine pace voluptas,
Nullus amor, nullum relligionis opus.
Pax vrbes, pax regna ligat, pax congregat orbem,
Fiat vt ex multis vrbibus vna domus.
Secula pax renouat, pax aurea tempora portat,
Et mores priſcæ ſimplicitatis habet.

Contra, Nulla ſalus bello, quo violatur religio, turbatur reſpublica, franguntur vires, opes conſumuntur, innocentia vexatur, alitur improbitas, omnia rapinis, cædibus, ſtupris commiſcentur, laxatiſque pudoris & innocentiæ vinculis morum ſanctitas, & caſtimonia profligatur, impius miles miſcet ſacra profanis, multa hominũ innocentiũ millia iniuſtè trucidantur.

Stupra virginibus & ingenuis mulieribus per vim inferuntur, liberi homines in ſeruitutem abducuntur, omnia ferro, flamma, vaſtitate conſumuntur. Sunt enim plerunque milites iracundi, feroces, contumelioſi, nihil Iure & æquitate metientes, ſed omnia ad vim, ferrum, ignes, cædem referentes, quorum inſolentia, crudelitate, auaritia, multæ florentiſſimæ prouinciæ laceratæ, comminutæ, & diſsipatæ fuerunt. M. Salomonius lib. 3. de Principatu:

Nulla fides pietaſq; viris, qui caſtra ſequuntur.

Quid iam diceret ille prudentiſſimus poeta, ſi

ta,ſi huius ſeculi militum ingenia & mores conſpiceret?

Vide Platinam fol.39. Nefanda ſcelera olim milites exercuiſſe leguntur, vt fœminarum quoque pudendas partes, inſertis digitis,contrectarent, quod gemmas & aurũ ibi occultaſſe putarent. Ioan. Iouinian. Pont. lib. 1.de geſtis Ferdinandi 1.Regis Neapol.Obſeruent hoc mulieres,quæ bella promouent.

Miratur hominum ſtultitiam in bello Iuuenalis ſatyra 15.

Sæuit nuda manus,pauca ſine vulnere malæ,
Vix cuiquam,aut nulli toto certamine naſus
Integer,aſpicies iam cuncta per agmina vultus
Dimidios alia facies,& hiantia ruptis
Oſſa,genis plenos oculorum ſanguine pugnos.

Qui maximè ſuis & reip. amplificandæ conſulturi videbantur,priuſquam inciperent,iam plus nocuerãt patriæ, quàm erant profuturi victores. Exhauriuntur ciuium opes, funeſtantur domus ſubditorum,omnia latronibus,furibus, ſtupratoribus omnia luctu miſerabili complentur.

lib.6.ca.6. Lactantius Firmian. probat vbicunque arma fulſerint,iuſtitiam fugari, atq; exterminari omnes virtutes,præceptaque dari ad iniuſtitiã,& ſcelera, ne ſtultitię aut iniuſtitię ſua diſciplina,vel authoritas deſit.

Horum omnium apud Deum rei fiunt, qui vel temerè non neceſſaria bella ſuſcipiunt,vel qui ſuis conſilijs principes per ſe acres & feroces ad temeraria bella inſtigant.

Qui iniuſtè bellum gerit, omnia per vim ablata reſtituere tenetur,cap.ſicut,de Iureiur.

Et

Et milites qui ſequuntur bella iniuſta, quæue à non vero principe, nec ex iuſta cauſa ſuſcepta sũt, fieri infames, & non teſtificari, probat Lancellot. in præt. ſuo.

Quantumuis bellum iuſtum ſit, tamen iniquam pacem præferendam eſſe Cicero cognouit; & Gail lib. 1. de pace p. c. 4. Chriſtianis principibus perſuadere conatur.

Mea quidem ſententia, inquit Cicero, paci, quæ nihil inſidiarum habitura ſit, ſemper conſulendum eſt. *l. 1. offic.*

In quo ſi mihi obtemperatum eſſet, etſi non optimam, aliquam ſaltem remp. quę nunc nulla eſt, haberemus.

Et Lactant. Sapientis & boni viri non eſt velle certare: quoniam vincere non eſt in noſtra poteſtate, & eſt anceps omne certamen. *l. 6. c. 18.*

Et, Militare iuſto non licet, cuius malitia eſt in iuſtitia. *cap 20.*

Iulius Cæſar ad Ciceronem ſcribebat: Hortentur Pompeium, vt malit mihi eſſe amicus, quàm ijs, qui & mihi, & illi ſemper fuerunt inimiciſſimi, quorum artificijs effectum eſt, vt reſpublica in hunc ſtatum peruenerit. Cumque Ciceroni obijceretur, quod dixiſſet: Malle ſe cum Pompeio vinci, quàm cum Cæſarianis vincere, reſpondit: Ego verò malo: ſed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi eſſe videbatur; cum hoc verò, qui antè fugit, quam ſciret, quem fugeret, aut quò, qui noſtra tradidit, patriam reliquit, Italiam deſeruit, ſi malui, contigit, tum victus ſum. Non me hercule iſtum, propter quem mihi modo meis, ſed memetipſo carendum eſt.

Temerè & leuiter ſuſcepta bella infęliciſſimos ſemper exitus habuiſſe hiſtoriæ ſacræ, & profanæ
Ioſue c.11. teſtantur. Illos Reges qui Palęſtinam, terram promiſſionis, occupabant, cæcitate percuſſit Deus, vt pertinaciter Ioſuæ reſiſterent, & temeraria bella paci præferrẽt, vt omnes abſque vlla miſericordia extinguerentur.

Porus Rex apud ſuos potentiſſimus habebatur, ſed ab Alexandro Magno facilè ſuperatus eſt. Interrogatuſque cauſam, cur adeò temerè belli fortunam contra Alexandrum experiri voluiſſet, reſpondit: Neminem me fortiorem putabam, meas enim vires noueram, tuas nondum expertus: fortiorem te eſſe, belli docuit euentus.

Ioſias Rex Iſraëlis pius quidem, & ſatis bonus
2. Eſd. 1. princeps erat, ſed cùm bellum contra Regem Aegypti pacem petentem temerè, ex fiducia humanarum virium, & quaſi nihil ob pietatem aduerſi euenire poſſet, ſuſcepiſſet, in pugna graui ictus interijt.

Ita pacem aliquandò oblatam, petitamque ab hoſtibus aliqui ex ſuperbia nimiaque confidentia ſpreuiſſe leguntur: ſed poſt cum illi eam peterent, reiecti ſunt. Sicut Gallis Anno 1383. accidiſſe refert Meierus lib. 13. annalium Fland.

Roboam filius Salomonis contra decem tribus
3 Reg 12. Iſraël, qui ab illo ad Hieroboam defecerant, bellum parabat, ſed à Deo admonitus, ne hoc contra diuinam ordinationem tentaret, acquieuit, & exercitum dimiſit.

Ancipites bellorum euentus ſunt, & iuſta etiã bella infelices ſæpe exitus conſequuntur. Multique Principes audaces atque impigri, opibuſque ſum-

ſummis inſtructi, maximis exercitibus ſtipati, eo bello, ex quo victoriam & decus ſperabant, inſignem cladem, & ſummũ dedecus acceperunt, ineaque mala, quę hoſtibus ſuis inferre ſperabant, ipſi inciderunt: milites perfidiam ſæpe exercuerunt, neglectaque fide multos deſeruerunt, & duces ſuos in media acie prodiderunt, ſeditiones excitârũt, vt exercitus dilaberetur. Vt & ipſi principes caperentur, vel occumberent, & reſpub. in ſummum exitium adduceretur.

Ioannes Burgundio Anno 1411. bellum parabat contra Armenicum Gallum. Flandri & in primis Gendauenſes, ſupra modũ inſtructi, prodibant in campum, putantes, nullum locum tam munitum, quem non facilè expugnarent, ſed ita dilapſi ſunt, vt Burgundio magis Dei beneficio, quàm eorum ope ſuſtentaretur. *Meierus lib. 5.*

Carolus Burgundio cum eſſet potentiſſimus & florentiſſimus princeps, vt Rex Gallorum nullum ſe hominem vnquam magis timuiſſe affirmaret, nimia ambitione & inſolentia ſeductus, dum nimium viribus & potentiæ ſuæ tribueret, & Archiepiſcopatum Colonienſem, totamque Germaniã peruadere conaretur, à Deo deſertus, miſerè perijt. *Meierus lib. 17.*

Carolus autem Gallorum Rex conſilio & prudentia magis pugnaſſe fertur, quàm armis. *Froſſardus.*

Virgilius Maro in libris Aeneadis elegantur deſcripſit, Quod ex conſilio & voluntate Deorum Aeneas in Latium venerit, Latini Regis filiam Lauiniam ducturus, à quibus nuptijs Latinus Rex non admodum alienus fuerit, regina autem mater Turnum, vicinum & notum principem, Aeneæ præferendum eſſe cenſuerit. Ipſaque Iuno, Troiã-

Troianorum æmula, per furiam atrox bellum ſuſcitarit:

Quid ſi mea numina non ſunt,
Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare quod vſquam eſt:
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.
Arma velit, poſcatq́, ſimul, rapiatq́ iuuentus.

Multi à bello dehortabantur. Turnus amore Lauiniæ, & cupiditate regni, Deorum admonitiones, omneſque pacis conditiones reſpuit: & tali propemodum oratione bellum perſuadebatur:

Nos patria amiſſa dominis parere ſuperbis
Cogemur, qui nunc lentis conſedimus aruis.
Vix hoſtem alterni ſi congrediamur habemus,
Numeróne an viribus æqui non ſumus?
Certatim ſeſe Rutuli exhortantur in arma,
Sæuit amor ferri, & ſcelerata inſania belli.

Aeneas quoque Vulcani optimis armis inſtructus, ait:

Heu quantæ miſeris cædes Laurentibus inſtant,
Quas pœnas mihi Turne dabis?

Ex latinis ergo multi ceciderunt, vt ſuſcepti belli eos pœnitere inciperet. Turnus ergo illos conſolatur, ne tam facilè deſperent:

Si tam deſerti ſumus, & ſimul agmine verſo
Funditus occidimus, nec habet fortuna regreſſum,
Oremus pacem, & dextras tendamus inermes:
Sin & opes nobis, & adhuc intacta iuuentus,
Auxilioq́, vrbes Italæ, populiq́ ſuperſunt,
Sin & Troianis cum multo gloria venit
Sanguine, ſuntq́ alij ſua funera, parq́ Per omnes

Tem-

Tempeſtas, cur indecores in limine
primo
Deficimus, cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies, variuſq; labor, mutabilis aui
Rettulit in melius. Sunt nobis fortia bello
Pectora. ſunt animi, & rebus ſpectata iuuentus.

Latinus Rex, Lauiniæ pater, ad pacem hortatur, & ſuadet Turno, vt à bello deſiſtat; fatalem Aeneam manifeſto numine ferri: importunumq́ue bellum cum gẽte Deorum, & viris inuictis geri, quos nulla fatigent prælia, nec victi poſſint abſiſtere ferro: Matres, vxores, & liberi occiſorum militum dirum execrantur bellum, Turnique hymeneos:

Ipſum armis, ipſumq; iubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ & primos ſibi poſcat honores.

Drances quoque vnus ex principibus Regni, Latini Regis conſilium de pace laudat: & Turnum affatur:

Dicam equidem, licet arma mihi mortemq; minetur,
Quid miſeris toties in aperta pericula ciues
Proijcis, ô latio caput horum & cauſa malorum.
Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes,
Turne ſimul pacis ſolum inuiolabile pignus,
Primus ego inuiſum quem tu tibi fingis, & eſſe
Nil moror, en ſupplex venio, miſerere tuorum.
Pone animos, & pulſus abi, ſat funera fuſa
Vidimus, ingentes & deſolauimus agros.

Si adeo dotalis regia cordi eſt, aude, ſi qua tibi vis, ſi patrij quid.

Martis habes, illum aſpice contra, qui vocat,

Exori-

Exoritur trepidos inter diſcordia ciues:
Vrbem alij reſerare iubent,& pandere portas,
Arma ferunt alij,& pergunt defendere muros,
Fortuna hac totam concuſſit funditus vrbem.

Regina mater Lauiniæ, Latini Vxor, ſe cauſam clamat crimenque caputque dolorum, & ſeipſam ſuſpendit.

Milites cæſi ſepeliuntur vtrimq;.

Turnus victus humilis ſupplex, viciſti inquit, & victum tendere palmas Auſonij vidêre, tua eſt Lauinia coniunx. Vlterius ne tende odijs. Aeneas ergo cum in humero Turni vidiſſet ſignum Pallãtis, quem occiderat, ferrum aduerſo ſub pectore condit, temeritatemque in bello ſuſcipiendo & gerendo caſtigat, iubetque alios inde exemplum capere. Ipſe autem victor ſuſcipitur,& cum Lauinia nuptias celebrat:ſocios cõſolatur à laboribus: Hic meta malorum ſtabit, nunc parta quies,nunc meta extrema laborum.

Io. Brunell. de homicid. part. 4. nu. 18. Ne Turcis quidem temerè indicenda bella ſunt, quæ ſacra vocantur,niſi certa ſpes victoriȩ affulſerit,ne aliæ Chriſtianæ prouinciæ in diſcrimen adducantur.

Eſt ſapientis viri officium, omnia prius tentare & experiri,antequam arma capiat. Semper optanda pax,ſed non illa,quȩ inſidioſo pacis nomine peſtiferum bellum,& reipubl.interitũ eſſet allatura.

Quintinus Libertinorum pater,& Anabaptiſtarum gregisDux,omne bellum promiſcuè damnat, & Chriſtianis nulla bella gerere permiſſum aſſeuerat:ſed præter orthodoxos ſcriptores,Ioan. Caluinus c.vlt.Inſtructionis ſuæ contra libertinos illius dogma redarguit.

Quædam ergo bella iuſta & neceſſaria ſunt. Sapientiſque Principis eſt, in altiſſima pace de bello etiam cogitare. Et cum tranquillitatem à bellis externis eſſe perſpexerit, non remp. curis vacuam, vel præſidijs exercitioque militari nudatam patietur: ſed eã armis inſtruet, munitionibus firmabit, ornamentis pacis excolet, & iuuentutem armis excitabit, & quaſi hoſtes ſemper aduentent, nunquã arma relinqui, aut deſeri ſinet. Beatum eſſe prædicat Salomon illum, qui ſemper timet, hoc eſt, qui cautus & prouidus eſt, & ad omnia mala quæ poſſunt ad illum incurſare, depellenda paratiſſimus. Fluxa enim eſt hominum fides, magna vis inuidię, atque libidinis regnandi, multæ fraudes in vita communi verſantur, varia denique eſt, & commutabilis, atque infinitis caſibus obiecta fœlicitatis humanæ conditio. Quædam potentiſſima regna, & prouincias bellis perfunctas, pace & otio conſtituto inopinatis ruinis concidiſſe, vires atque opes ſimul amiſiſſe hiſtoriæ commemorant. Perſarum Imperium armis partum, longa pax & otium deleuit: Græcorum opes ingentes, eadem diuturnitas pacis abſumpſit, Roman. Imperium otium quoque & nimia ſecuritas, quod Cato futurum prædixerat, haud parum afflixit. Antiquaſque hiſtorias perquirenti conſtabit, magna Imperia armis quæſita, pace & otio concidiſſe. *Hiero. Oſor. 8.*

Devs Iudæis reliquit in terra promiſsionis perpetuos hoſtes, quos delere nequibant, vt in eis erudiret ipſos, vt diſcerent certare cum hoſtibus, & haberent ſcientiam belligerandi, atq; per illos Iudæi in officio continerentur. Ioſuæ 15. 23. Iud. 3.

Fuit

Idem 24. Fuit olim Athenis templum vni ex filiabus Cecropis Regis dedicatum, quæ Aglauros dicebatur. In quo omnes ciues, cum ad adoleſcentiæ ætatem veniſſent, armati omnibus armis deducebantur, & conceptis verbis iurabant: Non afficiam dedecore arma ſacra, neque ducem, quem fuero ſecutus, deſeram, pugnabo pro ſacris, pro ſanctitatibus, ſiue ſolus, ſiue cum multis: enitar ne tradam patriam meam poſteris deteriorem, quàm accepi, ſed multò magis florentem, illis qui conſiderati iudicauerint, libenter obtemperabo, legibus iam latis parebo, & illis etiam quas populus communi cõſenſu tulerit: ſi quis autem leges oppugnauerit, aut ijs parere noluerit, id nulla ratione patiar, & vel ſolus, vel cum multis illi obuiam ibo: patriam religionem conſeruabo.

Harum autem rerum Deos teſtes inuoco.

Sed ille princeps ſi iuſtum bellum ſuſcepit, operam dabit, vt iuſtum bellum iuſtè geratur, militaris inſolentia refrenetur, indomitæ cupiditates morum honeſtate comprimantur, ne arma in perniciem patriæ, ſed ad ſolidam pacem fœlicitatemque conferantur.

Bellum enim ad pacem referendum eſt, non honeſta pax exitioſi belli cupiditate perturbanda.

Neniza L. 4 syl. nupt. Bellum iuſtum & neceſſarium inter alias commoditates quas affert, dicitur eſſe executor iuſtitię, quòd fures, homicidas, latrones, plærumq; auferre ſoleat.

Sub Noacho noui mundi poſt vniuerſale diluuium parente, & inſtauratore, quem poëtæ & philoſophi Ianum & Saturnum appellârant, aureum ſeculum fuiſſe perhibent. Quando omnes ſuis cõtenti

tenti nemo aliena appetebat, ſed agni abſque vllo timore in ſumma opulentia & fœlicitate viuebát, paulatim fraus & omne nefas irrepſit.

Tunc belli rabies, & amor ſucceßit habendi
Ipſaq; iuſtitia fugit indignata ſub vmbras,
Aureiq; ſeculi mutata fœlicitas eſt.

Noachi filius Cham genuit Chus, qui Nembrod procreauit, qui cœpit eſſe potens in terra, & fortis venator, atque princeps, quia primus inter homines tyrannidem arripuit. Authorq; eis fuit, vt altiſſimam turrim ædificârint, ne Deus iterum fortè iratus diluuio ipſos punire poſſet, Ideoque à confuſione regnum illius Babylon vocabatur. Geneſ.10. & ibi Hieronymus & alij.

Primus vicinis bella intulit Ninus. Auguſt. lib. 4.c.6. Ciuit. Dei.

Ambitio dominandi homines paulatim inuaſit, & alij tunc de agrorum finibus decertabant, alij ex aliorum terminis prædas agebant, alios regnandi cupiditas cum alijs decertare coëgit. Erat igitur neceſſe ei, cui bellum inferebatur, vt armis reſiſteret, vim vi propulſaret. Ideoq; homines vrbes muris cingere, mœnia ędificare, armaque bellica fabricare cœperunt. *Regum orig*

Bellaque ab initio viribus tantùm gerebantur, pugniſque & dentibus certabant, teſte Polidoro, acceſſit deinde ars atque diſciplina multorum bellorum vſu comparata. Et populorum Reges atque Principes tam armorum diſciplina, quam legum & Iuris ſcientia inſtructum eſſe oportebat, vt vtrumque pacis & bellorum tempus rectè adminiſtraret. *L.2.c.10.* *Iuſtinianus proœ. Inſtitut.*

Quomodo Reges ab initio conſtituti fuerint, qualiterque bella in orbem terrarum introducta, regnaque & monarchiæ à Deo fundatæ, & de gente in gentem tranſlatæ ſint, cùm ad ſummum excreuiſſent, conciderint, in tractatu de Rom. Imperio ediſſerui.

Inſtrumentorum bellicorum repertorem ex magna parte faciunt Archimedem Siculum Mathematicum illuſtriſſimum, Zenagoram ſextum remorum ordinem addidiſſe ferunt, autore Mario in deſcrip. Siciliæ.

Porro illa bella, quæ à ſupremo magiſtratu de conſenſu ſubditorum, pro defenſione ſui, & ſuorum, & rerum, atque bonorum conſeruatione, vel pro recuperatione oblatorum, aut contra rebellantes ſubditos, aut ſimili legitima cauſa ſuſcipiuntur, iuſta cenſeri, probat Ioann. Brunellus, de homicidio parte 4. Gail. lib. 1. de pace pub. & lib. 2. obſer. 57. Et ante illos Boërius deciſ. 178. Guido papæ deciſ. 113. & 191. & 434. Gratianus 23. q. 2. & 3. latè Gaſparus de Calderinis cóſ. 1. de treuga & pace.

De militari diſciplina, & rigore apud veteres, de militum delectu, & officijs, de pęna eorum, qui ſtationem deſeruiſſent, Gratian. 23. q. 2. Menoch. remed. 9. recup. poſſeſſ.

Omne bellum ante indici atque denunciari debere, Cicero affirmat lib. 1. offic. Sicut Romani feciales prius mittere ſolebant, ad indicenda bella. Imperator nunc Herolt ablegat. Gail lib. 1. de pace p. c. 4. & lib. de pign. obſeru. 2.

Quod autem bellum adhuc diffidatio præcedere debeat, aſſerit Iaffredus deciſ. 122. Guido papæ deciſ. 191. & 437.

Roma-

Romani non tã fortitudine, quàm moderatione, & diſciplina iuſtitiaque Imperium orbis terrarũ obtinuerunt. Pulchrum eius rei exemplum tradit Plinius libro de viris illuſtrib. c. 32. Camillus Roman. Dux, cùm Phaliſcos obſideret, Ludimagiſter nobiliſſimos Phaliſcorum filios extra vrbẽ eduxit, ciuitatem illi ſic traditurus: ſed Camillus eam perfidiam deteſtatus, vinctum illum cũ pueris in vrbem caſtigandum remiſit. Statimque Phaliſci ob tantam iuſtitiam ſeſe Camillo dediderunt. Idẽ refert Liuius decad. lib. 5. addens Phaliſcorum legatos in Senatu Romano dixiſſe: Euentu huius belli duo ſalutaria exempla prodita ſunt generi humano: vos fidem in bello, quàm præſentem victoriam maluiſtis: nos fide prouocati, victoriam vltrò obtulimus.

Decem millia Athenienſium Duce Melciade ter cẽtum millia Perſarum vno prælio fuderunt: idque eo tempore, quo Perſæ rerum geſtarum gloria florebant, & Imperium orbis obtinebant. Perſas enim confidentia ſuperbos & immoderatos efficiebat: Athenienſes metus & pudor & religio continebat, ne quid immoderatè gererent. Ob eandẽ ferè cauſam vna tribus Beniamin reliquas Iudæorum tribus, numero & iuſtitiæ cauſa potiores, bis magna clade affecit. *Iudic. 19.*

Plurimum ergo intereſt, vt probi & fortes ſtrenuique duces & milites adhibeantur, quod mox edſſeretur.

Antiquus etiam mos eſt cum alijs regibus & principibus fœdera pro mutuis conſilijs, auxilijſque contrahantur, quæ à firmitate & robore percuti dicuntur. *Fœdera & ligæ.*

Hoc enim fecit Abraham.Genſ.14.

Moyſes præcepit tribui Ruben, Gad, & Manaſſe, vt adiuuarent fratres ſuos In expugnanda terra

Num 32. ſancta, Iudas Iudex & Dux Iſraëlis aſſumpſit fratrem ſuum Simeonem, & cum illo fœdus inijt, vt coniunctis viribus pugnarent militiam Dei.

Iudic.1.

Idem Dauidem, Salomonem, Ioſaphat, Iudam Machabæum feciſſe, libri Regum & Machabæorũ teſtantur.

Laitæ ſoli habitabant, ſecuri, & quieti, ſine vllo timore, cum nullis villis fœdus & familiaritatem habentes: facilè ergo ſuperabantur à Iudęis. Iudic. cap.18.

Similiter aliarum gentium Principes feciſſe, vel ex Virgilio colligitur, apud quem Menander ad Aeneam libro 8. ait: Accipe daque fidem.

Funiculus enim triplex difficulter rumpitur, c.1. de treuga & pace.

Notandum verò quòd Aſa Rex Iſraelis, ob fœdus cum impio Rege Syriæ, caſtigatur à Deo, & fit inglorius, quòd magis humano, quàm diuino auxilio fideret, Paralip.16.

Inuictus ille Iudas Machabæus, cùm antè Dei auxilio vbique ſæpius triumphaſſet, poſt initum fœdus cum Romanis, parum amplius laude dignũ peregiſſe reperitur.

Richt axio. 152. Fædera cum diſſimilibus, & cum pluribus, ſæpe infelicia fuerunt, etiam in bonis cauſis. Facile diſſoluuntur, conuertunturq; in hoſtiles inimicias. Implicati fœderibus rapiuntur ad negotia iniuſta & pernitioſa: coguntur que ſequi alienos furores. Inter confœderatos ſæpe deteriore loco ſunt, qui ea ſeruant: Nam in fœderibus vbi variæ cupidita-

tes, varij fines ſunt, facilè ſuſpiciones, rixas, diſcordias oriri videmus.

Cum reliqua ad iuſtum & neceſſarium bellum gerendum princeps deliberauit, de idoneis belli ducibus haud poſtrema cogitatio erat, de quibus infra quæſt. 61. & 66. dicetur. *Duces.*

Iacobus enim Meierus in libris Annalium Flandriæ varijs exemplis declarat, etiam ſacra bella contra Infideles infœlicem ſæpe exitum habuiſſe, propter Chriſtianorum principum & Ducum diſcordias, militumque corruptiſſimos mores, nefanda ſcelera, & rapinas, atque inceſtas libidines. Vt Sigiſmundus Imperator conquereretur, quòd in militiam aſſumpſiſſet homines ſuperbos, vanos arrogantes, in fide, & moribus corruptiſſimos, & tam flagitioſæ vitæ, vt omnes boni ab ijs meritò abhorrerent. Tunc in bello ſecurus eſt Rex, ſi bonos & peritos belli duces, atque fideles milites habeat. *quæſt. 61. & 66.*

Inter alias cauſas cur Saraceni & Turcæ tot annis adeò felices extiterunt in bello contra Chriſtianos, refertur: quod in conſtituendis Ducibus, & mandandis Magiſtratibus non genus, non fauores, ſed virtutes & merita reſpiciant, diſciplinamque militarem conſeruent.

Magnum illum Cyrum, Perſarum Monarcham, dicere ſolitum Xenophon ſcribit: Quemadmodũ melius eſſet nauigare cum bonis, ita fœlicius eſſe, cum bonis verſari in bello.

Saul in exordio regni ſui omnes viros fortes & induſtrios ex Iudęis ſubditis ſuis aſſociabat ſibi. *1. reg. 14.*

Milites quidam ſancti fuerunt. Gail lib. 1. de pace publ. c. 4.

Milites in ſacro bello mortui cœleſte regnum ingrediuntur. can. omnium 23. q. 5.

Milites à Cæſare auocati, non obſtante iuramẽto, Ducem ſuum deſerere coguntur. Gail lib. 1. de pace publ. c. 4.

Quatenus milites noſtri tẽporis gaudeant priuilegijs antiquorum militum: Capell. Tholoſ. q. 141. Summa Angelica. Bart. ſumus in armilla. Gail. lib. 2. obſ. 118. Gloſ. & ibi DD, l. penult. D. quib. ex cauſis. Hippol. Marſ. ſing. 559. Minſi. conſ. 46. VVeſenb. conſ. 17. & 38. & in parat. C. lib. 3. tit. 25. Spec. Saxo. l. 1. art. 27.

Qui non exercet militiam, non gaudet priuilegijs militũ. Felyn. proœ. decret. §. Gregorius, VVeſenb. paratit. C. lib. 3. tit. 25.

Nemo præſumitur miles, niſi probetur, Capell. Tholoſ. q. 141.

Priuilegiũ autem militare durat, donec militarẽ qualitatem retinent, & ſi valetudinis cauſa parum ex militia diſceſſerint. VVeſenb. cõſ. 17. & conſ. 38.

Schwartze Reuter. Qui apud Germanos dicuntur Schwartze Reuter. Guicciardinus lib. 2. vocat Tormentiferos, dicitq́; omnium eſſe fortiſſimos, & ſoli fortunæ ſuccumbere, niſi à ſagittarijs imparati opprimantur, aut ſemel turbati celeritate obruantur.

Freybûter. Qui apud Germanos iã Freybûter appellantur, eos Andr. Gail l. de arreſtis, c. 9. vocat impunitos latrones, ſiue graſſatores vngeſtraffte Rauber.

Iudic. Iephte à fratribus ob defectum nataliũ eiectus ex domo patris ſui, cum eſſet fortiſſimus bellator, aſſociabat ſibi viros inopes, & latrocinantes, factuſq́; eſt princeps eorum.

Dauid pro neceſſaria defenſione ſua contra iniuſtam

iuſtam perſecutionem Saulis Regis coniunxit ſibi 400. viros qui erant in anguſtia conſtituti, & ære alieno oppreſſi, qui illi fideliſſimè adhærebant, & vtramq; fortunam cum illo experti fuerunt. *1. reg. 22.*

Sed à rapinis & ſceleribus abſtinebant, & ruſticis patrocinabantur, non ſpoliabant. *1. reg. 25.*

Quo ordine milites olim deſcripti fuerint, & de pœna eorum, qui militiam deſeruiſſent, Menoch. recup. poſſeſſ. remed. 9.

De triplici genere militum, deque priuilegijs & teſtamentis eorum. Minſing. conſ. 46.

Externum militem conduxit Ammon contra Dauidem. Idem fecit Timotheus dux Ammonitarum contra Iudam Machabæum. *1. reg. 10.* *1. Mach. 11.*

Romani longo tẽpore extraneo milite non vtebãtur, Chriſtophor⁹ Roſſus in methodo hiſt. 297.

Stultè facere qui extraneo conductitio & mercenario milite vtuntur, qui ſtipem ſe ipſis chariorem habent, affirmat Marius Salomonius lib. 3. de principatu. *Miles extraneus.*

Conductitius miles pecuniam quærit, quæ ſi nõ ſuppetat, ſi non poſſit haberi, profligato exercitu, vnde, & quàm ſtrenuum reparabit? niſi fortuitum quemque rudem & inexercitatum, vel triobuli militem. Sicut Gallorum & Venetorum exemplo ibi Salomonius declarat.

Ruſticos & imperitum vulgus ciere, eiſq; confidere, ridiculum eſt. Meien. lib. 16. Annalium. *Ruſticis cõfidere ridiculum eſt.*

Nimis magnus exercitus cum difficulter regi poſſit, facilè dilabitur, & cadit, nec tam copioſo & magno, quàm forti & obſequenti fidendum eſt.

Nec enim tã multitudo, & indocta virtus, q̃ ars

& exercitatio ſolet preſtare victoriam. Scientia enim rei militaris nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod ſe rectè didiciſſe confidit. Nulloque alia re orbem ſubiugaſſe dicuntur Romani, quàm armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſuque militiæ, viliuſque erudire putabant ſuos armis, quam alienos mercede conducere.

Iudic. 20. & 21. Vna tribus Beniamin habuit exercitatiſſimos milites, ambidextros, & ita verſatos, vt fundis etiam capillum lapide percuterent, ideoque pauci omnes alias tribus ſuperauerunt, donec ex Dei voluntate per inſidias opprimerentur.

1. reg 27. & 29. Achis Rex diligebat Dauidem exulem, & multa mala inferebat Iudęis ſuis Dauid, vt Philiſtęi fidem illi adiungerent: Philiſtinorum tamē Satrapis ſuſpectus habebatur, & prælio excedere cogebatur. Nec enim exuli contra Regem ſuum Saulē, propriumque populum Iudaicum credere voluerunt.

Dauid quidem fidem ſeruaſſet Regi: multi tamen contra datam fidem egiſſe comperti ſunt.

Sopyrus quidam, vnus è ſeptem proceribus Perſarum filius, naſum & aures ſibi ſponte præſcidi curauit, hoc ſe à Dario Rege ſuo iniuſtè perpeſſum ſimulans, vt fidem illi Babylonij adiungerēt, quoſdam etiam Darij milites interemit, ſeque odio Darij ad Babylonios defeciſſe affirmabat: ſed exercitui Babylonico præfectus, illum ad Darium adduxit, & Babyloniam prodidit.

Hieroſolomitani milites in ſui receptione gladio percutiuntur: vt ea cæremonia admoneantur, debere ipſos eſſe duros & ſtrenuos fidei defenſores, Benius priuileg. 28. Iuriſperitorum.

In ſpe-

In ſpeculo Saxonico ad militem creandum. 5. requiruntur 1. vt præſtet ſacramentum de republica conſeruanda. 2. vt enſe accingatur. 3. vt ſignetur ſtigmate in brachio. 4. vt ſcribatur in matricula. 5. vt examinetur, per Accurſium. D. ex quibus cauſis ma. milit. *lib. 1. art. 27*

Non ſoluere militibus in tempore ſtipendia, eſt prædones facere, Meierus libro 14. Annalium Fland.

Heraclius Imperator Saracenos conduxerat, ſed quia ijs auarè ſtipendia ſoluebat, Imperium Ro. vaſtare incipiebant.

Præfecti & milites qui in excubijs, aut cuſtodiendo Rege negligentes ſunt, reos mortis facit Dauid. *1. Reg. 26.*

Quique lata culpa caſtrum amittunt. Gail. lib. 1. de pace p. cap. 7.

Milites ſi ſua culpa capiantur ab hoſtibus, ſibi ipſis imputare debent. Capell. Tholoſ. & ibi Aufr. quæſt. 360.

De pœna Ranſonis Boerius deciſ. 178. *Ranſoun.*

Qui hoſtem cepit, pecuniam ſemel conuentam augere nequit. Guido papæ deciſ. 113.

Quanquam Reges & Principes ad iuſta & neceſſaria bella gerenda, viris, & armis, omnibuſq; neceſſarijs rebus egregiè inſtructi putabantur: minimè tamen iſta inchoabant, niſi prius diuini Numinis fauorem auxiliumque imploraſſent. *A diuino numine inchoandum.*

Nam victoriam à ſolo Deo proficiſci, etiam pagani cognouerunt. Virgilius Maro Latinorũ prudentiſſimus poëta, lib. 6. Aeneados. *Vide. q. 1.*

Si te fata vocant, aliter non viribus vllis

Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.

Et lib. 12. Aeneados bellum, quod inter Aeneam Troianum, & Turnum geſtum fuit deſcripturus, vtrumque ait ante prælium Deos deprecatum, & ſacrificia obtuliſſe, auguria cepiſſe. Et Turnus ibi ad Aeneam ait:

Non me tua feruida terrent
Dicta ferox: Dij me terrent, & Iupiter hoſtis.

Numæ Pompilio Romanorum Regi cum diceretur: Hoſtes contra te bellum parant: Ergo, inquit ille ridens, ſacrifico. Indicans, hoſtium vires magis Numine, quàm armis frangi.

Ioſ. 10. Quinque Reges contra Ioſuam conſpirauerant, Ioſuæ diuinum Numen implorat. Deus obediuit voci illius, & pugnauit pro Iſraël, conturbauitque & contriuit hoſtes illius, & pluit magnos lapides ſuper eos, & ſol immotus ſtetit in medio cœli, donec reges caperentur, & totus exercitus eorum deleretur. Ioſuæ autem milites reuerſi ſunt ſani, & integro numero.

Ioſ. 23. & 24. Prædicitque Ioſue Iſraëlitis, futurum, vt Deus ſemper eodem modo pro eis decertet, vt nullę robuſtiſſimæ gentes eis reſiſtere queant, vnus perſequatur mille hoſtes, omneſq; inimici ad internecionem deleantur, ſi legem Dei obſeruent, & illum ſolum colant, atque venerentur: alioqui omnia aduerſa & contraria eis euentura, vt hoſtibus etiam minimis miſerabiliter affligantur.

Iudic. 11. & 18. Iepthe Iudex Iſraëlis ante prælium vouit Deo ſacrificium. Gedeon victoriæ ſigna petit à Deo.

A Samuele petierunt Iudęi, quando contra Philiſtęos pugnaturi erant, vt oraret pro ijs; ille ſacrifica-

ficauit, & orauit Deum, qui Philiſtæos exterruit 1.reg.7.
fragore cœleſti, vt à Iudæis facilè cæderentur. Ipſiq; Iudæi ieiunio & fletu Deum deprecabantur,

Cum Saul perſequi vellet hoſtem fugientē, ſacerdos eum admonuit, vt prius Deum conſuleret de euentu: & altare Domino extruxit. 1.Reg.14.

Dauid contra ſuperbum Goliath duellum inchoaturus: Dei, inquit, hoc bellum eſt, & non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus. 1.Reg 17.

IccircoDauid ante bellū ſemperDeū conſuluit, an illud ſuſcipere deberet, & qualem eſſet exitum habiturum. 1.reg.23. & 2.reg,5.1.Paralip.c.4.

Achab ille impius Rex Iſraël, Deū de ſucceſſu & ordine belli cōſuluit, diuinoq; numine implorato 33. Reges paruo exercitu glorioſè ſuperauit. 3.Reg.20.

Symacharib Rex Aſſyriorum ſuperbiſſimè contra Regem Iudæorum, & blaſphemè contra Deum loquebatur: & per Iſaiam Deus Ezechiam conſolatus fuit: Quæ deprecatus es ſuper Rege Aſſyriorum audiui, & hęc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Inſaniuiſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas, ego ponam circulū in naribus tuis, & chamum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti: non ingredietur vrbem Sion, nec mittet in eam ſagittam, ego protegam illam, Angeluſque Dei vna nocte percuſſit centum octoginta quinque millia Aſſyriorum. 4.Reg.19.

Quoties Iudæi Deum propitium habebant, illius auxilio inuicti fuerunt: ſi Deum offendiſſent, facili negotio ab hoſtibus ſuperabantur. Iudith.5.

Quādo habebant Iudices, & duces bonos, rectè ſæpe gerebant, & gētibus imperabant: contrà ſub malis Ducibus peccauerūt, & à gentibus oppreſſi ſunt. Iudic. c.2. & 19.

Vos re-

Iud.16. Vos reliquiſtis me, ait Dominus, & coluiſtis Deos alienos, iccircò non liberabo vos amplius: ite, inuocate Deos quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ.

Saul vltimùm contra Philiſtæos decertaturus, cùm Deus illi nullum ampliùs reſponſum daret, mutato habitu, Pythoniſſam conſuluit, quod illi exitium attulit. 1. reg. 28. & 1. paral. 10.

1. paral. cap. 22. Dauid ad filium ſuum Salomonem aiebat: Proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata & iudicia, quæ præcepit Moſes.

Prouerb. c. 1. Salomon Equus, inquit, paratur ad bellum, Dominus ſalutem tribuit.

2. Paralip. c. 6. Deus dat fortitudinem eis, qui perfectò corde credunt in illum.

2. Paralip. c. 20. Deus pugnat pro illis, quia Dei militia eſt, & omnibus prꝑſidijs deſtitutis, ad Deum ſuſpicere licet.

1. reg. 14. Non eſt difficile Domino in paucis ſaluare populum contra multos.

Iudith. 9. Non in multitudine eſt virtus tua Domine, neq; in equorum viribus voluntas tua.

Iudicum c. 18. Tribus Iudæorum Dan ad bellũ profectura leuitam illum, qui apud Michan habitabat, cum Ephod ſecum abduxit, dicens: Num tibi melius eſt, vt ſis ſacerdos in tota tribu Iſraël, quàm in domo vnius tantùm viri?

Deus pugnauit pro Iudæis, vt 31. Reges facilè ſuperarent, deditque eis ciuitates, quas non plantauerant, & terram fluentem lacte & melle. Conteſtatur igitur illos Ioſue, vt Dei legem obſeruent, illi ſoli ex corde perfecto ſeruiant, alioqui futurum, vt plus mali eis immittat, quàm boni præſtitit, &

tit,& gentes ſint ipſis in foueam, in laqueum, & ſudes in oculis eorum. Ioſuæ 23. & 24. & Iud. 11.

Magnus Iuriſconſultus Hoſt. de ſumma trinitate & fide Catholica ſcriptur⁹: Sine trinitate, inquit, non eſt armis, vel ingenio confidendum.

Veteres principes qui glorioſi & fœlices extiterunt, belli victoriam magis ad opem diuinā, quàm ad humanam induſtriam referebant. Quod certè in Conſtantino Magno, in Theodoſio, in Carolo Magno, alijſque Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ principibus eluxit. Qui nullum bellum ꝓſpere geſſerunt, in quo non appareret, eos magis pietate & religione, quàm armis victoriam eſſe conſecutos.

Ioannem Baptiſtam pro Theodoſio contra Eugenium tyrannum pugnaſſe, refert Sozomenus. L. 7. c. 24.

Saluianus de iudicio Dei, ſcribit, quòd Gothi & VVandali Ro. Imperium facile vaſtârint, quia Catholici grauiſſimis peccatis ſe macularent, barbari verò innocenter & rectè viuerent.

Simile reſpondit Theodoſius Valentiano Imperatori: haud mirum eſſe, quòd ab hoſtib. premeretur, cum Arrianus eſſet, & contra Deum pugnaret. Niceph. Calixt. lib. hiſt. 12. c. 21. & Terent. quidam, Valenti Auguſto, apud eundem Nicephorum. lib. 11. c. 49.

Xerxes Rex Perſarum cum Apollinis templum Delphis diripuiſſet, imbribus & fulminibus fuſus eſt, vt intelligeret, quantò grauior offenſa deorū eſt, tantò nullas eſſe hominum aduerſus Deos vires, Iuſtinus lib. 2. hiſtor.

Contrà M. Antoninus in bello Chriſtianorum

prece

prece victor euaſit. Et Chriſtiana legio quæ fulminatrix dicebatur ſemper præcedebat. Nicephorus lib. 6. c. 2.

Apud Spartas & Lacedæmonios ante prælium Rex Muſis capram imolabat. Io. Bohemus lib. 3. c. 3. Priſci Germani ſacrum hymnum Herculi canebant: & ſigna quædam Deorum lucis detracta geſtabant: omneſque ſuas neceſſitudines in proximo ſtatuebant, vt in ſuorum conſpectu aut honeſtè vincerent, aut cũ laude caderent: liberiq́;, coniuges, parentes ſanctiſſimi pugnæ teſtes adhibebantur: ad matres & vxores accepta vulnera deferebant: nec illæ & numerare & exigere plagas formidabant: ciboſque & hortationes pugnantibus ſuggerebant. Illarumque hortatu inclinata acies aliquoties reſtituta fuit.

Et graui terribilique ſonitu, non diſſono, ſed ad terrorem quæſito pugnam capeſſebant.

Princeps pro victoria, comites pro principe dimicabant. Turpe & in omni vita infame erat ſuperſtitem eſſe ex prælio, vnde victor non rediſſet,

Tranſfugæ, ignauique & imbelles milites, atque proditores ex arboribus ſuſpendebantur, tanquam ſcelera in aperto ponenda eſſent. Inertiæ & ignauiæ dabatur ſudore aliquid quærere, quod poſſet cruore parari.

Et Sacerdotum apud Germanos ſemper pacis & bellorum tẽpore maxima auctoritas erat, quod non tam Imperio, quàm diuinitus flagitia vindicari crederentur. Ioan. Boheuius lib. 3. c. 12.

Quòd Carolus Magnus, & Germani Principes, non modò ipſi de placando numine diuino ante bel-

bellum ſolliciti fuerint, ſed pios etiam & doctos ſacerdotes ſecum in bellum abduxerint, qui milites ad pietatem & continentiam hortarentur, & ſacramenta adminiſtrarent: refert Ioannes Turpinus in vita Caroli Magni, & Lupoldus in lib. de zelo veterum Germanorum Principum, & Meierus in libris Annalium Flandriæ.

De Gothefrido & Bohemundo refert Blondus, quòd tempore belli ſacri Lanceam, qua latus Domini in cruce, apertum eſt, Antiochiæ repertam, exercitui præferri mandârint: & Podienſ. Epus ſacri belli præfectus, trium dierum ieiunium indixerit. L. 4. Deca. 2.

Iacobus Meierus lib. 15. & 16. Annalium Flandriæ profitetur, Gallos & Anglos dum veram religionem colerent, glorioſos fuiſſe, & fœliciter contra ſuos hoſtes triumphaſſe. Sed quàm primũ Galli libidinibus atque voluptatibus immergebantur, ab Anglis Deo vltore ſuperati fuerint. Poſtquam iſtis victorijs Angli quoque inſoleſcebant, & non rectè vtebantur, neque Deo acceptas ferebant, Deus eos deſeruerit, atque per fœminam quandam, Catharinam nomine, Anglos debellârit. Vt agnoſcerent victoriam à Deo proficiſci, & Deum ſæpe per infirma huius mundi operari. Minimè tamen debent Principes crebris victorijs, quibus per Dei auxilium potiti fuerunt, aut probitati ſuæ, aut bonitati cauſæ nimium confidere: niſi ex certis diuinis indicijs de Dei voluntate conſtet.

Vlpius Syllanus apud Vopiſcum in vita Aureliani reprehendit quoſdam Senatores, qui dicebãt tantam eſſe Aureliani pietatem, & in tantum à Dijs immor-

immortalibus amari, vt pro eo libros Sybillinos aperire, aut ſacrificia pro eo fieri non eſſet opus. Non inhoneſtum eſt, inquiẽs, Dijs iuuantibus vincere, quibus iuuantib. multa bella apud maiores noſtres cœpta, & fœliciter finita fuerunt.

Sæpe Deus ſuperbiam principum, & ſubditorũ peccata, vel militum inſolentiam, atq; ſcelera punit. Quod Iudæi ob furtum Achan, & decem Tribus Iſraëlis experti ſunt.

Ioſue. 7.
Iudic. 19.

Sæpè improbi & numero, & conſpiratione ſunt potentiores, quàm boni, vt ad eos ſuperandos non virtus, ſed fęlicitas ſit neceſſaria. An aliquis ignorat, quoties melior iuſtiorque pars victa ſit? plena eſt exemplis hiſtoria. Cne. Pompeius etſi bonorũ voluit eſſe defenſor, & pro repub. pro libertate arma ſuſcepit: is tamen victus, à ſpadonibus Aegyptijs detruncatus, inſepultus abijcitur. Lactant. lib. 6. c. 6.

Lactant l. 6. c. 6.

Propterea quoque pijſſimos Imperatores, & Reges, atque principes Chriſtianos tam infœliciter contra Turcas pugnaſſe, fideliſſimi hiſtorici commemorant.

Sampſon aſini mandibilo 1000. viros percuſſerat, ſed cum eam victoriam ſibi aſſcriberet, & læta carmina decantaret, Deus eum tantiſper dereliquit, vt ſiti premeretur, & humanam imbecillitatem agnoſceret. Ioſephus lib. 5. & Comeſtor ad c. 19. Iud.

Ioſiam pium Regem perdidit, quòd bonitati ſuæ nimium fideret.

3. Erd. 1.
1. reg. 22.

Dauid profecturus in bellum parentes ſuos cõmendabat Regi Ammon.

Ducis præſentia in bellis plurimum facit ad con-

conſequendam victoriam, & ad fugandos hoſtes. Quod nauclerus in naui, quod pater in familia, quod rector in ſchola, quod ſol in cœlo, id Rex eſt in regno. Quo præſente omnia proſperè procedũt eo abſente omnis regni ſalus periclitatur. Ideò Brabantinos olim ducem ſuum infantem exercitui in cumis demonſtraſſe refert Gregorius Richterus policito axiomate 260. vt animos adderent militi, & feliciter pugnaſſe.

Non ſemper tamen intereſſe prælio conuenit.

Dicenti Dauid regi: Egrediar ego vobiſcum ad prælium? reſpondit populus: Non exibis: ſi media pars è nobis ceciderit parũ refert, tu vnus pro decem millibus computaris: melius igitur eſt vt ſis nobis in vrbe præſidio. Ad quos Rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc agam. Stetit ergo Rex iuxta portam, dum egrederetur populus. *2. reg. 21.*

Alio tempore Dauid in prælio ferè cecidiſſet, niſi Abiſai ſuccurriſſet illi. Iurauerunt ergo miniſtri Dauid: Iam non egredieris nobiſcum ad bellũ, ne extinguas lucernam Iſraëlis. *2. reg. 21.*

Belli euentum varium eſſe profitetur Dauid. *Belli euentus eſt farius.*

Olim quoque Reges in bello ſecundarium currum equumve circumducebant, quo in neceſſitate vterentur. Sicut fecit Oſias Rex cum læthale vulnus accepiſſet. *Currus & equi ſecundarij Aequũ pro neceſſitate.*

Achab Rex Iſraël in prælium deſcenſurus mutauit habitum ſuum, ne agnoſceretur. 3. reg. vlt. *3. Eſdr 2.*

Ne facilè prælio decertetur & tota rei ſumma fortunæ committatur, quæ in nulla re magis incerta eſt, quàm in bello, admonet Guicciardinus lib. 1. *Prælio non leuiter decertandum.*

Hoc Ioſephus & Azarias abſente Iuda Macha-

H bæo

1.Machab.5. bæo pugnantes experti fuerunt, qui non erant de ſanguine, per quem Deus Iſrael liberare volebat.

Nunquam ergo, niſi magna rei benè gerendæ occaſio inuitet, vel neceſſitas cogat, pugna periclitetur. Hoſtes actores repellere ſufficit, inuadere non expedit.

2.reg 12. Quando vrbs capienda erat, ſcripſit Ioab militiæ præfectus Dauidi Regi, vt ille cum ſuo exercitu veniret, vrbemque occuparet, ne miniſtro aſſcriberetur victoria.

Vrbibus includi & obſideri periculoſum eſt 1.reg 23. Ne Rex vel Princeps belli tempore confidat ciuitati munitæ, indicat Saul Rex, cum Dauid Ceilā vrbem eſſet ingreſſus: Concluſus, inquit, iam eſt, ingreſſus vrbem, in qua portæ & ſerę ſunt: ipſaque vrbs illum Sauli tradere volebat, niſi fugam cœpiſſet Dauid.

1.reg 30. Dauid legem tulit, vt æqualis ſit conditio eorū, qui ſarcinas cuſtodiunt, & qui hoſtem perſequuntur.

Spoliorum diuiſio. Spoliaque hoſtium Dauid ſanctificabat Deo. 2. reg.8.

Iudith 5. Cum Iudith Holofernem truncaſſet, & ſpolia hoſtium colligerentur à Iudæis, omnia quæ Holofernis peculiaria fuerant, dederunt Iudith, in auro, & argento, in veſtibus, & gemmis, & reliqua ſuppellectili.

Cathenæ in vrbibus. Cathenas ferreas Rex Gallorum Pariſijs anno 1405. fieri curauit. Meierus lib. 15. annalium Flandriæ.

Mos deponendi arma ante portam, vt ibi cuſtodiantur, donec iterum exituri ea repetāt, antiquus & laudatus eſt, nec viris nobilibus indignus. Tyraq. de nobilitate c.20.

Gallo-

Gallorum Regem fugientem Flandri ferè occidiſſent, ſed Deus hoc fieri noluit, & Meierus gaudet non eſſe factum, alioqui futurum metuens, ne Galli Flandros captos etiam trucidaſſent. *Lib.10.*

Durante bello inducias petitas ſemper eſſe ſuſpectas, aſſerit Meierus in libris Annalium Flandriæ, vt videlicet interim pars inferior vires colligat. *Induciæ petitæ ſuſpiciones generant.*

Belli iuſti & neceſſarij tempore poteſt Dominus feudi Vaſalli caſtris præſidium imponere, Boer. deciſ. 212. Gail. lib. de Areſtis c. 10.

Et ſuburbia abolere, domoſque, & fundos ciuium pro aggeribus & muris confirmandis vſurpare, reddito eis iuſto pretio. *Gaill. l. 2. obſ. 56. & ſeq.*

Dolis, fraudibus, inſidijs quandoque vti licet, Ioſuæ. c. 8. & c. 3. 23. quæſt. 2. Vide elegans exemplũ libri Iudic. c. 20. *Dolis fraudibus vti.*

In bello iuſto, neceſſitate vrgente, militibus permiſſum eſt, aliquid de ciuium bonis contrectare. Roizius lituanicæ deciſ. 3.

Quæ belli tempore capiuntur, etiamſi capientium fiant, capitaneo tradenda ſunt. Diaz. reg. Iuris 6.

Capta in bello iuſto, fiunt capientis, Iaffred. deciſ. 122.

Capta in bello iniuſto non fiunt. Minſingerus conſil. 21.

Iudæi cum tribum Beniamin bello ſuperaſſent, & propemodum extinxiſſent, pœnitentia ducti ſuper victis, magna cura, ingenti ſtudio ſibi prouidendum aiebant, vt ſuperſtites erigerentur, & vxores acciperent. Iud. vlt. Victor non debet victos nimium vrgere, *Victor non debet ſæuire in victos ne deſperet.*

H 2 Num

2.reg 2. Num vſque ad internecionem tuus mucro deſçuiet? inquit Abner ad Ioab, an ignoras quod periculoſa eſt deſperatio?

1.reg.22. Cum Saul iniuſtè vrgeret Dauidem, collegit Dauid 400. viros, qui erant in anguſtia conſtituti, ære alieno oppreſſi, quique erant amaro corde, & factus eſt eorum Princeps.

1.reg.27. Et cum eis fugit ad Philiſtęos hoſtes Iudæorum, multaque mala intulit ſuis Iudæis.

Romanorum mos erat, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Horat.lib.1.epiſt.15.

Vendere cum poßis captiuum, occidere noli,
Seruiet vtiliter, ſiue paſcat durus, aretq́;,
Annona proſit, portet frumenta, penuſq́;.

Poſt victoriam Dijs gratias agebant, cædeſque in bello factas expiabant. Alex.Sard.lib.3.c.10.

Milites arma in publicam coſtodiam deponebant. Blond.lib.6.Ro.triumph.

Victis arma auferebant, quod Iulius Cæſar teſtatur.

1.reg.13. Sicut Philiſtæi cauerant, ne Iudæi arma retinerent.

Perſæ populorum, quos bello vicerunt, principes occidunt, ne rebus nouis ſtudere poſſint.

Alex Sard. l.3.c.11. Idem Turçarum mos eſt.

Apud Chriſtianos victor debet victori miſericordiam exhibere, præſertim in quo pacis perturbatio non timetur, can. Noli exiſtimare 33.q.1.

Segetes cō buſtæ. Segetes hoſtium incendere durum eſt. Etſi hoc fecit Sampſon Philiſtæis per colligatas vulpes. Iud.15.

Et

Et Holofernes Iudæis. Iudith. 2.

Et Abſolon Ioab ad ſe venire tardantis, meſſem hordei ſuccendit igne. 2. reg. 14.

Tranſitum militibus denegare periculoſum eſt in vtramque partem. Iudas Machabæus cum per aliam viam proficiſci nequiret, niſi per ciuitatem Ephron, locutus eſt ad Ephronitas verbis pacificis: Tranſeamus per terram veſtram in terram noſtram, nemo vobis nocebit, tantùm pedibus tranſire patiamini; hoc autem illi pertinaciter recuſabant: Expugnauit ergo illam ciuitatem Machabæus, & percuſſit omnes viros in ore gladij, ſpoliauit, atque eradicauit eam.

Tranſitus militum.

1. Mach. 5.

Ex fumo caſtrorum Gorgias cognouit ſuos fugiſſe, Mach. 4.

Fumus eſt Index fugæ

Iud. 20.

Sicut ex fugo Beniamitæ collegerunt vrbem eſſe captam.

Geneſ. 48.

Iacob dedit filio ſuo Ioſeph illam partem hæreditatis præ fratribus ſuis, quam gladio acquiſiuerat.

Ita de peculio Caſtrenſi Iuriſconſulti tradiderunt. Qui barbaris, Turcis, Saracenis vias aperiũt, arma, comeatum deferunt, quibus Chriſtianis noceant, grauiſſimè peccant. Eleganter Balſ. ad cap. 7. epiſt. Gregorij Neoceſ. Gail lib. 1. de pace pub. c. 1. Extrauag. com. 3. de pœnit. & remiſſ.

Eccleſia etiam bellum indicere poteſt, & belligerantibus pręmia elargiri. ex Mar Soci. c. excommunicamus, de hæretic.

Clerici belligerantes.

Clericis quatenus belligerare liceat, vide apud Gratian. 23. q. 8. Claud. Eſpenceum lib. 2. & 3. digreſſi-

greſſionum in epiſt. Pauli ad Titum, Marium Salomonium lib. 3. de principatu, Neuiz. lib. 4. ſyl. nup. Didac. Couarr. ad clement. furioſus, de homicid. & alios paſſim.

Eccleſiaſticis rarò aliquid fœliciter in bello cedere aſſerit Iac. Meier. lib. 10. Annalium Fland.

Porrò bellum inter flagella Dei recenſetur, quibus Deus hominum peccata caſtigat.

Dauid Regi cum in Deum peccaſſet, datur optio, vtrum peſtem, famem, an bellum ſubire malit. 2. reg. vlt. 1. paral. 21.

Sed Dauid tunc pij Regis officium præſtitit, orãs Deum ne populum innocentem affligeret. Ego ſum, inquiens, Domine, qui peccaui, iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.

3. reg. 11. & 12. Salomoni Regi propter peccata ſua Deus bella ſuſcitauit.

Deut. 28 & ſeq. Ioſ. 23. Peſte, fame, gladio, populi ſui ſcelera ſe vindicaturum prædixit Deus, per Moſen, & per prophetas atq; Apoſtolos diuerſis ſcripturæ locis.

Aliquando Deus bellum oriri permittit, vt iuſti à tyrannis vexati liberentur, & iuſtorum perſecutores dignam mercedem recipiant. Saul iam Exrex Iudæorum verum regem Dauidẽ poſt crebras *1. reg 23.* perſecutiones ferè comprehenderat, ſed repentino nuntio reuocabatur, vt Philiſtæis, qui pręter opinionem regnum Iſraël inuaſerant, ilicò reſiſteret.

2. reg. 6. 11. Belli euentum eſſe varium profitetur Dauid: ſignificat ergo Ioab militiæ præfecto, ne propter vnam acceptam cladem animum deſpondeat. Eodem

dem argumẽto ſuos conſolatur Turnus apud Virgilium, quod mox eſt recitatum.

Sunt enim bella ferè pœnæ flagitiorum, & executio iuſtitiæ, ſceleratis iuſta præmia irrogans: iccirco variæ ſunt bellorum vices ab vtraque parte: tandem vero grauioribus pœnis opprimentur illi, qui iniuſta bella mouerunt. Exitus enim bellorum ferè congruunt ad normam iuſtitiæ. *Neuizanus lib. 4. ſyluæ.*

Bella non neceſſaria ex ambitione, odio, temerè ſuſcepta rarò ſunt felicia.

Cum deſperatis & pauperibus ſuſcepta bella plerumque ſunt infelicia: Nam hoſtes audaciores facit victoriæ deſperatio: & vltima neceſſitas in rabiem vertit, & ex timidis fortiſſimos facit.

Bellorum exitus ſunt obſcuri & incerti: nec ſemper ex præſcripto procedunt, nec humanis conſilijs reguntur.

Cõſulta celeritas laudatur in bellis.

Neruus bellorum eſt pecunia. Obſeſſorum eruptiones tametſi neceſſarió aliquando fiant, valdè tamen ſunt ijs, qui obſidentur, periculoſæ, teſte Cominæo.

Ne captas in bello ciuitates Romani funditus euerterent, ſed colonias Romanorum efficerent reip. participes, Romulus præceperat, Sazius ad L. 2. digeſt. de orig. Iur. Io. Bohemus lib. 3. cap. 19.

Carthaginem tamen, & Numantiam, atque Corinthum deleuerunt: ne loci o-

oportunitas eos ad repetendum adhortaretur.

De citharis & tympanis quibus in prælio vtebantur, deq; triumphis victorum, Polydorus lib. 1.c.15.& 16.

Finito bello ſi omnia condonentur, hoc præcipuè de Iure atque iniurijs principum intelligitur. Eberhard.præſes, conſ.236.Vtriuſque tamen principis ſubditi etiam acquieſcere coguntur, Curtius de feud. Minſing.cõſ.21.& cent.4.obſ.9. Gaill.l.2. obſ 56.Menoch. remed. 1. recup. Pax inter principes inita, eorum ſucceſſores obligat. Iacobinus de feud. Pontifex cogere poteſt principes ad ſeruandum pacta pacis tempore inita. Petr. Duen. Iur. reg.16.

Pax quomodo conſtituatur,& iterum violetur, & quis eam violaſſe dicatur, deque violantium pœna,& an violante vno, alteri quoq; violare liceat, Hippolitus Marſil.ſingulari 503.Minſing.cõſ. 21.Gaill.de pace pub.lib.1.c.4.Viuius li.2.opinione 223. & ſeq Alexander Magnus ipſe prælijs aderat, & periculoſiſſima quæque aggrediebatur, & vbi confertiſſimos hoſtes acerrimè pugnare conſpexiſſet, eò ſe ingerebat, periculaque ſua eſſe, non militum volebat. Hoc prælio Aſiam rapuit, & nemo ei poſthac rebellare auſus fuit. Tantamque fiduciam ſuis militibus fecit, vt illo præſente, nullius hoſtis arma, nec inermes timerent. Itaque cum nullo hoſte vnquam congreſſus eſt, quem non vicerit, nullam vrbem obſedit, quam non expugnârit, nullam gentem adijt, quam non calcârit. Donec mutatis moribus, etiam mutata felicitas fuit. Victus tandem non tam virtute hoſtili, quàm inſidijs ſuorum,& fraude ciuili. Iuſtinus lib.11.& 12.

DeRo-

De Romanis Africanus aiebat: nec animis minui, ſi vincerentur: nel ſi vincerēt, ſecundis rebus inſoleſcere.

Hannibal vero aſſerebat: Romanos foris inuictos, domi fragiles eſſe, nec aliter eos vinci, quàm ſuis armis, nec Italiam niſi Italicis opibus & viribus ſuperari: De vtroque Iuſtinus lib. 31.

Porro Conſtantinus Magnus poſt victoriam contra Chriſtiani nominis hoſtes, templum ingrediebatur, Deo gratias acturus: ſed & mortuos ſepeliebat, exules reuocari, captiuos redimi, publicata & adempta bona veris poſſeſſoribus reſtitui, ſubuerſiſque idolis eorum bona Chriſtianorum eccleſijs attribui mandabat, teſte Nicephoro, lib. 7. c. 30.

Ipſe Moſes Iudæis bellandi leges, expugnandique vrbes, de tractandis victis, de militibus aſſumendis & remittendis, de arboribus & ſegetibus ex Dei mandato præſcripſit, Deuteronomij capite 20.

Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus; & maiorem quam tu habeas aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia dominus Deus tuus tecum eſt, qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem iam prælio, ſtabit ſacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum: Audi Iſraël: vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committetis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Duces quoque per ſingulas turmas audiente exercitu proclamabunt:

Quis eſt homo qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Vadat & reuertatur in domũ ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam: Quis eſt homo qui plantauit vineam, & necdum facit eam eſſe communem, & de qua veſci omnibus liceat? vadat & reuertatur in domum ſuá, ne fortè moriatur in bello, & alius homo eius fũgatur officio. Quis eſt homo qui deſponſauit vxorem, & non accepit eam? Vadat & reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum. Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorũ, ſicut ipſe timore perterritus eſt. Cumque ſiluerint Duces exercitus, & finem loquendi fecerint, vnuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos præparabit. Si quando acceſſeris ad oppugnandã ciuitatẽ, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo: Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit DOMINVS DEVS tuus illam in manu tua percuties omne quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij, abſque mulieribus & infantibus, iumentis & cæteris quæ in ciuitate ſunt: Omne .n prædam exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ DOMINVS DEVS tuus dederit tibi. Sic facies cũctis ciuitatibus, quæ à te procul valdè ſunt, & non de his vrbibus, quas in poſſeſſionem accepturus es. De his autem ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omninò permittes viuere, ſed interfi-

interficies in ore gladij, Ethæum videlicet & Amorræum,& Chananæum, Pherezæum & Heuæum & Iebuſæum,ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes,quas ipſi operati ſunt dijs ſuis,&peccetis in Dominum Deum veſtrum. Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis,vt expugnes eam,non ſuccides arbores de quibus veſci poteſt,nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem,quoniam lignum eſt,& non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum.Si qua autẽ ligna non ſunt pomifera,ſed agreſtia, & in cæteros apta vſus,ſuccide, & extrue machinas, donec capias ciuitatem quæ contra te dimicat.

QVAESTIO VI.

Quomodo hoſtibus formidoloſus exiſteret?

RESPONSIO.

Si armorum &potentiæ multo apparatu inſtructus fueris, longo tamen tempore antequam vtaris detineas: nam & Deus vtitur dilatione, & per potentiæ ſuæ declarationem, omnium animis incutit terrorem.

Hæc ex ſuperiori quæſtione dependent. Etſi enim rei benè gerendæ occaſio, belliq́ue euentus à Deo proficiſcitur: is tamen vult Regis, tanquam inſtrumenti,operam accedere, & diuinam in belligerãdo prouidentiam imitari: vt terreat, omniaq́ue prius tentet, quàm ad arma veniatur.Nam per vim decertandi genus Cicero proprium belluarum eſſe ait.

Quare nõ niſi maxima neceſſitate coactos bellũ

ſuſcipere, prælioque decertare oportet. Si vero à pertinaci improbitate diſcedere, & honeſtè pieque imperata hoſtes facere, minis aut beneuolentia permoueri non poſſunt, tunc demum quaſi inuitus in nomine Domini aggrediatur, & Deus ita prælium fortunabit, vt talem principẽ hoſtes poſthac reformident. Bellicoſus eſto, inquit Iſocrates, rei militaris ſcientia, & belli apparatu. Nam tales Principes ab omnibus ferè timentur, qui & arte militari, & potentia ſunt inſtructi: quique propter virtutes fortunati ſunt, & quos ſui non timent ciues. Nec enim ſi mænibus adamantinis, cẽtuplici foſſa, valloque cingantur, ſi millenis milionibus ſtipati incedant, vllum tutius fortiuſque præſidiũ, certiuſque ſatellitium, & formidabiliorem hoſtibus apparatum adhibere poterint, quàm ſi præclarè de patria meriti ciuium charitate muniãtur: nec quiſquam minus timetur ab hoſtibus, quàm qui timetur à ſuis, vt infrà q. 23. & 53. fuſius aperietur.

Vide q. 23.

Hæc autem reſponſio ex libro Iudith petita videtur: vbi Iudith occiſo Holoferne præcipit Iudæis, vt vrbem egreſſi non ſtatim prælio decertent, ſed quaſi impetum facturi hoſtes terreant, territoſque & fugientes perſequantur. Deus aut varijs ſignis atque portentis iram ſuam hominibus oſtendit, & longanimitate patientiaque ad pęnitentiam inuitat, ſed quando ſe emendare nolunt, ira tarditatem conpenſat. Id quod diluuij excidio probat Ambroſius: quod nimirum ſat longum tempus pœnitentiæ indulſerit, malens ignoſcere, quàm punire, ſi futuræ mortis metu impietati & iniuſtitiæ renũciaſſent. Hinc Dauid: Perſequeris eos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos: vt cognoſcãt quia

Iudith c. 14 · *Vide q. 4.* · *Ambroſ. de Noe c. 13.* · *Pſal. 82.*

nomen

nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſſimus in omni terra. Hæc ſimiliter ad patres familias, iuuentutis & populi Chriſtiani Rectores, omneſque magiſtratus pertinent.

QVAESTIO. VII.

Quid ſit ad vitam degendam optimum?

RESPONSIO.

Cognitum habere, quod Deus vniuerſorum dominetur: noſque etiam in illis actionibus, quæ nobis videntur admodum glorioſæ, non dirigere, cõſilia noſtra, ſed Deum omnia perficere & gubernare pro ſua potentia.

Hæc reſponſio duo quædam complectitur: nimirum vt homo Deum noſcat, & cognitum verè diligat, colat, & veneretur, atq; ex ipſius præſcripto & voluntate conſilia ſua actioneſque operetur. Vnde Eccleſiaſtes: Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo. Et Sapiens: Noſſe te conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. Ipſe Chriſtus Ieſus apud Ioannem pronunciat: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Variæ quidem philoſophorum de beata vita ſententiæ reperiuntur: ſcriptura autem diuina, inquit Ambroſius, eam in cognitione poſuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Lactantius Firmianus. Primum ait diuinæ legis caput eſt, Deum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere: non poteſt enim rationẽ hominis obtinere, qui parentem animæ ſuæ Deum neſcit, quod eſt ſummum nefas, quæ ignoratio facit, vt dijs alienis ſeruiat, quo nihil ſceleratius committi poteſt. Ideoque aſſerit, homines naſci, vt agnoſcerent

Eccleſiaſt. cap. vlt.

Sapiens. 15.

Lib. Act. 2. officia. c. 2.

Lactantius lib. 6. c. 9.

Lib. Act. 7. c. 6.

Deum,

Deum, & creatorẽ ſuum, agnitumq́; colant, & immortalitatem pro mercede percipiant. Fredericus Imperator, teſte Syluio, nihil homini melius euenire poſſe affirmabat, quàm in hac vita fœlicitatẽ, & bonum ex hac vita exitum.

QVAESTIO VIII.

Quomodo ipſe poſſet omnia ſalua & integra conſeruare, eundemq́ue rerum ſuarum ſtatum poſteris tradere?

RESPONSIO.

Orando aſſiduè Deum, vt bona ſemper conſilia capiat: & monẽdo liberos, ne dignitate & opibus efferantur, nec putent ſe iſta habere ex ſe, ſed Deum cuncta largiri.

Vide q. 1. Qui verè Deum nouit, & qui ipſius ſe magiſtratum gerere, omniaq́ue ſibi à Deo tradita eſſe intelligit, & breui fortaſſe auferenda, is & rectè ferè, & diu imperat: contrà verò faciens, vt quæſtione 57. docebitur, inglorius euadit. Multi quoq; filij propter ſua & parentum peccata regnum amiſerunt.

3. reg. 11. & 22. Deut. 17. Pſal. 24. Pſal. 60. 88 111. Quod filij Salomonis & Achabi Regum Iſraël pertulêre. Huc alluſit qui ad 38. 60. quæſtionem reſpondit. Non declinet ad dexteram partem vel ſiniſtram, vt diu regnet ipſe, & filij eius, ait Moſes. Eòdem pertinet illud Dauidis: Qui timet Dominum, anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram.

Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filij eorum vſque in ſeculum: ſedebunt ſuper ſedem. Id ſe facturum promiſit quoque Deus Salomoni, ſi in ſimpli-

plicitate cordis & æquitate, & præceptis ſuis ambularet coram ipſo: contrà verò facientem grauiſſimè puniturum prædixit. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis: potens in terra erit ſemen eius, & generatio rectorum benedicetur: gloria & diuitiæ in domo eius. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: ſemen autem hoc non honorabitur, quod præterit mandata Domini. *3 reg. 9.* *Pſal. 111.* *Eccl. 10.*

Si delectamini ſedibus & ſceptris, ô Reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis. *Sap. 6.*

Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. *Prouerb. 29*

Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram: ſeruite DOMINO in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. *Pſal. 2.*

Multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua quaſi herba terræ. Propter iniuſtitias verò ſuas humiliantur. Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur. *Iob. 5.* *Pſal. 101. 106.*

Non eſſe certam regnorum periodum, quidam doctiſſimi viri affirmant, ſed quod ſcelera & peccata ſint præcipuæ cauſæ quæ regna & Imperia euertant. Hoc inquit Io. Caſus diluuij, hoc Sodomę exitij cauſa fuit: hoc templum, hoc Hieruſalem deuaſtauit. Nimirum immanis vitæ turpitudo. Triſte & fatale funus Deus Niniue cōminabatur, propter vitæ turpitudinem: ſed pœnitenti auertit. Plurimos enim ꝓpter ſcelera Imperiū, ꝗ florētiſſimum *lib. 5. ſphe. c. 12.*

mum à maioribus acceperant, perdidiſſe hiſtoriographi prodiderunt.

cap. 10. Odibilis, inquit eccleſiaſticus, eſt corã Deo & hominibus ſuperbia: regnum à gente in gentem tranſfertur, propter iniuſtitias, iniurias, contumelias, ac diuerſos dolos.

Greg. Richterus axio 35. & 26. 23. Quidam ex profeſſo ſcripſerunt: Nullum regnum eſſe durabile, ſed fatales habere limites, vltra quos progredi feliciter non poſſit: nec vllum imperium complexum fuiſſe totum orbem.

Et à ſolo Deo conſtitui, conſeruari propter virtutes, contrà, propter ſcelera euerti.

18. Sicut hic quæſtione 1. pluribus argumentis oſtenſum eſt. Reſpublicæ quàm diu rectè verum Deum colunt, & piorum, & eccleſiarum hoſpitia manent, florent, nec diſſipantur, nec funditus delentur. Domus Obeth felix fuit, propter præſentiam arcæ Moſis. Aegypti regnum floruit, donec Dei cultoribus Iudæis, & familiæ Iacob hoſpitiũ præbebat, propter tyrannidem contra Iſraëlitas exercitam concidit. Nauis, quæ Paulum Apoſtolum vehebat etſi periclitabatur, tamen ex tempeſtate eluctata eſt, & ſocios Pauli integros atque incolumes perduxit in portum.

24. Verſus Septentrionem cùm omnibus gentibus, tum Romanis fuit fatalis terminus Tanais, & mõs Caucaſus, vltra quem nemo potentiam ſuam extendere potuit.

Axio. 52. Nullam gubernationem eſſe fœlicem, niſi adiuuetur à Deo.

Axio 70. Deus conſeruaturus remp. Duces heroicos ei conſtituit, eoſque diuinitus conſeruat, & mirabiliter ſępe tuetur. Quod Romuli & Remi, Cyri, Alexandri

andri Magni, Hannibalis, Iulij Cæſaris, Auguſti, Tyberij, Titi Veſpaſiani, Frederici, Hinrici II. & aliorum exemplis probant.

Regna quando Deus vult florere, dat illis viros heroicos, eoſque inſtruit excellenti virtute, ſapientia, & felicitate. Vnde Cicero libro 2. de natura Deorum: Nullus magnus vir vnquam fuit, ſine afflatu diuino. *axio. 29.*

Hoc indicauit Regina Saba ad Salomonem: Verè diligit Deus Iſraëlem, quia te ijs Regem præfecit.

Regna creuerunt foris militari labore, & diſciplina, domi modeſtia, & iuſtitia gubernationis, & ordinum officiorumq; diſtinctione: contra, militari diſciplina euerſa in caſtris, domi legum authoritate cadente, regna euertuntur. 25.

Quando Heroës magni excitantur diuinitus, magnæ plerumque mutationes, tyrannorumq; & rebellium coërtiones ſequuntur. 26.

Quod vniuerſaliter ferè quolibet anno quingeteſimo magnæ mutationes incidant regnorũ, & rerumpublicarum ex c. 9. Danielis, de 70. hebdomadibus politiæ Iudaicæ, & alijs multis declaratur. 1 à 3.

Nec enim ruinæ rerumpublicarum fortuitæ, ſed fatales eſſe dicuntur, quibus periodis peractis mutari aut tranſferri ſolent. 1.2.

Quolibet etiam ſeculo, hoc eſt centeſimo anno, magnæ mutationes cernuntur. Tranſacta periodo deficit authoritas, quæ auctoritas in iuſtitia & virtute conſiſtit. Qua labaſcente, ob imprudentiam, ſeueritatem, malitiam gubernatorum, ſubditi offenduntur, & diſcordiæ irrepunt. 5. 6.

I Aucto-

Auctoritas enim ſingulare & eximium Dei donum eſt, quæ diuinitus magis retinet homines in officio, quàm arma & ſupplicia.

9. Tunc primus gradus ruinarum reip. eſt ciuilis
113. diſcordia, & domeſticæ ſimultates. Omnis enim
133. magna potentia non tam externis, quàm domeſticis viribus diſſoluta fuit. Alter gradus eſt, infelici-
15. tas conſiliorum. Tertius, amentia & cœcitas, Ido-
165. lolatria & mutatio veræ religionis, & legum totius reip. calamitates important.

12. Tyrannis, libidines, compilationes, nimiæ exa-
& ſeq. ctiones, ambitio, vindictæ cupiditas, luxus, gula, ſuperbia, legum & diſciplinæ neglectus.

13. Nimia ſecuritas, quando publicæ calamitates non ſentiantur amplius, nec metuuntur.

166. Nam ex ſucceſſibus ſecuritas, inde inſolentia, & ſuperbia, ruinæ procreatrices.

Vnde vulgò aiunt: Superbiam ſequitur ignominia. & Seneca: Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

29. Nullum Regnum ſcelere partum diuturnũ eſt.

50. *& ſeq.* Nullaque gubernatio eſt fœlix, niſi à Deo ordinetur.

Iſtas cauſas eſſe, quòd reſpublica ſæpè mutetur, & regna concidant, etiã Thomas Bozius in libris de gentium ruinis confirmat.

20. Regna & Imperia plerumque ſigna quædam fatalia habẽt de incremẽto & inclinatione fortunæ.

175. Principum & conſiliariorum bonorum interitus eſt indicium calamitatis futuræ.

178. Aquarum eluuiones ſemper inſignis calamitas
179. ſequitur, fames, peſtis, ſterilitas, bella, incendia.

Pluros ſoles in aëre,

Come-

Cometa,cœleſtia ſigna,terræmotus.Et quicquid in cęlo,terra,& mari fit inſolito more, ſignum eſt ſingularum conſecutionum.

Aperta & violata ſepulchra ſequitur mutatio. 181.

Mutatio habitus & vſitati veſtitus, plerunque adfert mutationem vitæ, morum, & ſtatus publici. 184.

Muſica mutata mutatur reſpublica.Hinc Cicero lib. 2. de legibus, negat leges mutari poſſe, ſine mutatione reipublicæ. 185.

Titulis glorioſis, & ambitioſis nominibus acceſcentibus,decreſcit virtus. Illis titulis Principes rapiuntur in ſui admirationem, & altiora ſibi tribuunt.Vbi multum ſtudij titulorũ, ibi eſt multum vanitatis.Et quantò quis ſtultior,tantò titulis addictior. 160.

In omnibus regnis & rebuſpublicis dicit eſſe quatuor res fatales, diuinitus ordinatas, Nempe conſtitutionem regnorum, limites, periodum, & impetum gubernatorum. 1.2.

Deſtructo regno nunquam ferè recuperatur antiqua dignitas.Quaſſatę triſti caſu ciuitates in meliorem ſtatũ reſtitui poſſunt, ſed prorſus deletæ vix inſtaurantur. 17.

Semel turbata republica difficulter pax reſtituitur,ſeditiones ex ſeditionibus, bellaque ex bellis naſcuntur.Populus inuitus fert extremum Imperium. 31. 265.

Præſentia Imperia ferè grauia videntur, & optantur alia:& laudantur præterita viliora. 116.

Optimum & minimè ſubiectum mutationi ſtatum reipub.aſſerit,Monarchiam. 39.

Poſt bellatorem ferè Deus dat pacificum. 63.

Greg. Rich-ter axiom. hiſt. axiom. 3.5.6.

Ruinas quoque ædificiorum, & ſomnia de ruinis, ſenumque lapſus ominoſos, eſſe perhibent.

Inuſitatis quoque ventis magnas & inſolitas res deſignari aiunt.

Annum quoque centeſimum fatalem eſſe principibus & magnis familijs.

Nomina quoq; ipſa ſæpè portendunt: quod in eodem ferè nomine Regna deficiunt, à quibus inceperunt.

8. Quando diſciplina corruit, pœnæ propinquæ ſunt: ſiue morum corruptelæ, omen ſunt futuri mali.

axio. 109. Quatuor grad' cõſtituũtur, iuxta Pythagoræos, ruinæ Imperiorum & rerumpub. Primo loco ponunt luxuriam, & petulantiam in apparatu conuiuiorum, veſtium, & in reliquo vitæ cultu.

Secundo, ſaturitatem, faſtidium, ſecuritatem, impudentiam, contemptum legum & diſciplinæ. Tertio, Iniurias, contumelias, contentiones ciuiles, odia, ſeditiones. Quarto, mutationes Imperij, Quæ ſecum trahunt exitium, ruinam, vaſtitatem.

Lacrymas excellentium virorum ex commiſeratione, vel affectione communi, ſigna eſſe dicunt bonæ & ingenuæ naturæ. Etſi virulentæ & malitioſæ naturæ præ malitia fundunt lacrymas.

Ad hanc verò felicitatem diuturnam plurimum refert, ſi principum filij à teneris rectè inſtituantur. de quo hic quęſtione 41.

Pulchrum eſt illud Iſocratis: Si amicos habueris virtute præditos, & ciues tibi benè volentes, & tu ipſe virtutibus polleas, & parare regnum & tueri poteris. Vehementer vtile eſt, hiſtorias perſcutari,

vt in-

vt intelligatur multos ex infimo ſæpe ordine, ad ſummum honoris & potentiæ faſtigium propter virtutes eſſe prouectos: plurimos contrà propter tyrannidem, & ſcelera in extremas calamitates & miſerias incidiſſe. Reliqua quæſt. 23. & 24. tradentur.

QVAESTIO IX.

Quomodo bonam & malam fortunam moderatè ferret?

RESPONSIO.

Si tibi perſuaſeris, homines creatos eſſe à Deo, vt & malorum & maximorum bonorum in vita fiant participes: nec inueniri hominem, qui ſit huius viciſſitudinis expers: Deum verò tribuere animum æquum: pro quo ille orandus ſit.

Veteres Romanorum Imperatores aureum fortunæ ſimulacrum in cubiculo ſuo habebãt, vt fortitudinis & modeſtię admonerentur. Nam pręclariſſima quædam de hac virtute apud Philoſophos ediſſeruntur. Cicero enim: Vt aduerſas inquit res, *Cicero lib. 1. offic.* ſic ſecundas immoderatè ferre leuitatis eſt, pręclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademq; frons. Panetius Africanum auditorem & familiarem ſuum ſolitum ait dicere, ſicut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſolebant, vt his facilioribus vti poſſint: ſic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibique præſidentes tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, vt perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemq; fortunæ. Et in rebus proſperis minimè admittendos ait adulatores, à quibus fallamur. Fortunæ mutationem conſiderans

Ageſilaus rex: In proſpera, inquit, fortuna ſic me conſuefacio, vt quæcunque inciderit mutatio, ne quæram ipſe mutationem.

Horatius lib. 2. carminum ode 10.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem benè præparatum
Pectus, informes hyemes reducit
Iupiter, idem
Summouet: non ſi male nunc, & olim
Sic erit.

Mantuanus

Fortuna illuſtribus obſtat
Sed vinci virtute poteſt.

Proderit quoq; recordari, quòd optimi quique, & de republica preclarè meriti, peſſimam ferè mercedem receperint.

L. 2. epiſt. 1.

Sicut Horatius Romuli, Liberi patris, Caſtoris atque Pollucis exẽplo declarat. Qui optimè de humano genere meriti, & in numerum Deorũ relati Plorauêre, ſuis non reſpondere fauorem Speratum meritis.

Nã aut exularũt ab illis rebuſpub. omni dignitate exuti, aut ab ingrata multitudine oppreſſi fuerũt.

Mundus rependit mercedem anguinam.

Nullius minor eſt diuturnitas q̃ beneficiorum. Vſitatũ eſt mundo, reddere ꝑ beneficijs iniurias, ſequũtur tamen plerunque iuſto Dei iudicio pœnæ vltrices ingratitudinis.

Richt. anno 168.

Inſignis fęlicitas nec diuturna eſt, nec ſine inſigni calamitate. Fortunæ inſtabiles vires ſunt, & repentinæ commutationes. Res humanę quamlibet florẽtes facillimè euertũtur, deſerente Deo: cõtrà, benedicẽte Deo, res exiguę magna incrementa capiũt. Solet enim Deus ex paruis magnos, & ex magnis paruos facere.

For-

Fortuna humana generis incerta eſt, & Euripo mutabilior.

Nemo deſperet meliora lapſis,
Nemo confidat nimium ſecundis,
Rotat omnia fatum.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.
Sum fortuna potens, hos lato dignor honore
Illos aduerſa conditione premo.

Principes habent ſuam peculiarem fortunam. Deus eos mirificè cõſeruat. Heroicis naturis multa irregularia accidunt.

Deus eos ſubinde cõſeruat à periculis diuinitus, & ſupra humanum captum mirabiliter tuetur & liberat. *Richt. axio* 70.

Inſigni virtute præditos viros Numen cuſtodit & imminentis fortunæ impetum benignitate præuertit.

Hoc Abrahami, Ioſephi, Moſis, Dauidis: hoc Romuli & Remi, Cyri, Alexandri Magni, Cæſaris, Auguſti, Tyberij, Titi Veſpaſiani, & aliorum infinita euidentiſſima exempla teſtantur.

Vulgatum eſt illud: VBI VBER, IBI TVBER. ET: MAIORES SVPERBVS, MINORES MOESTVS RESPICITO. Qui enim longè ſe maiores talia perpeti videt, & alios exiſtere infœliciores, facilè aliquam conſolationem admiſerit: contrà etiam, qui alios ſe maiores & doctiores eſſe intelligit, humiles tamen & modeſtos, minus efferetur. Conſultiſſimum fuerit virtutibus & artibus ſe præmunire, quarum doctrina nec ſecundis rebus

inſoleſcat, nec mutationem earum præſidio, Dionyſij Syracuſani tyranni exemplo, pertimeſcat. Tempore pacis, aiunt vulgò, cogitandũ eſt de bello. Quæ omnia ex ſacris literis deprompta ſunt.
Eccle. 10. Eccleſiaſticus enim: In die, ait, bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas, à Deo ſunt. Eſt qui humiliat, eſt qui
Eccle. 7. Ioſue penult. exaltat circumſpector Deus. Quiſquis ergo malis afficitur, hoc peccatorum ſuorum medicinam exiſtere recordetur, ideoque tanquam charum Deo filium leuiter ſe hic caſtigari, ne in æternum damnetur. Vt pulchrè Ezdræ angelus olim declarauit. Agnoſcat beneficium Dei ſui, & gratias potius a-
4. Ezd. 7. gat cum Dauide: Bonum eſt mihi Domine, quod humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Et, viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Rurſus, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Et Eccleſiaſticus capite 31. Infirmitas grauis ſobriam facit animam. Iudith olim afflictos Iudæos aduerſam fortunam forti animo ferendam doctura: Reputemus, inquit, peccatis noſtris hæc ſupplicia minora eſſe flagella Domini, quaſi ſerui qui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eueniſſe credamus. Optimũ ergo remedium eſt in rebus aduerſis, patientia, & peccatorum expiatio. Præclariſſimum
Iudith c. 8. vniuerſæ poſteritati exemplum ſcriptura ſacra reliquit Iobi & Tobiæ, qui etſi Deo chariſſimi erãt, admirabiliter tamen fortunam malam, & varia doloris genera perſenſerunt: ſed cum patientes permanerent atque infracti, longè ipſis Deus hic maiora bona reddidit, & æternam fœlicitatem in
cœlis.

cœlis. Memorabile quoque ipſius Iobi verbum eſt: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? Et optimus ille Matathias elegantiſſimis verbis demoſtrabat, homines à Deo propter ſua peccata puniri: & beatiſſimos euadere ſi magno fortique animo aduerſitates tolerarent. Multę tribulationes iuſtorum, ſed de his omnibus liberabit eos Dominus: cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Eleganter admonuit Iob: Nihil in terra fit ſine cauſa, Deus ponit humiles in ſublime, & mœrentes erigit ſoſpitate: & egeno ſpes erit. Beatus homo qui corripitur à Domino: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe vulnerat & medetur, percutit, & manus eius ſanabunt. Tobiæ reſpondit Angelus: Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tētatio probaret te. Si ergo nihil fit temerè omniaque Deus agit ad ſalutem hominum: cur non aduerſitates patienti animo tolerarent? Plura q. 29. & 23. dicentur.

Iob. cap. 2. *1. Math. c. 2.* *Pſal. 33.* *Iob 5.* *Tobiæ c. 12.*

QVAESTIO. X.

Quis fortitudinis finis exiſteret?

RESPONSIO.

Si quod in rebus atque periculis, rectè deliberatum conſtitutumque eſt, hoc etiam pro animi ſententia expediatur. Sed tibi ô Rex à Deo omnia rectè perficiuntur, qui ſalutaria habes propoſita.

Supra reſponſum eſt, non temerè, nec ſtatim ad arma veniendum: hic conſilium armis & fortitudini coniungitur. Nam parua ſunt foris arma, teſte Cicerone, niſi ſit domi conſilium: & ſine conſilio prudentiaque in acie verſari, nō viri fortis ſed belluinum eſt. Fortis quidem & generoſi regijque

animi argumentum eſt,in graui honeſtaque cauſa, & ineuitabili neceſſitate deliberato ſapientiũ virorum conſilio mortem pro republica non perhorreſcere: ita non fortitudinis, ſed temeritatis & amentiæ, ſeſe in vitæ diſcrimen ſine vlla neceſſitate,ſine conſilio conijcere. Id enim nec ipſis honeſtum & vtile,nec reipublicæ ſalutare eſt:ſæpè etiam periculoſiſſimum extitiſſe reperitur. Nã quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

QVAESTIO XI.

Qua ratione diues permaneret?

RESPONSIO.

Si nihil præter dignitatem regni tui,& per luxũ agas,neque in vanis rebus, neque inutilibus ſumptus facias: ſed erga populum tuum te beneficum benignumque præbueris: nam Deus, quem ſequi oportet,bonorum omnium largitor,& ſummè beneficus eſt.

Omnia Dominum Deum hominibus dare, & rurſus,ſi videbitur,auferre,rectè Iob affirmat.Iam vero legem & præcepta ſua obſeruãtibus pinguedinem terræ, &omnium bonorum abundantiam pollicetur. Iunioremque ſe fuiſſe,& factum ſenẽ, ait Dauid,& nunquam vidiſſe iuſtum derelictum, & ſemen eius quærens panem.

Diuitias & potentiam ſuo magiſtratui Deus elargitur abundanter: Sed rectè admonuit Poëta.

Non minor eſt virtus, q̃ quærere parta tueri. Et:

Non intelligunt homines, quam grande vectigal ſit parſimonia.

Muni-

Munificentia & benignitas in primis decet Principes: & ſicut auaros eſſe non conuenit, ita nec prodigos:ſed liberales, id eſt, ne benignitas maior ſit, quàm facultates, neue à ciuibus extortũ transferatur ad alienos, ſed pro dignitate cuique tribuatur, pro loco & tempore. Deus enim largitur omnibus abundanter, ſed ſingulis pro ſua mẽſura. Iuſtinus ad Tiberiũ Imperatorẽ aiebat: Qui facultates & poſſeſſiones habẽt, habeãt:quib⁹ eæ deſũt, tribue. Alphonſus Rex cũ C.Cæſarẽ dixiſſe audiret, illũ ſe diẽ perdidiſſe, quo nihil alicui donaſſet, gratias agebat Deo, quòd ſimiliter nec ipſe vnum perdidiſſet: ſed cum equiti cuidam prodigo quotidie diu & multum dediſſet, tandem reſpondit: Si tibi plura indies donauero, citius me pauperem, quàm te diuitem reddidero. Multos quoque dicebat eſſe qui darent, paucos qui dare ſcirent, quòd ineptis & ingratis hominib. darent ſine diſcrimine: ideoque ingenti beneficio ſæpè ingenti ingratitudine ſatisfieri. Fredericus Imperator Alberto fratri plura petenti, cum multa accepiſſet, recuſauit, eoque obijciente, indignum eſſe germanum à germano deſeri, reſpondit: Non ego te germanum, ſed purpuratos tuos deſero, quibus dedi, quæ in te contuli. Quod in eos quadrat, qui & ſuas diuitias perdũt, & quicquid ab alijs habere poſſunt, in homines ineptos & otioſos conferunt. Vtinam Chriſtiani Principes attenderent, quod de Alexandro Seuero ſcribit Lampridius: Neminem in palatio ſuo habuiſſe non neceſſarium: Mali dicens eſſe Imperatoris, annonis rempublicam grauare, atque ex viſceribus prouincialium, homines non neceſſarios & reipublicæ inu-

Liberalitas.

Niceph. l. 17 c. vlt.

Panormit. lib. 2 de geſtis Alphonſi.

Syluius in Panormitanum.

Vide q. 56.

inutiles alere. Maiores noſtri cũ mediocres opes haberent. honeſtè ex illis viuere, & omnia reipublicæ onera, Imperijque maieſtatem ſuſtinere potuerunt. Et quanquam ſubditis minimè moleſti erant, maximas tamen Eccleſias exſtruere, maximaque collegia & ſacra fundare videbantur.

Nimio cenſu & ſacrilegio non augentur & conſeruantur diuitiæ ſed perduntur.

Hoc tempore quibuſdam in locis nouæ acquirendæ pecuniæ artes excogitantur, & nunc hoc nunc illo prætextu extraordinariæ exactiones imponuntur, multi ſpoliantur, multa templa & collegia compilantur: ſed quantò plura quidam extorquent, tantò pluribus indigent.

Veteres quod ſtricto etiam iure petere licuiſſet, magnum interdum lucrum putabant in loco & tempore negligere, & diuites erant, diuiteſque ſubditos habebant, qui eos temporibus neceſſarijs adiuuarent: iam & extorquentur aliquando multa & rapiuntur, ſed vtrinq; vera paupertas cernitur. Nam & pauperum ſanguis, & Eccleſiæ bona, ſi malè vſurpentur, authori ſuo peſtes ſunt, & reliquas opes conſumunt. Reſpublica meritò pro tot laboribus & moleſtijs, Principes & magiſtratus alit, & neceſſarijs temporibus ſumptus ſuppeditat, Cæſarique, vt Chriſtus ait, dat, quod Cæſari debetur: at ſupra vires vrgere pauperes, & quod extorquetur non ad ſalutem publicam, aut neceſſarios honeſtoſque vſus transferre, periculoſiſſimum eſt.

Math. c. 22.

Prædixit Eſaias propheta: Dominus ad iudicandũ veniet cum ſenibus populi ſui, & cum Principibus eius: vos enim depaſti eſtis vineam meam, rapina pauperis in domo veſtra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperũ commolitis? Vbi B. Hieronymus: Hoc ad noſtros quoque Principes pertinet,

Eſa. 1. & 3. Micheæ c. 3. Amos 4.

net, quando replent theſauros ſuos, & Eccleſiæ opibus abutuntur in delitias: publicaſq; ſtipes, quæ ad ſuſtentationẽ pauperum datæ ſunt, vel ſibi reſeruant, vel propinquis diſtribuunt: & alienam inopiam, ſuas ſuorumq; faciunt eſſe diuitias. Deus bone, quas voces ęderet iam Hieronymus, ſi hęc tempora & hos mores quibuſdam in locis videret? Similiter Micheas propheta: Audite, principes Iacob, & Duces domus Iſraël, nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonũ, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellẽ eorum deſuper excoriauerũt, & oſſa eorum confregerunt, tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab ijs in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adinuentionibus ſuis. Iudaici populi, poſt reditum ex Babylone, magiſtratus, ſupra modum ciues annonis & tributis vexabant: ſed Nehemias grauiſſima oratione eos caſtigat, iubetq́ue reddere. Se verò cum ab Artaxerxe rege Dux eſſet terræ Iudæ conſtitutus, propter timorem Dei ne illas quidem annonas recepiſſe ait, quæ alij ante ipſum Duces acceperant. *Nehemia*

Quidam Principum diuitijs egregiè putant conſultum, ſi modum augendi tributa, qualeſcunq́ue exceſſus magna pecunia luendi, ſpoliandi Eccleſiam iure & bonis patefaciant: ſed quam perperam de Principibus illi mereantur, quotidiana exẽpla declarant. Longè quidem rectius facerent, ſi Principes docerent, quando honeſtius ſalubriuſq́ue ipſis eſſet futurum, ſi de ſumptibus minimè neceſ-

ſarijs potius aliquid detraherent, quàm de ciuium ſuorum ſanguine: Reperirent etiam ex omnium gentium hiſtorijs atque annalibus, quod nouæ & graues exactiones, etiam honeſto nomine petitæ grauiſſimas ſeditiones & motus procreârint. Vt ex Nicephori lib. 12. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 43. & Nicolai Boërij tractatu de ſeditioſis §. 1. nu. 31. & ſeq. apparet. Nimis enim dura, facilè rumpuntur. Et qui nimium emungit, is ferè elicit ſanguinem. Ac neceſſitas ad impia cogit. Thebani victos Phocenſes ita emunxerunt, vt fanum Apollinis Delphici ſpoliare cogerentur, & pecuniam quærere, qua ſeſe liberarent: omnes quidem ſacrilegium Phocenſium reprehendebant, plus tamen inuidiæ ac turpitudinis Thebanis acceſſit, à quibus inhumaniter & auarè tractati erant. *Iuſtinus li. 8.*

In plurimis quoque obſeruatum eſt, quòd ſacrilegi Eccleſiaſticorum bonorum raptores, pauperrimi euaſerint, quodque bona ſacra, ſi cum alijs coniungantur, ambo intereant. Quiſquis ergo diuitias conſeruare vult, à ſacris abſtineat. Peruulgatum apud priſcos Romanos verbum erat: Diues fieri qui vult, Herculi decimam ſoluito. Hoc ad eleemoſynas, omniaque dona ſacra pertinet. Cambyſes Rex Perſarum ad Cyrum apud Xenophontē libro primo, Multi ait cum voluiſſent omnium eſſe Domini, dimiſerunt etiam quæ habebant. Multi quoque vbi diuitias, quas maximè optabāt, adepti eſſent, propter illas perierunt. Hinc Iulius Cæſar vt Belgas in officio retineret, ciuitates honorificè appellabat, Principes ornabat muneribꝰ, nulla onera imponebat. Rectè olim ad Ioab inclamauit Abner:

Nun-

Nunquid ad internecionẽ tuus mucro deſęuiet? an ignoras quod perículoſa ſit deſperatio? Notatu quoq; dignum eſt, quod Ezdras inter extremi iudicij ſigna recenſet, quando populus vexabitur cenſu multo. Memorabile verbum eſt Samuelis: Ecce prę$ſ$to ſum, loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſque tulerim, aut aſinum, ſi quemquam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, contemnam illud hodie, reſtituamq́ue vobis: & illi dixerunt, non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, nec tuliſti de manu alicuius quicquam. Vera liberalitas non in pecuniarũ & opum multitudine, ſed in recto earũ vſu poſita eſt. Principem ſibi perſuadere oportet, quod patrisfamilias vices in republica gerat, pecuniamq́ue publicã non eſſe ſuam, ſibi tamen creditam atq; cõmiſſam ad populi ipſius, qui eam ſibi arrogauit, cuſtodiam & ſalutem. Quo fit, vt duplici ratione peccent, qui ſine modo de regio patrimonio largiuntur. Nam fontem ipſius benignitatis exhauriunt, vt ſucceſſores ipſorum nequeant virtutem debitis præmijs ornare: deinde ignauiæ, deſidiæ, libidini fomenta ſubminiſtrant. Hoc ergo in donorum diſtributione ſeruandum eſt, ne omnia certis hominibus largiantur, & dum liberales haberi volunt, omnem materiam liberalitatis amittant: ſed delectum & modum in largiendo obſeruent: & ne abundent indigni, digni verò negligantur.

2.reg.2.

Lib.4.ca.6.

1.reg.12.

Vide q.16.

Liberalitas nulla poteſt eſſe, vbi neque dantis facultas expenditur, neque accipientis dignitas æſtimatur.

Qui enim dat quod non poteſt, deſipit, & ſtul-

tus

tus potius quam liberalis exiſtimandus eſt, qui elargitur indigno, vitia illius confirmat, & virtutū præmia obſcurat.

Verè igitur liberalis eſt, qui facultates ſuas reſpicit, ærarij & vectigalium rationem exploratam habet, & pretium rei illius, quam donat, expendit, & perſonas atque merita eorum, quibus donat, intuetur, modumque & honeſtatem obſeruat, vt in priuato ſumptu continens & frugalis, in publicis operibus & muneribus ſplendidus atque magnificus ſit.

Summa iniquitas & ſeditionis materia eſt, non ponderari vniuſcuiuſque dignitatem: ſed vel ijs, qui minus digni ſunt, maiora præmia condonari, vel æqualia prẹmia dignitatibus inẹqualibus contineri. Nec iuſtitiæ æquitas patitur, vt qui nullam reipub. vtilitatem afferunt, opibus reipub. saginētur, & quod erat fortibus, & ſpectatis tribuendum, ignauis & otioſis hominibus ſinẹ modo tribuatur, beneficiaque, quibus erat virtus afficienda, ad ignauiæ & dedecoris ornamentum transferri. Alioqui homines prudentes, & optimè de republ. meriti deſpiciuntur, illi honoribus & præmiis augentur, qui principes à ſtudio virtutis auertunt, & tyrannidem alunt. Generaliter hoc à Dominis cauendum eſt, ne vltra antiquam conſuetudinem operibus & ſeruitijs ſubditos grauent, & plus ſolito ab ipſis exigant, quia peccatum committerent, ac Iuriſdictione ac Dominica ſua poteſtate abuterētur: quod ſi fieret, Præſes prouinciæ vel Cæſar, vel eius loco Camera Imperialis, mandatis pœnalibus hanc nouitatem tollere, & ſeueritati remediū moderationis adhibere poſſunt, per textum l. cum ſatis

ſatis.§.caueant C.de Agric.&cenſit.lib.11.l.fin.C. quemadmod.ciuilia munera lib.10.l.1. C.in quib. cauſ.col.Dominos accuſ.poſſ. lib. 11. Natta conſ. 185.Relat.per Gail l.1.obſ.17.l. 2. obſ. 62. de areſt. c.10.

Principis officium eſt, proſpicere ſubditorum commodis,non grauare collectis,& oneribus:niſi publica hoc neceſſitas requirat:& tunc moderatè. Alioqui adire poterint Domini grauantis ſuperiorem,qui illum coërceat,VVeſenb. conſil. 45. Gail de Areſt.c.8.& 10. & lib.1.de pace publ.c.2. Iaffredus deciſio.214.Capella Tholoſ.q.349.

Qui immodicis tributis & nouis exactionibus rempub.vexant,ſubditos ſpoliant, ex ciuium fortunis prædas agunt,domos exhauriunt,prouincias nudas & inanes relinquunt, ſubditorum animos auertunt, odiaque & inſidias incurrunt. Propter *1.reg.12.* nimis durum Imperium,graues exactiones, & tributa,decem tribus Iſraël à Roboam filio Salomonis Regis defecerunt, nec reduci potuerunt. Idem plures alij experti fuerunt.

Impia, & crudelis Ieſabel Regina vineam Naboth per vim & fraudes rapuit, & iuſto Dei iudicio à canibus deuorata eſt.Et illius maritus Achab Rex,qui auarè,contra Dei prçeptum,ſine vlla publica neceſſitate,aut legitima cauſa,vxoris iniuſtitiæ conſenſerat,ſic ambo à Deo puniuntur,vt reliqui principes perpetuum inde exemplum capere poſſint: vt quorum miſerabiles exitus perhorreſcunt,eorum facta ne imitentur. *3.regum ca. 21.& ſeq.*

De vero præſide prouinciæ loquens Iuuenalis ſatyra 8 ait:

——Pone iræ frena,modumque

Pone & auaritia, miſerere inopum ſociorum.

Gellius l.15 c.12. Caius Grachus ex Sardinia rediens talem orationem habuit ad Senatum Romanum: alij vini amphoras, quas vacuas tulerant, argento plenas domum reportârunt: ego Zonas quas plenas argẽti Roma extuli, ex prouincia inanes retuli.

Tyberius Cæſar aiebat: Boni Principis eſt, Tondere pecus, non deglubere. Tranquillus.

Angli contra Regem Hinricum propter exactiones intolerabiles conſpirauerunt. Ia. Meierus li. 1. annalium Flandriæ.

Quid Romæ ſub Paulo 3. acciderit vide apud eundem Meierum.

Exactiones & compilationes nimias Imperiũ & remp. plerumque mutare atque euertere probat Gregorius Richterus 16. axiomate politico.

Marius Salomonius lib. 2. de principatu veteres Imperatores prædicat, quòd publicam ſubditorũ ſalutem priuatis commodis antepoſuerint: antiqua vectigalia vel planè aboleuerint, vel imminuerint. Quod Auguſti, Traiani, & aliorum exemplis declarat. Nerua omnes pecunias quas Domitianus rapuerat, ſpoliatis reſtituerit, Ro. pauperibus decies quinquagies centena millia erogârit, agroſque ſua pecunia coëmptos inter egenos diuidi iuſſerit. Anthoninus, cognomẽto philoſophus, exhauſto ærario, ne prouinciales grauaret, pretioſam ſuppellectilem, Imperialia ornamenta, veſtes, & mundum muliebrẽ in foro Traiano venũdari fecerit. Pudet, inquit, à Gentilium principibus Chriſtianos, atque adeò eccleſiaſticos ſuperari.

Libro 3. ſolis diuitijs nihil magnum effici affirmat, potentiamque quę diuitijs tantùm, non virtutibus

tibus nititur, infirmam eſſe ait: qui diuitijs benè vtuntur, & ad vſum virtutis eas effundunt, beatos atque Deo ſimiles, qui ad malos vſus erogant, licet largiter, infelices, prodigos, & gratiæ Dei diſſipatores appellat.

Variæ tamen cauſæ ſunt, propter quas principes Chriſtiani ob commune bonum, & neceſſitatem patriç ſubditis collectas indicere, & ſubſidia petere poſſunt. Thomas Aquinas 1. 2. q. 105. Remigius Gomnius tractatu de charit. ſubſid. Petrus Vbaldus de collect.

Sed opes reipub. ſi princeps non leuitate, nec in rebus ludicris, nec in hominibus ignauis temerè ſaginandis, nec in explenda libidine cõſumpſerit: copiæ non deerunt, quibus abſque ſuorum vexatione bellum ſuſtineat, rempub. moderetur, & homines fortes benignè remuneret.

Facillimè namque ſumptus neceſſarios faciet, qui minimè neceſſarijs ſumptibus modum conſtituit. Eritque ſine iniuria diues, ſine ſordibus abundans, ſine egentiũ ſubditorũ querimonijs opulẽtus.

De cauenda principibus auaritia 15. reſpondit.

QVAESTIO XII.

Quomodo veritatem coleret & diligeret?

RESPONSIO.

Si ſtatuas, quòd magnum dedecus omnibus hominibus ſit mentiri: multoque maiorem notam Regibus inurat: nam quando poteſtatem habent, quod volunt faciendi, cuius rei gratia mẽtientur? Deinde ſi etiam conſideres, quòd Deus veritatis amator exiſtit. *Pſal. 5.*

Duæ à virò ſapientiſſimo ex ſcriptura ſacra rationes afferuntur, quare veritati ſtudere, cũ omnes *Prouerb. 19.*

homines promiſcuè, tum vel in primis Reges & Principes,debeant,& contrarium ipſius mendacium fugere. Quarum prima eſt,etſi poſteriore loco ponitur,huiuſmodi:Deus veritas eſt, & veritatis author, atq; vnicus eius amator & patronus,mendacium vero ſupra modum deteſtatur: ergo ipſius Magiſtratus,filij,& ſectatores,qui diabolo, mēdacij authori & parenti, renunciauerunt, veritatem colere,& mendacium deteſtari tenentur. Veriſſimè dixit Regius propheta Dauid: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et filius ipſius Salomon:Qui loquitur mendacium, peribit. Abominatio Domino labia doloſa. Os quod mentitur, occidit animam. Omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ignis ardentis.

Prouerb. c. 12. Sap. 4. Apocalyp. 21.

Altera ratio eſt,quòd turpe ſit, & ſempiternum dedecus afferat mendacium. Epictetus omniũ ſcelerum & iniuriarum authores exiſtere aiebat mēdaces,alludens,vti videtur,ad veram hiſtoriã Hebræorum, quòd ex mendacio ſerpentis omne malum prodierit. Peripateticorum princeps Ariſtoteles, nihil præterea mendacem lucrari aſſerebat, quàm, quod nunquam illi etiam vera dicenti crederetur. Idque viros Principes, qui dicta ſua pro factis haberi volunt,meritò deterrere à mendacio debet: quoniam ipſi gloriam ſibi maximè propoſitam habent.Iam verò:Opprobrium,inquit Eccleſiaſticus, nequam in homine mendacium. Potior eſt fur,quàm aſſiduitas viri mendacis, perditionē autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mēdacium ſine honore, & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione.

Eccleſiaſt. c.20.

Omnes quidem homines à natura veritatis appeten-

petentes ſunt, eoque ſtudio ducti pro veris interdum veriſimilia libenter amplectuntur. Quotquot autem ex mēdacio,& inanitate pendent,miſeri ſunt exiſtimandi: Regis verò dignitati & officio mendacium planè repugnat,quare illud meritò deteſtari debet.

Iſocrates Nicoclem regem hortatur,vt adeò per omnem vitam appareat veri obſeruans, vt ſuis dictis potius habeatur fides, quàm cæterorum iuriiurando. Alphonſus rex aiebat: Tantum oportere principis verbum valere, quantum priuatorum iuramentum. Meritoq; dolendum ſcribit Syluius, quod ſæpè meretricum promiſſa certiora ſint, quā principum:frequenterque cum eorum mente pugnet oratio.

Neque ipſi principes tantùm à mendacio cauere debent,ſed etiam declarare, quod mendacium deteſtentur. Verè enim dixit Salomon: Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.Ideoque Deum orat: vt vanitatem,& verba mendacij longè faceret ab ipſo. *Prouerb. 29 & 3.*

Quàm fortis, inuicta, & rebus omnibus excellentior ſit veritas pulchrè Ezdras edocuit: Veritas eſt bonum ſtabile & ſempiternum, Deo gratiſſimum,ad amorem hominum alliciendum aptiſſimum,ad præſidia comparanda firmiſſimum: mendacium contrà, Deum & homines offendit. *L. 3. c. 4.*

Quàm turpe ſit mendacium,& hominis præſtātia indignum, ex eo liquet,quòd ij etiam,qui ſæpè mentiuntur,maximum laborem in concinnando atque celando mendacio ſuſcipiunt,& deprehenſi erubeſcunt. Quos non ita mendacij puderet, niſi vi naturæ victi,iudicarent fœdum atq; flagitioſum eſſe mentiri.

Multos ad mentiendum metus cogit, quando pœnam, incommodum, offenſionem, aut ſimile quid pertimeſcunt. Qui vtilitatis cauſa temerè mẽtitur, nulla vtilitate poteſt id, quod damni facit, reſarcire: dignitatem enim, qua nihil eſt in rebus humanis præſtantius, amiſit, vt vel pecuniam augeret, vel Imperij fines dolo atque fraude propagaret. Sic igitur fit, vt quod lucratum ſe putat, non ſit cum eo, quod amiſit, vlla ex parte comparandũ. Nec ea eſt vtilitas appellanda, quæ multò magis nocet, quàm iuuat. Cumque mendaci & fidem non ſeruanti nemo credat, omnes vtilitates mendacio partæ, facillimè diſſipantur.

Et opes, quæ mendacio acquiſitæ ſunt, facilè dilabuntur: quæ veritate ſtabilitæ erant, diuturnæ ſunt: & illi qui mendacijs & fraudibus vtuntur, ſibi perfidiæ & calliditatis infamiam, hominum odia, & offenſionem, vanitatiſque exemplum important.

Imperij tuendi & augendi ratio tota eſt in veritatis ſtudio conſtituta. Omnes enim facilè deſerũt illos principes, quorum fidem ſuſpectam habent, & ad eorum nomen, quos fideles eſſe vident, ſe libenter adiungũt. Qui ex mendacio & inanitate pẽdent, miſeri ſunt exiſtimandi. Omnis enim peſtis, & calamitatis initium eſt in mendacio & vanitate conſtitutum. Mendacium ergo cum ſit animi puſilli, & turpis, & malitioſi: nihil quicquam eſt regis officio & dignitati magis contrarium.

Franciſcus patritius Senenſis lib. 4. de regno c. 1. neceſſarium eſſe probat, vt Rex ipſe mendacium caueat, & alios mentiri non patiatur.

Fabulam illam quòd Hercules, cum totum corpus

pus Leonis pelle tegere non poſſet, vulpis pellem aſſuerit, hoc ſeculo multi laudant, & dolis & fraudibus licenter indulgent: Si non Marte, ſaltem arte: & Marchiauelli fraudes ſummis laudibus efferunt.

Quanta cum ſui gloria, & reipublicæ commodo, viderint ipſi. Qui malum facit, prætextu boni, dupliciter peccat: Primò, quia malum agit, Secundò, quia ad peragendum peccatum boni opera vtitur. Baſilius Magnus epiſtola ad Epiſcopos ſibi ſubiectos, & ibi Balſamon. Eòdem pertinet illud Auguſtini: Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas: quia iniquitas eſt & ſimulatio. Et per ſimulationem atque hypocriſin peccatum grauius eſt, quàm quod apertè fit. M. Anth. Columna de reditibus eccleſiaſticis c. 19. Hinc Iuuenalis tolerabiliorem dicit eſſe apertè malum, quàm hypocritam ſecretum: *Pſal. 23.* *Satyra 2.*

Hunc ego fatis
Impuro, qui vultu morbum inceſſuq; fatetur,
Horum ſimplicitas miſerabilis, his furor ipſe
Dat veniam: ſed peiores qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute locuti,
Clunem agitant.

Et Horatius in arte poëtica:
Decipimur ſpecie recti.
Et Virgil. 1. Aeneados:
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Non omnis tamen fictio ſiue ſimulatio, quæ dolo coniuncta nō eſt, prohibetur, ſed eſt aſtutia quędam ad propulſanda pericula, & ſcandala. Damaſus regula iuris 30. & 49. Fictio quæ ad ſuam ſuorum-

rumque ſalutem ſuſcipitur, aliquando laudabilis eſt: vt ſi mulier ſe infirmam ſimulet, ne ad conuiuium ire cogatur, vbi ſuſpicionem, vel maculam contraheret. Ioan. Neuizan. lib. 4. ſyl. nupt. num. 63.

Iudit. 3. Aod Dux Iſraëlis Englon regem Moab mirabili ſimulatione, quod mandatum Dei ad illum haberet, interfecit. Et Iahel mulier Ziſaram, blandis verbis deceptum, interemit. Iudic. 4.

Saul Rex veſtitum mutauit, & tanquam priuatus homo cum duobus viris conſuluit Pythoniſſam de belli euentu. Et vxor Hieroboam Regis ſimulat ſe priuatam eſſe mulierem, coram Achia propheta. 1. reg. 28. 3. reg. 14.

Iudit. 11. Quid non ſimulat Iudith pro ſalute publica? fingit ſe adorare Holofernem, in cuius nece tota occupabatur.

Gebeonitæ per fictionem ſaluantur, Ioſue c. 9. relat. cap. penult. & vlt. 22. q. 4. Et Deus ipſe Ioſuæ præcepit, hoſtes ex inſidijs adoriri. Idem iuſſit Dauid facere. Vtilemque ſimulationem in cauſa pia & iuſta rectè aliquando aſſumi poſſe, & ſanctos quoſdam viros aſſumpſiſſe, probat, Hier. in c. vtilẽ ſimulationem, 22. q. 2. inquiens: Vtilẽ & quandoq; in tempore aſſumendam ſimulationem eſſe, Iehu regis Iſraël nos doceat exemplum, qui non potuiſſet occidere omnes Prophetas Baal, niſi finxiſſet ſe idolum Baal colere velle. Et Dauid quando per ſimulatam inſaniam coram Achis rege vitam cõſeruauit. Nec mirum iuſtos homines aliqua pro tempore ſimulare, ob ſuam & aliorum ſalutem, cũ & ipſe Dominus noſter, non habens peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem peccatricis carnis Ioſ. 8. 2. reg 5. 4. reg. 10. 1. reg. 21.

aſſump-

aſſumpſerit, vt condemnans in carne peccatum, nos in ſe faceret iuſtitiam Dei. Et coram duobus diſcipulis ſuis euntibus in Emaus finxit ſe longiùs iturum. Luc. 24. Plura vide in textu, gloſſa, & ibi DD. cap. 1. extr. de his, quæ vi & met. cauſ. fin.

Abraham vt pericula euitaret, Saram ſororem ſuam eſſe dixit, vxorem eſſe non negauit, nec mentitus fuit: non eſt enim mendacium, cùm ſilendo abſconditur verum, ſed cum loquendo promitur falſum, text. & annotat. c. 20. Geneſ.

Iacob ex conſilio matris Rebeccæ collo & manibus pelles hædinas aſſumpſit, ſeq́, Eſau primogenitum eſſe aſſeruit, vt benedictionem Patris conſequeretur. *Geneſ. 27.*

QVAESTIO XIII.

Quæ ſit doctrina, & qui fructus ſapientiæ?

RESPONSIO.

Vt tu bonis omnibus abundare, & malis carere deſideras, ſapienter egeris, ſi erga ſubditos & delinquentes te ſimiliter affectũ declares: honeſtos & probos humaniùs, & ęquiori animo admoneas. Nam & Deus in ſua adminiſtratione omnes homines æquitate proſequitur, & manſuetudine fouet.

QVAESTIO XIIII.

Quomodo humanus & benignus eſſet?

RESPONSIO.

Si conſideres, quàm longo tempore, & in quantis miſerijs naſcatur humanum genus, alatur, & creſcat: vnde neque in eos temerè animaduertendum eſt, neque accuſandi ſunt: quod omnis hominum vita doloribus ſemper & afflictionibus obnoxia ſit. Hoc ſi perſpicias, in miſericordiam pro-

fectò verteris, præſertim ſi cogites, Deum quoque miſericordem exiſtere.

Eodem ferè argumento ſuprà vſus eſt Ariſtæas ad Regem pro liberatione Iudæorum: debere ipſum erga Iudæos clementiam & miſericordiam exercere, qui à Deo exaudiri cuperet. Nam qualem cupiunt eſſe Chriſtum erga ſe homines, tales ſeſe proximis exhibere debent. Vt rectè olim Iuſtinianum Auguſtum admonuerit Agapitus: Erga tuam familiam talem te præbe, qualem tibi optas Dominum tuum contingere. Qua benignitate audimus alios, eadem viciſſim & nos audiemur: & quo vultu intuemur alios, eodem nos diuinus ille & omnia cernens oculus reſpiciet. Itaque Dei miſericordiam, noſtrâ prouocemus, vt hac via nobis ſimile ſimili, beneficium beneficio penſemus. Dei quidem Principem imaginem perſonamq; referre ait: verùm cum ex eadem viliſſima materia, qua cæteri homines, coaluerit, decere, vti reliquis clemens & benignus ſit. Deus enim pius, clemens, & miſericors eſt: Solemq; ſuum oriri ſinit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Cap. 22. *Cap. 20.* *Vide q. 51.* *Matth. 5.*

Quod ſi benigniſſimus ille Deus ſtatim hominum peccata pro merito vindicaret, nemo ſupereſſet. Nullus eſt enim, qui nihil peccet, & multa ſunt, quæ ad peccandum irritent, ætas, violentia, egeſtas, occaſio, præmium. Adeò ſubiecta eſt peccato fragilitas carnis, qua induti ſumus: vt niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſè pauci viuerent. Iam verò non ad præſens noxium quemque punit, vt habeat homo reſipiſcendi facultatem. Apertum quoque Chriſti verbum eſt: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti

Lactantius de ira Dei c. 20. & 21. *Matth. 18.*

gaſti me: nonne oportuit ergo te miſereri cõſerui tui, ſicut ego tui miſertus ſum? Et: Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Lucæ c.6.*

Huc pertinet illud lib. 4. Ezdræ cap. 15. Sicut faciunt hodie electis meis, ſic faciam, & reddam in ſinu eorum, dicit Dominus omnipotens.

Fredericus Romanor. Imperator, nimis duris & crudelibus Principibus vehementer mortem pertimeſcendam eſſe aiebat, quòd ſimiles ipſi tunc iudices eſſent habituri: vt ſcribit Syluius ad caput 54. libri ſecundi Panormitani de geſtis Alphonſi Regis.

Ego verò, dicebat optimus ille Cæſar, à DEO miſericordiam peto, non iuſtitiam: quid ni ergo me ſubditis clementem atque miſericordem exhibeam? Sigiſmundus autem beatos fore Principes iudicabat, ſi excluſis ſuperbis & crudelibus conſiliarijs, iuſtitiæ & miſericordiæ cultores adſciſcerent. Panormitanus Alphonſum Regem prædicat, quod in ſe ipſos crudeles exiſtere putârit, qui in ciues ſubditoſque ſuos crudelitatem exercent: cum reſpublica eſſet velut corpus, & anima Princeps. Caſparus Slichius trium IMPERATORVM Cancellarius, optare ſe aſſerebat, quòd omnes Reges & Principes aliquandò priuati & pauperes fuiſſent: quòd tunc procul dubio benigniores eſſent futuri, teſte Syluio, ad lib. 1. Panor. c.33. *Idem in c. 53.* *Idem in c. 64.* *Lib. 2. c. 53.*

Scitum eſt illud Macedonij monachi apud Nicephorum: Meminiſſe te, ô Imperator, oportet, non ſolùm Principem, ſed hominem etiam te eſſe: pro- *L.12.c.44.*

proinde non adImperij tantùm amplitudinem reſpice,ſed naturam quoque ipſam conſidera. Cum enim homo ſis,hominum tibi Imperium commiſſum eſt:qui cum eiuſdem tecum ſint ſortis,& conſerui adeò tui,tum ab ipſa creatione imagine Dei cohoneſtati ſunt. Itaq; ne tam veſana audacia aduerſus diuinam imaginem graſſeris vide.Imaginis enim Dominum ad iram concitabis, ſi in eos,qui imaginem eius gerunt,ſæuias.

Antoninus dicebat: Nihil magis Imperatorem gentibus commendare,quàm clementiã,teſteVulcatioGallicano in Auidio.Alexander Seuerus obijcienti Mãmeæ matri & vxore Mẽmię nimiam ciuilitatem,qua molliorem & contemptibiliorem poteſtatem faceret, reſpondit:Sed ſecuriorem, & Quæſt.11. diuturniorem. Non paucos ob nimiam ſeueritatẽ regnum amiſiſſe compertum eſt. Nimis enim dura facilè rũpũtur: &qui nimiũ emungit, elicit ſan- l.2.c.12. guinem.SicutRoboam filius Salomonis,quod durior crudeliorq; videretur, maximam regni partem amiſit,Romanorum Reges ob nimiam ſuperbiam & legum contemptum eiecti fuerunt: quod c.7.& 15. Feneſtella& P.Lętus de ſacerdotijsRomanis teſtificantur. Diocletiani acta ob nimiam crudelitatẽ à Senatu Ro. reſciſſa fuerũt.Hiero.de ſcrip eccleſ. in vita Io.Apoſtoli.

Pręcipua quidem virtus eſt in principe clementia,vt Veſpaſianus etiam iuſtis ſupplicijs illacrymaret:tamen hactenus clementem eſſe conuenit, lib.10. teſte Cleomene,ne ſit contemptui.Nam ita demũ, authore Cicerone, probanda clemẽtia eſt,ſi adhibeatur reip.cauſa ſeueritas, ſine qua ciuitas adminiſtrari non poteſt,vt ſuprà q. 4.& 3.ediſſerui.

Simi-

Similiter ferè 39. reſpondit.

Vehementer optandum eſt, vt ſit princeps natura clemens, atque benignus, & magis ad lenitatem & manſuetudinem, quàm ad iracundiam, & acerbitatem propenſus: clementia enim & manſuetudo, & reliquæ virtutes, quæ ex natura clemente oriuntur, regem maximè decent, amorem ſummum conciliant, ipſumque principem Deo ſimillimum faciunt...

Vulgatum de Regibus Iſraël verbum erat: quod eſſent clemẽtes. Gedeon à ſuis poſt victoriam calumnias paſſus, mollibus verbis placat, quos obiurgare potuiſſet. *3 reg. 20.* *Iudic. 8.*

Aequo animo eſto, dicebat Holofernes ad Iudith, & noli pauere in corde tuo, ego nunquam nocui viro, qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor Regi: Populus tuus ſi non contempſiſſet me, non alleuaſſem lanceam ſuper eum. *1. reg. 15.*

De Romanis ferebatur:

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Nimia tamen clementia principum aliquando ipſis perniciem adfert, & reipublicæ exitium parat.

Saul quod contra Dei præceptum impio Regi Agag pepercerat, à Deo abijcitur, & Samuel Agag trucidat. *Iudit. 11.* *3. reg. 10.*

Achab etiam regem acriter reprehendit Propheta, quòd regem Syriæ ſeruaſſet.

Mandauerat Deus Ioſuę & Iudæis, vt omnes gẽtes in terra promiſſionis extinguerent. Illi verò multis gentibus pepercerunt, & in medio Iſraëlis habitare permiſerunt: quod factum eſt eis in rui-

Iud.2. ruinam,nam per illas Iudæià vera religione ad I-dolatriam adducti fuerunt.

Intempeſtiuè miſericordiam exercere, dolo æquiparatur. VVeſenb. latè conſ.19.nu.23.

Prælati,qui cum auſteritate & potentia imperare malunt, quàm cum lenitate & manſuetudine, taxantur,Ezechiel.c.34.

QVAESTIO XV.

Qui in regia adminiſtratione mores in primis neceſſarij ſint?

RESPONSIO.

Vide.q.3. Conſeruare ſe à muneribus incorruptum,atque magnam vitæ partem ſobrium inuigilare, iuſtitiamque ante omnia colere, ac illius amatores ſibi conciliare:Deus enim & iuſtos amat.

Simile propemodum Alcamenes,quærenti cuidam:quo pacto regnum optimè ſeruaret? olim reſpondit:ſi lucrum non magnifaceret. Et alteri cuidam roganti:cur à Meſſenijs oblata munera recuſaſſet?Quoniam,inquit,ſi recepiſſem,cum legibus pacem habere non poſſem.

Exodi.23. Deut..6. Nec fruſtra Moſes præcepit : Non accipies munera,quæ excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum: excæcant oculos ſapientum & mutant verba iuſtorum.

Prouerb.15. & 19. Et ſapientiſſimus ille Salomon: conturbat domum ſuam,qui ſectatur auaritiam : qui autem odit munera, viuet. Rex iuſtus erigit terram, vir a-Cap.10. uarus deſtruet eam.Similiter Eccleſiaſticus:Auaro nihil eſt ſceleſtius:nihil eſt iniquius,quàm amare Cap.20. pecuniam:hic enim & animam ſuam venalem habet. Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quaſi

quaſi mutus in ore, auertit correctiones eorum. Ideoque Eſaias Principes auaros perſtringit: quòd eſſent ſocij furum, diligentes munera, & retributiones. Et Michæas 3. Principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant. Cap. 1.

Huc alluſit Iuuenalis ſatyra 8.

Expectata diu tandem prouincia cum te
Rectorem accipiet, pone ira frena, modumq́;
Pone & auaritia, miſerere inopum ſociorum.

Caius Gracchus ex Sardinia rediens, orationem talem apud populum Romanum habuit: Ita verſatus ſum in prouincia, vt nemo poſſet verè dicere, aſſem, aut eo plus in muneribus me accepiſſe, aut mea opera quempiam ſumptum feciſſe. Alij vini amphoras quas plenas tulerant, eas argento plenas domum reportârunt: ego Zonas, quas plenas argenti Roma extuli, ex prouincia inanes retuli: vt refert Aulus Gellius. Vide q. n. Gellius l. 15. c. 2.

Tales quoque magiſtratus atque miniſtros habere iubetur, qui minimè auari ſint, vt ſubditos deglubant, deuorentque. Vide q. 6.

Nullum igitur, authore Cicerone libro ſecundo officiorum, tetrius eſt vitium, quàm auaritia, præſertim in Principibus, & rempublicam adminiſtrantibus. Habere enim quæſtui rempublicam nō modò turpe, verùm etiam deteſtabile & nefarium eſt. Multas denique hoc vitium florentiſſimas reſpublicas euertiſſe refert: ſicut Apollo Pythius Lacedæmonijs prædixerat, & ipſi Romani ſenſerunt. De ſobrietate quæſtione 70. agetur.

Quod

Quod de vigilia dicitur, pulchrè explicat Agapitus: Vt in ſuam ac ſuorum ſalutem gubernator, ſic & oculatiſſima Principis mens perpetuò vigilabit: vt ſine naufragij periculo gubernacula teneat, & iniquitatis fluctus fortiter repellat. Alioqui periculum eſt, ne vniuerſæ reipublicæ cymba iniuſtitiæ vndis tandē ſuccumbat. Vt in naui ſi quando nauta quiſpiam ab officio ſuo erret, nauigantibus non adeò magnum incommodum adfert, verum ſi ipſe gubernator ceſſet, & ſe, & omnes vectores in extremam perniciem adducit: ſic in rebuspublicis priuati nō tam alijs, quàm ſibi peccando malum accerſunt: Princeps verò ſi male ſuo munere fungatur, damnum dat vniuerſæ reipublicæ. Proinde aduigilet ſummaque diligentia omnia tū dicat, tum faciat: alioqui pœnas ingētes Deo erratorum ſuorum daturus. Ne quadret in illos hoc Naum: Dormitauerunt paſtores tui rex Aſſur. Idcirco Perſarum Rex his verbis, teſte Alexandro Sardo, manè excitatur: Surge, cogita quæ te cogitare voluit Meſoromaſdes, quem Zozoaſtrum Dei filium credunt. Cambyſes Cyrum filium, Perſarū regem, apud Xenophontem libro primo, docet, vt noctu conſideret, quid ſubditos facere oporteat cum dies aduenerit: interdiu verò, quomodo res nocturnæ pulchrè ſint ordinandæ. Hinc veteres philoſophi Regis imaginem repræſentaturi: ſceptrum pingere addito oculo ſolebant. Et Plato reipublicæ cuſtodes appellauit principes. Regi apud Indos dormire non licebat, ebriumque occidens immunis habebatur. Io. Bohemus lib. 3. c. 8. de moribus gentium: elegans exemplum principibus in Auguſto præbuit Horatius, lib. 2. epiſt. 1.

Cap. 10.

Naum 3.

Lib. 2 ca. 11.

Cum

Cum tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora Cæſar.

Ideoque principem rectè ab Ariſtotele medico comparatum ait Io. Caſus lib. 3. ſpheræ cap. 4. vt diligenter quęrat morbos, & mala ciuitatis. Et patri, vt ſapienter eadem inuenta curet, & ciues tanquam filios amet, & ſubditis tanquam filijs neceſſaria ſuppeditet. Et gubernatori nauis, vt ſcopulos & periculum proſpiciat, & in portum beatitudinis tandem perducat. Et bono paſtori gregis, vt à lupo ciues defendat: vt ipſe neque vellera tollat, neque ſuas oues deuoret. Virgilius propterea creditur Aeneæ Achatem, qui à ſolitudine curaque dicitur, indiuiduum comitem dediſſe. Homerus Agamemnonem cogitabundum finxit.

Vnde illud:

Non decet integram ſomno traducere noctem,
Cuius ſunt populi & commiſſa negotia curæ.

Non licet dormire, qui clauo aſſidet in naui, & Princeps in republica dormit, vt animæ pereant? Nunquam bono patrifamilias deeſt, quod curet in vna domo, & Principi deerit quod agat in tam vaſta ditione, & tot ampliſſimis Prouincijs?

Veſpaſianum Imperatorem commendat Suetonius, quòd in principatu maturiùs ſemper, ac de nocte vigilârit, deinde perlectis epiſtolis officiorumque omnium breuiarijs, amicos admiſerit: ac dum ſalutabatur, & calceabat ipſe ſeſe, & amiciebat. Vtinam ergo Chriſtiani Principes hoc pericu-

loſiſſimo tempore attenderent, quàm exactam aliquando Chriſto Domino, geſti magiſtratus rationem redditurí ſint, ijs quoque de rebus, quæ ipſis ignorantibus deſignantur. Iſocrates & Demoſthenes, Athenienſes adeò frequenter admonebant, hoſtium vires in immenſum excreſcere, rempublicam contrà detrimentum capere: non ipſorum quidem hoſtium virtute, ſed Athenienſium ignauia. Et M. Cicero libro 2. officiorum: Tanta ſublata legibus & iudicijs expilatio direptioque ſociorũ, vt imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus. Sic reſpublica Chriſtana perturbatur, abominandæ hæreſes excreſcunt, multi aberrant, multi ſeducuntur, occiduntur multi, plurimi ſpoliantur, propter negligentiam Principum. Quã graue erit in extremo iudicij die de tot ſacrilegijs rapinis, furtis, grauiſſimiſque iniurijs bonorum, quæ dormiente Principe fiunt, reſpondere? Quàm periculoſum tunc erit, ſua negligentia tot nobiliſſimas animas Chriſti ſanguine redemptas, falſa doctrina & hæreſibus perijſſe?

Cap. quamuis, ext. de reg. Iuris & cap. Ea quæ de officio Archidiaconi.

Beatus Chryſoſtomus aſſeuerat, plurimos Epiſcopos, propter ſummam negligentiam, cũ innumeris vndique oculis vt aduigilarent opus haberent, condemnari: quòd vel vnius interitus, quem diligentia Epiſcopi conſeruare potuiſſet, ipſius quoque ſalutem ſubuertat. Samuel Propheta per ſingulos annos circumibat, viſitabat, iudicabatq; populum Iſraël. Et D. Paulus Apoſtolus ſuam diligentiam Epiſcopis ad imitandum propoſuit. Diligenter, inquit Salomon, agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.

1. Reg. 7. Act. 20. Prouerb. 27 c. 24.

Quare

quare conſtitutum eſt: Epiſcopum & prælatum ob magnam negligentiam priuari text. & gloſ. c. *cum* ad Monaſterium, de ſtatu monach. Gaill. l. 1. obſ. 28. Nam abſque ſtudio, cura, & induſtria nihil *rectè* geri poteſt. Nec colonus vtilis erit vnquam, qui non eſt gnauus & induſtrius, & ruſticarum rerum ſtudio incenſus. Qui pecuariam faciunt, niſi fuerint in ea diligentes, & attenti, minimum fructum percipiunt. Opifices item qui non vigilant, totaque mente iſti operi incubuerint, parum in eo genere efficiunt pretio aliquo & æſtimatione dignum: Ignauus mercator lucro, piger & ſegnis miles laude & fructu carebit. Multò certè magis principis laus in vigilantia, & induſtria conſiſtit. Omnium artium, omniumque diſciplinarum, & officiorum laus & vis in diligentia, ſtudio, & labore continetur. Cum artis autem Regiæ claritate & amplitudine nulla ars conferenda eſt: à nullo itaque artifice tam acre ſtudium, tantaque diligentia & induſtria iure atque meritò poſtulatur, quàm à rege. Nihil indignius eſſet, quàm magis ab alijs hominibus amari pecuniam & lucrum, quàm à rege regnum. Pigritia cũ omnibus turpis ſit, tum regi maximam labem turpitudinis affert, & indelebilem maculam inurit.

Regem cui tantum onus impoſitum eſt, & tam multa pericula circumſtant, cui incumbit vt remp. ab omni calamitate tutam & incolumẽ conſeruet, omnibus opibus copioſam & opulentam reddat, cuique ſunt immortalia præmia cõſtituta, ſi rempubl. benè geſſerit: ignauiæ & deſidiæ atque ſomno vacare turpiſſimum eſſet.

Sapienter dixit Homerus:

Fas non eſt Regi tanta ſub nocte ſoporem
Carpere,cum tanta curarum mole prematur.

Thebani cum diem feſtum agerent,vinoque ſoluti abſque vlla cura iacerent,Epaminondas ſolus vigilabat,& armatus concurſabat: ſuum officium eſſe dicens, vigilare, vt ciues ſecuri dormirent,& vino abſtinere, vt illi ſine vllo metu perpotare poſſent.Præclara vox,illo principe digna, & noſtris regibus atque magiſtratibus minimè aſpernanda.

Tria verò ſunt,quæ Regis diligentiam excitare poſſint,quib.ſi caruerit, erit Regis nomine indignus:fides,patriæ charitas, & religionis ſtudium. Regis fidei eſt ſalus hominum, ciuitatum incolumitas,nationum tutela,& patrocinium commiſſa: ea cura ſatis illius diligentiam incitabit,ad omnia munera alacriter exequenda. Patriæ ſalutem priuatis rebus anteferre,boni ciuis& ſapientis hominis officium requirit. Illa enim parẽtes,cognatos, amicos,vitam ipſam donauit. Illa incolumi permanente,omnia ſalua ſunt:illa euerſa, omnia concidunt,& euertũtur.Meritò igitur ſanctiſſima quædam mater habetur, pro qua vitam ponendam cenſent.

Quò alluſit Verg.6.Aenead.

Vicit amor patriæ,laudiſq; immenſa cupido.

Et lib.11.Aenead.

Ipſæ de muris ſummo certamine matres
Monſtrat amor , verus patriæ vt videre Camillam,
Tela manu trepidæ iaciunt,ac robore duro
Stipitibus ferrum,ſudibuſq; imitantur obuſtis.

Præ-

Præcipites, primaq́ȝ mori pro mœnibus audent.

Horat. lib. 2. ſerm. Satyra 2.

Cur eget indignus quiſquam te diuite? quare
Templa ruunt antiqua Deûm? cur improbe chara
Non aliquid patriæ tanto eniteris aceruo?

Patriam chariorem eſſe debere, quam quiſquā
ſit, pulchrè declarat Marius Salomonius lib. 2.
principatu. Quòd patria omnibus chariſſima
debeat, omnibus rebus patriæ amor præferen-
ſit, & quòd impius ſit, qui eam negligit, omneſ-
patriæ ſeruire teneantur, & qui patriæ mune-
ublica ſubire detrectant, eoque nomine vel re
onem ingrediuntur, vel in alia loca migrant,
ocari, aut bonis atque priuilegijs patriæ priuari
rito pòſſint, eruditè demonſtrant Lancellottus
uo Decurione num. 25. Quintil. Mandoſius ad
Cancellariæ 32. quæſt. 32. & reg. 16. quæſt. 41. &

Adeò, vt pro patria mori quiſque cogatur, ſi ne-
ſitas requirat, & ſua mors reipublicæ profutu-
it, Lancellot. in Decurione nu. 26.

Patria parentibus, liberis, propinquis antepo-
nda, eorumq́ue mali conatus contra patriam
egendi, & puniendi ſunt, Lancellottus ibid.
il de pace p. l. 2. cap. 10. Didacus Couarr. c. Rai-
tius de teſtament. Nemo contra patriam aduo-
um agat, niſi pro ſe, & liberis, atque pupillis
ncellot. nu. 103. Qui pro patriæ defenſione oc-
nbunt, his præmium cœleſte pollicetur Leo
ntifex ad exercitum Francorum c. omni timo-
ac terrore depoſito. 23. q. 8. Pro patriæ neceſſa-
liberatione eccleſiæ theſauros, & ornamenta

conuerti, probat Mandoſius ad reg. Cancellarię 32. q.32. Oziæ & Ezechiæ Regum exemplo 4.reg.c.1:. & 18.

Quòd ſi ergo quilibet homo priuatus maiorem charitatem debet patriæ, quàm propinquis, parentibus, liberis, ita vt vitam pro illius ſalute profundere in ſumma quadam gloria ponatur: quid Regibus faciendum eſt? quippe qui ſunt ab illa ſummis honoribus ornati, & amplificati, vt nunquam parem illi gratiam referre queant.

Religio quoque tantum munus negligenter ſubire non patitur, in qua Dei (vnde regnum proficiſcitur) laus & honor continetur. Homerus Regum genus ad Deum reuocabat, populorumque paſtores, Iouis ſatu procreatos eſſe Reges affirmat. De quo ſupra quæſtione 1. & 8. fuſius.

Non modò Principum, regiamque, ſed Imperialem quoque ſolertiam decet, ita ſubditorum, & ſacri Imperij curam gerere, vt illius vtilitas incorrupta perſiſtat, ſingulorumque ſtatus illæſus conſeruetur, c.1. de prohib. feud. alien. per Fred. c.1. de pace tenẽd. & iura firm. & §. auth. de hæred. & falcid. & §.1. de arm. Atque ſalutem reip. tueri nulli magis conuenit, quàm Cęſari. l. Nam ſalutem D. de off. præf. vigil. Quia in Ro. Imperij tranquillitate totius orbis ſalus conquieſcit. §. 1. quo modo in crim. læſ. maieſt. proced. in extrauag. Aduigilare igitur, & gemina fronte debet eſſe princeps, inſtar Iani antiquiſſimi Italiæ Regis, (quem nos lib. Academiarum Noach noui mundi poſt diluuium reſtauratorem fecimus,) vt præterita noſcat, futura proſpiciat. Nam ex præteritis & præſentibus futura metienda ſunt.

Gaill de pace p.

Maieſta-

[m]aieſtatique Principis omnium maximè con-
[...]t, curare vt pax in Imperio conſeruetur illæſa,
[...]m ſalutē, D. de offic. præfecti vigil. c. 1. de pro-
feud. alienat. per Frederic. authent. de armis.
[n]on ſolùm ſcandala, ſed etiam occaſiones ma-
[...]im & ſcandalorum è medio tollantur, l. Illici-
§. potentiores D. de offic. præſid. l. denuncia-
s. C. de his qui ad eccleſiam confug. l. æquiſſi-
[...]n. D. de vſufruct. Gail lib. 1. de pace p. c. 1. & 3.
[C]ommunis reip. cura occupat Principē. Auth.
[h]æred. & falcid. collat. Vt omnia in rep. & ec-
[...]ia ordinatè fiant, abſque confuſione & tumul-
[A]uth. vt determinatus ſit numerus cleric. coll.

[I]mperator omnes dies & noctes cum lucubra-
[...]e & cogitatione degit, vt ſemper aliquid Deo
[...]cens & reip. vtile præbeatur, nec vigilias in va-
ducat §. 1. Auth. Vt Iudices ſine ſuffragio fiant.
detq; ſubditos contra malos Iudices & magi-
[...]tus iuuare, vtilitates eorum promouere, & o-
[...]es læſiones præſcindere. Authent. Vt nulli Iu-
[...]i liceat loci conſeruatorem habere, coll. 9.
[...]pter vtilitatem ſuperiorum non piget Imp.
[...]s leges emendare, Auth. vt fratrum filij, collat.

Imperatoris ſtudium eſt, vt ſubſiſtant, valeant-
e ciuitates & reſp. floreat: ideò tot bella ſuſcipit
[...]th. vt liberti auro non indigeant. collat. 6.
Qui cum potentia & auſteritate imperant, ſub-
tos emungunt, de ſalute eorum parum ſoliciti,
[...]ficiumque ſuum negligunt, ſeuerè caſtigantur,
[...]ech. 33. & 34.
Princeps piger & ignauus fruſtra aliorū indu-

ſtriam requirit,& qui timidus eſt,fruſtra fortium hominum opem& auxilia implorat.Illorum gratia,qui pericula contemnere, aut labores ſuſcipere velint,rariſſimi ſunt. Vigilantia ergo ſua alios ad excubias exſcitare conetur. Ad vigilantiam quoque& induſtriam,otij turpitudo meritò inflámabit,quod eſt omnium flagitiorum ſeminarium. Per quod animus corrumpitur, franguntur vires, langueſcit induſtria, hebeſcit ingenium, vitia creſcunt,ſcelera prorumpunt, animi ſtatus opprimitur, flagitiorum omnium bellum inexpiabile concitatur,& libido in animi dominatu conſtituitur. Cum igitur hæc mala omnia ex otio & pigritie oriantur, Regi & principibus cane peius & angue,vt dicitur,fugiendum eſt.

Otium.

Perſarum Imperium armis partum, longa pax & otium deleuit.Græcorum opes ingentes eadem diuturnitas pacis afflixit. Ipſumque Romanum Imperium nimia ſecuritas, atque otium euertit. Multæque aliæ florentiſſimæ olim prouinciæ opibus ſummis in bello auctæ, in pace & otio vires atque opes amiſerunt. Maximaque Imperia armis quæſita,pace & otio conciderunt.

Oſorius.

Ne dicam, quòd naturæ iucunditas non in otio ſed in labore verſatur. Nam & bruta animantia motus liberos requirunt, pueri motibus aſſiduis delectantur,& ſenes aliquid agere ſemper ſtudēt, quo otij faſtidium vitent.

QVAESTIO XVI.

In quo pietas conſiſtat, vel quod ſit pietatis robur?

RESPONSIO.

Cognoſcere quia Deus omnia operatur in omnibus

ous,& ſcit,neq; eum lateat quicquam, quod ho-
nes benè vel perperam agunt.Si ergo vt vniuer-
n orbem Deus ſua benignitate fouet, tu eum i-
teris,nunquam aberrabis,aut delinques.
halesMileſius dicebat,fore homines caſtiores, *Cicero 2.de legib.*
xiſtimarent Deos omnia cernere, deorumq́ue
nia eſſe plena.Et Symmachus vrbis præfectus,
/alentinianum Imperatorē Chriſtianum,apud
brofium lib.5.epiſtolarum: Plurimum,inquit,
et ad metum delinquendi, præſentia religio-
Similiter Ambroſius lib.1. officiorum cap.26. *Ambroſ. epiſt.lib.5.*
iil magis proficit ad vitam honeſtam, quàm vt
damus eum iudicem futurum, quem & occulta
fallant,& indecora offendant, & honeſta de-
ent. Vnde Dauid: Prouidebam Dominum in *Pſal.15. & 118.*
ſpectu meo ſemper. Et: Seruaui mandata tua,
omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Eiuſdemq́;
s Salomon: In omni loco oculi Domini con- *Prouerb.15. & 5. & 16.*
olantur bonos &malos.Reſpicit Dominus vi-
iominis, & omnes greſſus eius conſiderat:in-
tates ſuæ capiunt impium,& funibus peccato-
ſuorum conſtringitur.Omnes viæ hominum
nt oculis Domini, & ſpirituum ponderator
ominus.Et Eccleſiaſtes capite vltimo:Cuncta
fiunt adducet Deus in iudicium,pro omni er-
ſiue bonum,ſiue malū ſit. Et tunc malitia ho-
oliuionem facit luxuriæ magnæ,& in fine ho-
s denudatio operum illius. Laus impiorum *Eccle.11.*
s eſt: & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti:
euderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & ca-
ius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fi-
rdetur. Et qui eum viderant, dicent:Vbi eſt?
t ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet

Iob 20. ſicut viſio nocturna. Filij eius atterentur egeſtate.
& 21. Cum habuerit quę concupierat, poſſidere non poterit. Luet quæ fecit omnia, nec tamē conſumetur.
Iob.12. Impij quidem ducunt in bono dies ſuos, at in momento ad infernum deſcendunt. Qui faciunt iniquitatem & peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.

Pſal.5. Similiter Dauid Rex: Non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus: ne-
Pſal 10. que permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti
Pſal.36. omnes qui operantur iniquitatem. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani: tranſiui, & ecce non erat: quęſiui, non eſt iuuentus locus
Pſal 61. eius. Iterum: Reddes vnicuique iuxta opera ſua. Et:
& 67. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens,
& 118. ſicut cera quæ fluit à facie ignis. Longè à peccatoribus ſalus. Maledicti qui declinant à mandatis tuis.
4. Ezd.c.15. Væ ijs qui peccant, & non obſeruāt mandata mea,
2. Mach.c.4 dicit Dominus, non parcam ijs. In leges diuinas agere impiè, nemini cedit impunè. Altiſſimus enim odio habet peccatores, & impijs reddet vindictā.
Eccleſ.12. Hoc Dauid Iudæis accidiſſe probat: Obliti ſunt
Pſal.105. Deum, qui ſaluauit eos: & dixit vt diſperderet eos, & deijceret ſemen eorum in nationibus, ſi non Moſes dilectus eius ſtetiſſet in conſpectu eius. Iratus furore Dominus in populo ſuo, & abominatus eſt hæreditatem ſuam: & tradidit eos in manus gentium, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. Timenti verò Deum benè erit in nouiſſimis, & in die defunctio-
Eccleſ.1. nis ſuæ benedicetur. DEVM time, & mandata eius
Eccleſ. vlt. cuſtodi, hoc eſt enim omnis homo: Cuſtoditio legum conſummatio incorruptionis eſt: incor-

ruptio

tio autem facit proximum Deo. Breuiter, qui *Sop.6.*
ıa egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò
è egerunt, in ignem æternum, vbi erit fletus, &
lor dentium. Omnes nos ante tribunal CHRI- *Matth. 26.*
I manifeſtari oportet, vt referat vnuſquiſque
ut geſſit. Quo argumento vtitur S. Ambroſius
virginem lapſam capite 9. Retulit Ariſtæas,
d Moſes Iudæis præceperit, vt in portis ianuiſ-
ſacra quædam eloquia ſcriberentur, quæ ab
ɔneſtis rebus eos auocarent, & in pietatis at-
virtutum ſtudio confirmaret. Quod etiam
ımon conſulit: Liga in digitis tuis legem Do- *Prouerb. 7. & 6.*
i. Et: Circunda gutturi tuo, cùm ambulaueris
iantur tecum, cùm dormieris, cuſtodiat te: &
ilans loquere cum ijs: quia mandatum lucer-
ſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.
: ſit hoc Dauidis Pſalmo. 74. Deus iudex eſt: &
l Eccleſiaſtici cap. 7. Memorare nouiſſima tua,
æternum non peccabis. Et cap. 14. Memor e-
ıuoniam mors non tardat: vel: DEVS videt.
ıento finis. Cogita iudicium. Noſce teipſum,
, excellentiæ tuæ memor, ne te abijcias, vt be-
ı, aut, ne ſuperbias terra & cinis. Vide quis ſis.
vt viuas. Semen quod ſeueris, metes. De omni
o ocioſo reddenda eſt ratio. Matth. 14. Vo-
ıs Dei eſt ſanctificatio noſtra. 1. Theſſalo. 4.
a vita in morte ſumus.

ngeli in cælo gaudent de pijs & bonis homi- *Lucæ 15 & 19.*
s: contrà, ſuper peccatoribus ipſe etiam Chri-
:ontriſtatur & flet.

ıximilianus Primus Ro. Imperator aureis nū-
mis

mis inſcripſerat: Serua menſuram, & reſpice finē. D. Chryſoſtomus ad Eutropium ſcribens, hortatur vt omnes homines, præcipuè verò qui in dignitatibus conſtituti ſunt, in parietibus, in veſtibus, in ianuis, & ante omnia in conſcientijs inſcribāt: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Epictetus philoſophus impeccabiles fore, vitamque tranquilliſſimam victuros affirmabat, qui duo iſta verba cordi haberent: ἀνέχου καὶ ἀπέχου. id eſt, ſuſtine & abſtine.

Gellius lib. 17. c. 19.

Idem Enchiridij capite 50. iubet conſiderare, breuem incertamque voluptatem, quam diuturna pœna, & ſempiternus cruciatus conſequatur. Nā momentaneum eſt, quod delectat: ſempiternum verò, quod cruciat. Aureum Clementis Alexandrini conſilium eſt: Oportet domi parentum & famulorum pudore affici, in via eorum qui fiunt obuiam, in ſolitudine ſui ipſius, vbique autem verbi, quod eſt vbique: Hac enim ſola ratione fit, vt quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi vbique adeſſe exiſtimet.

L. 3. pædag. c. 5.

Deus namque vt Prudentius cecinit:

Speculator aſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actuſq; noſtros proſpicit,
A luce prima in veſperum.
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quicquid eſt,
Humana quod mens concipit:
Hunc nemo fallit iudicem.

Quò alluſit Mantuanus,

Et vi-

Et videt, & iuſta librat Deus omnia lance.

Eodem prorſus argumento vtitur Baſilius Mag-
s in libro de virginitate: Non peccaturos homi-
s, ſi non putent ſe miniſtris ſuis, coram quibus
linquere timent, viliores: ſed revereantur & ſe,
Angelum ſuum, omniaque videntem atque au-
entem Deum metuant. Adhæc, non ſolùm ab o-
ribus turpibus ceſſaturos arbitratur, verùm eti-
ı inhoneſtis cogitationibus, ſi conſiderent, quòd
nnes coram Chriſti tribunali comparere cogan-
r, vt operum ſuorum anima, tanquam pictor ali-
ıis bonus ſiue malus, mercedem à Deo recipi-

Interrogatus quandoque Baſilius: quomodo a- *Quæſt. 11. &*
juis odium contra peccata acquirat? reſpondit: *pend. &*
cognoſcat, quòd grauiſſimorum malorum au- 209.
ores & cauſæ ſint peccata: & quòd ea Deus vo-
t, vt ſcriptura ſacra minatur, punire. Quærenti- *Quæſt. 174.*
ıs alijs, quomodo pietatem colerent, mandatiſq;
ei libenter obtemperarent? Si, inquit, peccata o-
o proſequantur, quæ animum impediunt: cre-
ınt etiam, quòd mandatum Dei vita æterna eſt,
ıam omnes id ſeruantes certiſſimè ſint conſecu-
ri. Iuxta illud Dauidis Pſal. 18. In cuſtodiendis
is retributio multa.

Quotquot autem audacter delinquunt, quaſi
eus eorum ſcelera non videret, nec ea punitu-
ıs eſſet, eleganter caſtigant Eſaias capite 29. et
ichæas c. 3. cũ dicũt: Nũquid Dominus in medio
oſtrorum? Non venient ſuper nos mala. Propter
oc, cauſa veſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Hie-
ıſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons tem-
pli in

Eccl 23. pli in excelſa ſyluarum. Similiter Eccleſiaſticus: Dicit adulter: Quis me videt? tenebræ circundant me, parietes cooperiunt me, quem verear? delictorum meorum non memorabitur altiſſimus: Et nō intellexit, quoniam videt oculus illius. Qui putauerunt Deum non iraſci, nec punire delicta, pulchrè redarguit Lactantius libro de ira Dei. Quòd ea opinio totam religionem euertat.

QVAESTIO XVII.

Quis eſſet modus & officium regnandi?

RESPONSIO.

Vide q 64. 21. Rectè ſeipſum regere: & tunc nihil ex opum & gloriæ confidentia concupiſces, quod ſit elatum atque indecens: ſi tuam ſortem diligenter perpenderis, omniaq; tua, quaſi nihil ſint, arbitreris. Deus vacat omni cupiditate plura habendi, & eſt æquus, hoc & tu, vt homo, conſidera, neque multas iuriſdictiones ad tuum regnum pertrahere cupias.

Cyrus Perſarum Rex dicere ſolebat: quòd neminem deceret imperare, niſi qui ſubditis eſſet melior. Et cum Leonidæ Spartanorum Regi dixiſſet quidam: Præter regiam dignitatem alio nihil nobis præſtas, reſpondit: Niſi vobis melior extitiſſem, dignitatem Regiam adeptus non eſſem. Soló, vnus è ſeptem ſapientibus Græciæ, interrogatus: qualis populi rector eſſe deberet? Qui prius, ait, ſeipſum, quàm populum regere, virtuteque moderari ſtuderet. Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum maius aſſerebat exiſtere, ſuis affectibus imperare, quàm præpollentem hoſtium vrbem vi capere. Prouerb. 6 Quemadmodum Salomon quoque noſter: Melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Pul-

.Pulchrè quoq; Seneca: Si vis omnia tibi ſubij-
e,ſubijce te rationi: multos reges,ſi te ratio re-

Rex eſt qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Mens Regum bona poßidet.

Et Horatius lib.2.carminum,ode 2.
Latiùs regnes auidum domando
Spiritum,quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas.

Et Iuuenalis ſatyra 8.
Expectata diu tandem Prouincia cum te
Rectorem accipiet,pone iræ frena, modumq́,
Pone & auaritiæ,miſerere inopum ſociorum:
Reſpice quid moneant leges,quid curia mandet.

Et Claudianus:
Tu licet extremos latè dorminère per Indos,
Te Medus,te mollis Arabs,te Seres adorent:
Si metuis,ſi praua cupis,ſi duceris irâ,
Seruitij patière iugum,tolerabis iniquas
Interius leges:tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui.

Marius Salomonius lib.3.de principatu,Princi-
decere probat,ciues meliores efficere:idq́; fieri
œnarũ metu,prœmiorũ pollicitatione,legibus &
 orib⁹.Bonis autem moribus imbui ciuitatẽ ver-
& exemplo:quòd omnes ſubditi principes atq́;
agiſtratus imitari cupiant, eorumq́; vita & mo-
ſint regula ſubditorum. Quiſquis ergo ſubdi-
ſ ad virtutis officia adducere cupit,ipſe prius vi-
,quam ſequantur ceteri, ingrediatur oportet.
Quod

Quod etiam indicant hi verſus:

In commune iubes, ſi quid cenſeſue tenendum,
Primus iuſſa ſubi, tunc obſeruantior aqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Authorem parere ſibi: componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.
Ad te oculos aureſq; trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quam ſi Romani Principis edis opus?
Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum Iudex alios quod monet, ipſe facit?

Certè libidinum ſeruos, & cupiditatum mancipia, atque tyrannos, nulla gens pro regibus habuit, ſed pro omnium ſeruorum contemptiſſimis. Eleganter etiam Cicero in paradoxis: Quomodo, aut cui tandem hic liberè imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet primũ libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cùm ipſe improbiſſimis dominis, dedecori ac turpitudini parere deſierit. Nec enim Alexander Magnus verè Rex fuiſſe videtur, qui orbis terrarum domitor, inſatiabilem regnandi cupiditatem, iracundiam, temulentiamque domare nequiuit. De Hercule cecinit non ineleganter Mantuanus:

Omnia qui domuit, Veneri ſeruiuit, & Ira.

Iſocrates ad Nicoclem perſcripſit, Regis partes eſſe,

eſſe, vt rempublicam ex puſilla magnam reddat, malis finem imponat, fœlicitatemque tueatur:& huc eniti, vt cæteris antecellat prudentia,& quantum cæteris anteit honoribus, tantum virtutibus præcedat:imperetque primùm ſibi. S. Ambroſius bonos demum Reges appellat, qui ſui corporis poſſunt ſe præbere Rectores, *In Pſal. 47.*

B. Chryſoſtomus in libro de comparatione regis & monachi ſcribit:Is demum verè rex eſt, qui iram,qui inuidiam, qui voluptatem cohibens, omnia ſub Dei leges agit,mentem liberam ſeruans, neque patiens voluptatum dominationem animo ſuo imperitare. Talem equidem regem libenter viderem,& populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus,& exercitibus iura dantem. Qui verò ſibi ipſi imperare neſcit,hic quo tandem modo alios legibus regere poterit?Etſi hominibus imperare videtur, iræ tamen, auaritiæ, voluptatibus ſeruit: ſubditis ſuis ridiculis videbitur, quòd coronam quidem geſtet gemmis auroque intertextam,temperantiæ vero corona minimè inſignis eſt:& purpura quidem paludamento toto corpore fulget, animum autem inornatum habet. Verumque Monachum, verum regem exiſtere probat:quòd affectibus ſuis rectè imperare nôrit. In caput vero 10. ...e:In nullo ſit minor,qui cunctis eſt potior:nec ... melior, quia maior:ſed ideo maior,quia me... Princeps, inquit ad Iuſtinianum Cæſarem A...tus, ſic demum verè pronunciaris, ſi cupiditatibus imperes,& à voluptatibus temperes, & temperantiæ corona redimitus,ac iuſtitiæ purpura ...ndutus. Omnem aliam poteſtatem quantumuis magnam mors excipit: tale Imperium perpe-

 tuò du-

Lib.18. cap. 24. petuò durat, & ab æterno ſupplicio liberat. Quocirca Alphonſus Aragonum Rex, vita & moribus, atque Authoritate Regem ſe haberi malle aiebat,
Lib.2. c.56 quàm purpura & diademate. Admodum quoque turpe iudicabat, eũ alijs imperare, qui ſeipſum re-
Lib.4.c.20 gere neſciret, & improbè agere Principes, qui alijs honeſtè viuendi leges præſcriberent, ipſi verò nihilo temperantiores eſſent: vt narrat Panormitanus. Sigiſmundus Imperator, teſte Syluio, neceſſarium Principibus arbitrabatur, vt virtutibus confirmati, nec proſperis rebus attollerentur, nec deijcerentur aduerſis. Tiberius Imperator apud Nicephorum Calixtum fatetur, nec ad voluptatem, nec
Lib.18.c. 6. ad corporis delitias conſectandas à Deo ſibi traditum Imperium. Tiberij ſucceſſorem Mauritium
Lib.18.c.8. prædicat Nicephorus, quòd ſibi ipſi imperârit, & non corpore tantùm purpuram coronamque cir-
Quæſt.21. cumtulerit, verùm & animo. Cũ ergo affectus ſuos exſcindere Regibus difficile ſit, vt infra declarabitur, non mirum eſt, quòd pauci veri Reges habeantur. Primum enim & præcipuum in arte regnandi eſt, ſeipſum regere, tenere omnes cupiditates, coërcere libidines, animi motus ratione comprimere, totiuſque mentis ſtatum rectè moderari. Deinde cui tantum munus impoſitum eſt, operam dare cogetur, vt prouincias ſubditoſque nôrit: nemo enim poteſt mederi corpori, niſi cognito, aut agrum colere, quem ignorat. Tum Rempub. ſuam amet, non ſecùs quàm domum paternam, ſiue auitum agrum ruſticus, & familiam ſuam vir bonus. Nec enim vel equis vel canibus rectè quiſquam poteſt imperare, niſi amet, & delectetur ijs, quorũ curam gerere debet. Poſtremò, acceptam reddat melio-

meliorem,perturbatam conſtituat, oppreſſam liberet,omnes ciues,quantum fieri poſſit,continentes & moderatos efficiat: virtutumq; omniū præſidio communiat. Adhæc, cum capitis etiam ſui periculo,propugnet, tueatur, atque defendat, vt verè Pater Patriæ à poſteris appelletur.Iulius Cæſar Belgas in officio retenturus,ciuitates honorificè appellabat,Principes ornabat muneribus,nulla onera imponebat. Reges atque ſæculares Principes imitentur Dauidem,quem elegit Deus paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam: pauit eos in innocentia cordis ſui,& in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos. Epiſcopi verò attendant Samuelem:Pręſtò ſum,loquimini de me coram Domino:Vtrum bouem cuiuſque tulerim, aut aſinum, ſi quemque calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi:Teſtis eſt Dominus aduerſum vos,& teſtis eſt Chriſtus in die hac,quia non inueneritis in manu mea quippiam. Simile eſt Pauli Apoſtoli verbum: Omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti: Omnibus omnia factus ſum,vt omnes ſaluos facerem. Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur,& ego non infirmor?quis ſcandalizatur,&ego non vror?Rectorem te poſuerunt,inquit Eccleſiaſticus,noli extolli, eſto quaſi vnus ex ipſis, curam illorum habe.Sicut Traianus, talem ſe imperatorem ſubditis præſtiturum recipiebat, qualem ipſe optatus cuperet.

Vide Chryſ. in cap. 10. Lucæ. — *Pſal. 77.* — *1.Reg. c. 12.* — *Vide Chryſoſt. in c. 10. Lucæ.* — *1.Corin. c. 9.* — *2. cap. 11.* — *cap. 32.*

Omninò qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneāt: vnum, vt vtilitatē ciuiū

ſic tueantur, vt omnia ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, vt totum corpus reipublicæ curent. Nam qui parti ciuium conſulunt reliquas negligunt, rem pernitioſiſſimam in ciuitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Omninoque iuſtitiæ & honeſtati adhęreſcet: & quęuis offendat potius, oppetatque mortem, quàm illa deſerat.

Cicer.1. off.

Eſt enim teſte Chryſoſtomo, Imperatorũ pro omnibus, ſi neceſſe ſit, mori: & nullum pro republica recuſare ſupplicium. Aequaliter Deo eſt cura de omnibus: & Iupiter omnibus idem. Et Ieſus ſtetit in medio diſcipulorum. Si omnes æqualiter curari non poſſunt, nemo negligatur.

Sap.6. *Io.20.*

Samuel Propheta ex Dei mandato præſcripſit Iudæis legem Regni: Ne vel Rex tyrannidem exerceret, nec populus rebellionem.

1 reg 10.

Tunc demum Reſpublica benè adminiſtratur, quando is qui alijs præeſt, vitijs potius, quàm ſubditis imperat, Gregorius in moralibus. Reges à rectè agendo vocati, ideoque rectè faciendo Regis nomen retinetur, malè agendo amittitur. Recteq; illi Reges vocantur qui tam ſemetipſos, quàm alios iuſtè gubernant.

Iſidor. L.9. de ſummo bono.

Verus Rex qui ſit.

Rex ille demum habendus eſt, qui reliquis hominib. vt dignitate & potentia, ita honeſtatis opibus atque ornamentis antecellit: Tunc enim honeſtatis ſplendor elucet, in homine, quando mẽs, quæ eſt potiſſima pars animi humani, principatũ obtinet, & regnum ſibi à natura datum ſapienter adminiſtrat. Quod facit, cũ temeritatẽ & libidinẽ coërcet, omnes affectus temperat, moderatur, & ſibi obedientes eſſe compellit. Regia maieſtas ab hone-

oneſtate ſeiungi non poteſt. Iccirc ò hominibus
ruta animantia, quæ honeſtatem & decus intueri
on poſſunt, naturali natura ſubiecta ſunt: & inter
omines is eſt maximè ad reliquos regendos ap-
ſſimus, qui multùm virtutis opibus excel-
t.

Qui ſuos proprios affectus moderari nequit,
uomodo vniuerſam rempub. moderabitur? qui
bidinum ſeruus eſt, quomodo ſuorum libertatē
ebitur? qui mentis cæcitate laborat, quomodo
ala reipub. imminentia præcauebit? Quò maior
lius potentia fuerit, eò maiores ruinas edet, ne-
ue tam Rex quam tyrannus potiùs cenſendus e-
t. Verus enim Rex diuinæ menti paret, rectam ra-
onem ſequitur, Iuris æquabilitatem colit, frau-
em & malitiam coërcet, modum, & ordinem in
mni officio conſeruat, rempubl. vniuerſam ex-
ellentibus meritis obſtringit, nullum periculum
lire pro ſalute patriæ recuſat, ad gloriæ ſempi-
rnæ decus aſpirat, mortem deniq́ue contemnit,
immortalitatem conſequatur. Contrà, Tyran- *Tyrannus.*
us Dei numen ſpernit, rationis Imperium repu-
iat, libidini ſeruit, Iura diuina & humana violat,
olis ac fraudibus innititur, veram dignitatē abij-
t, falſam imaginē decoris & dignitatis amplexa-
ır, ſubditos formidine perterret, ex eorum bonis
rædatur, vt ſua per vim & fraudes amplificet, pa-
iamq́ue ipſam lue atque labe conficit, in profli-
anda virtute, & extinguenda ſapientia, atque op-
rimendis bonis occupatur, iniurijs, cędib. rapinis
mnia complet, miſcet ſacra profanis: nullum ex-
ellens ingenium, nullā ſingularem induſtriam,
ullam potentiam ferre poteſt, totus eſt in libidi-
M 3 nis

nis impuriſſimæ dominatu, die ſolem vix aſpicit, noctes in nequitia conſumit, opes, honores virtu ti debitos ad libidinum miniſtros defert, ſubditos ſpoliat, domos exhaurit, & Sardanapali more omnem beatæ vitæ rationem in luxuria immenſa conſtituit, rempub. vexari atque diripi à nequiſſimis hominibus permittit.

In religionis ſanctimonia, in iuſtitiæ cultu, & in decoris honeſtate, virtutiſque robore, ac in manſuetudinis lenitate, regis maximè dignitas apparet. Libidinē ergò Princeps coërceat, voluptates noxias aſpernetur, iram cohibeat, pacis, belliq́ue tempora rectè adminiſtret, & moderetur, nunquam à recta ratione ſe abduci patiatur. Qui ſe ipſum regere neſcit, quomodo populum vniuerſum reget? quomodo aliorum libidines continebit, qui ſuas non continet? quomodo aliorum licentiā reſecabit, qui ſibi ipſi flagitiorum licentiam attribuit?

Inter antiquos populos non niſi optimus Rex eligebatur: ſummeq́ue felices habebantur illæ gētes, in quibus non poterat eſſe potentior, niſi melior. Sicut hominibus Reges, ſic regibus dominandi deſideria dominantur: hoc eſt regnum, nolle regnare, cùm poſſis. Vis ergò regnum tibi dari magnum, rege teipſum. Si vis omnia tibi ſubijcere, te ſubijce rationi. Multos reges, ſi te ratio rexerit: ab illa diſce, quid & quemadmodum aggredi debeas. Seneca in epiſtolis. Qui multarum habet poteſtatem rerum, primùm purgare conſcientiam debet, vt quæ delicta corrigit, non admittat, viteťq; quod vindicat: Stultum quippe eſt, vt velit quis alijs imperare, cū ſibi ipſi imperare non poſſit. Socrat. in

exhort.

xhort.Regis nomē & perſonā nemo tueri poteſt, ſi ſit & virtute magnanimus,& honeſtate ſplenidus,& fide firmus, & ſapientia moderatus, & oibus veris opulentus.

Pietas autem in patriam, fides erga ſubditos, & eligionis ſtudium faciunt, vt omnia quæ difficilima,& propè impoſſibilia videntur,facillimè feiciſſimeque tranſigantur.Sicut quæſtione 1. & 8. emonſtratum eſt.

Ioannes Caſus in ſphæra ciuitatum de differenia Regis & Tyranni, & quibus artibus acquiratur & conſeruetur Tyrannis,pulchrè diſſeruit:Regnū Tyrannide differt, primò ratione ſui ortus. Nam egnum ad bonorum perfugium ac præſidium duerſus populi iniuriam comparatum eſt,& Rex pſe conſtituitur ex viris bonis, propter excelleniam virtutis,vel rerum geſtarum,vel generis,vel eneficiorum, vel potentiæ: ſed Tyrannus ex poulo,& multitudine conſtituitur, aduerſus nobies & illuſtres viros: & ſanè maxima eorum turba ex leuiſſimis populi cuſtodibus, nobilibus falò criminandis &calumniandis orta eſt.Differunt quoque hæc duo in materia.Nam obiectum Regis eſt pax & iuſtitia: at Tyrannus ſeditionem,libidiem, & iniuſtitiam quærit. Tertium,in quo differunt,eſt forma. Nam Rex definitur cuſtos ſocietais, cuius eſt opulentos ab iniurijs plebis,& plebē à contumelia maiorum tegere: ſed Tyrannus nullo communis vtilitatis habito reſpectu, non ſuis, ſed ſibi conſulit, omniaque ad ſuijpſius libidinem vertitDifferūt etiā in fine:Regis ſcop⁹ eſt,honeſtas Lib. 5.c.10. & 11.

Tyrãni voluptas & deuaſtatio. Et cuſtodia ſatellitum Regis conſtat ex ciuibus: Tyranni ex peregrinis, & prærogatiua: Nam regis imperium heroicis virtutibus: Tyranni adminiſtratio malè quęſitis opibus decoratur. Et modo imperandi: Quia regnũ infinita bona, quibus officium honorificè præſtare poteſt: Tyrannis diuitias tanquam finem ſibi proponit, populo nulla in re credit, ciues armis priuat, oppreſſionibus affligit, ex vrbe eijcit, omnia pro libidine furenter agit, primarios odio habet, nobiles inſidioſè tollit, palàm aliquandò in exilium agit, ſibi infeſtos accuſari, condemnari, occidi iubet. Eſt enim proprium Tyrannis, nobiliſſimas, antiquiſſimas, optimaſque familias è medio vi, aut inſidijs tollere. Cum ergò Tyrannis lõgiſſimè omnium à ſtudio communis boni diſcedat, eſt inter omnes iniquiſſima, maximeque contra naturam, cum homines à natura liberos, diro ſeruitutis iugo vulnerat, maxima ciuitatis bona extinguit, vt pacem, virtutem, ordinem, legem, nobilitatem: omniumque malorum ſentinam ad ſe trahit. Ergo eſt intolerabilis, & diuturna eſſe non poteſt, & tanquam violentum, & naturæ contrarium ſtare non poteſt.

Iuuenalis.

Ad generum Cereris ſine cæde, & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Duoſque ibi modos erigendi conſeruandique tyrannidem demonſtrat: quorum hunc vrbanum ſiue pacificum: alterum aſtutum ſiue ſophiſticum vocat.

Vrbani modum facit:

Potentiores interficere.
Sodalitates & conuiuia tollere.
Scholas & academias ſubuertere.
Ciues inter ſe ignotos reddere.
Peregrinos ad forũ ineſcandi cauſa admittere.
Suſurrones & exploratores clàm inſtituere.
Inter nobiles & plebeios calumnias ſerere.
Populum ad inopiam, metum, puſillanimitatẽ ogere.
Bella iniuſta ſuſcipere, vt omnia ſint ſalua domi.
Amicis non confidere.
Vxoribus, meretricib⁹, ſeruis omnia indulgere.
Ganeones, carnifices, & ſimiles beneficijs afficere.

Aſtuti vero modos ponit:

Diſſimulanter ſummam curam omnium rerum habere.
Oeconomiæ prætextu tributa exigere.
Grauitatem & honeſtatem perſonæ fingere.
Neminem apertè iniuria vulnerare.
Vnam palàm vxorem tenere.
Sobrietatem, vigilantiam, ſtudiumque pietatis religionis egregie ſimulare.
Benemerentes aliquando ſub colore virtutis præmijs afficere, malos punire.

Huc pertinet illud Mantuani lib. 6. ſyluæ.

Nil optare poteſt vnquam reſpublica peius
Rege malo: nil rege bono praſtantius, omnis
Diſsipat omne bonum ſine lege licentia regum:
Vt Boreas frondes, glacialis & hordea grando,
Libertas eſt ſumma bonis, ſub principe iuſto,
Fœlices igitur populi, quos viuere diu.

Concedunt ſub rege pio.

Et ex Bartoli tractatu de Tyrannide refert Iacobinus de feudis, § Princeps. Numer. 3.

Princeps eſt, qui digna præcipit: Tyrannus qui in Repub. non Iure principatur. Princeps tendit ad bonum commune: Tyrãnus ad propriũ.

Cum Tyrannide ſemper coniunctam eſſe ſophiſticam calumniatricem, ſiue præſtigiatricem declarat Richterus politico axiomate 47. Odit Tyrannus honeſtos ciues, viuos & mortuos, gaudetq́; improborum conſuetudine, quodq́; indigniſſimũ eſt, auidè accipit calumnias, quibus faſcinatus, omnia in deteriorem partem flectit.

Omnes boni ipſi inuiſi atq́; ſuſpecti ſunt.

Summũ in aulis eorũ locũ obtinent: aſſentator delator, ſuſurro, & obtrectator. Hi etenim Tyrãnos regunt, & inſidioſè meliores opprimunt.

Tyrãni ferè ſunt ſuſpicaces, malè ſentiunt de omnibus, nihil abſurdũ putãt, q́ utile videatur. Cõtẽptores Dei & religionũ omniũ, polluti libidinibus, omniſq́; generis flagitijs, & voluptatibus. Miniſtros quos euexerũt, & vnicè amarũt, vbi creſcere vidẽt dignitate, opibus, fauore, & ſtudijs potentiorũ, incipiũt clã ſuſpectã habere eorũ fęlicitatẽ, mox odiſſe, & inſidias occultas ſtruere. Quod ſi nõ ſuccedit, maiorẽ q̃ antehac beneuolẽtiã ſimulãt erga illos, donec ita planè dementatos ex improuiſo opprimant. Tyranni haud diu viuũt, Deo eos cohibente, & funęſtum ferè exitum habent.

QVAESTIO XVIII.

Quomodo ſemper bonas cogitationes haberet?

RESPONSIO.

Si ſemper tibi iuſta propoſueris, ſtatuaſque, iniu-

iniuſtitiam vitę priuationem eſſe, atq; perniciem: iuſtis verò Deum bona præparare.

Plurimum ad hoc proderint illa, quæ 15. 16. 17. quæſtione annotata ſunt. Deinde ſi conſiderēt bonos atque iuſtos Principes diu ferè & feliciter imperare, & coronam in cœlis à Deo recipere: contrà vero, ꝙ virũ ſanguinum & doloſum abominetur Dominus, nec tales dimidiēt dies ſuos. Et quòd futurũ ſit iudiciũ duriſſimũ in hos, qui malè prę ſunt, ac potentes potenter tormēta patiãtur, fortibuſq; fortior inſtet cruciatio. Longè etiã peccata Principũ grauiora, quàm aliorũ iudicantur: tũ quia maioribus à Deo beneficijs affecti ſunt, vt ſupra Ariſtæas quoque profitebatur, tum etiam quòd plus exemplo, quàm peccato noceant, quando omnes facilè illos imitantur: eorũq; vitia in totã republicã transfundũtur, teſte Cicerone lib. 2. de legibus. *Prouerb. 27.* *Pſal. 52.* *Sapien. 6.*

Huc pertinet illud Iuuenalis ſatyra 8.

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior qui peccat habetur.
Scilicet in vulgus manant exempla Regentum:
Vtq; ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.
Ad te oculos, aureſq; trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi.
In melius per te virtutum exempla petemus,
Quam ſi Romani principis edis opus:
Sic igitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum Iudex alios quod monet, ipſe facit.

QVAESTIO XIX.

Quomodo in ſomno quietus eſſet?

RESPONSIO.

Rem explicatu difficilem, ô Rex, quæris. Nam

Nam in his, quæ in ſomno dormientibus eueniũt, non tam regimus nos ipſos, quàm ſenſu irrationali circa illa ducimur: & ſic ijs aliquandò afficimur, quaſi cerneremus; idque ſine ratione. Vt ſæpe putamus nos in mare ferri, nauibus vehi, vendere aliquid, aut volare, peregrinari, ſimiliaque facere, quæ tandem experimur non extitiſſe. Etſi verò hęc res difficultatem habet, tamẽ quantum ego intelligentia aſſequi poſſum, ſic tibi faciendum eſt, Vt quicquid agis dicisue, referas ad pietatem. Exploratè enim tibi cognitum eſt, quòd vbi meditaris ea quæ ſunt virtutis, nihil in gratiam vel odium alicuius præter ius agas. Plerunque verò ea in ſomno recurrunt, quibus vigilantes occupabamur. Quiſquis ergò omnes cogitationes actioneſque ſuas ad optima & honeſtiſſima quæque deſtinatas habet, non abſurdas ille in ſomno commotiones habebit, Sicut tu Rex perpetua es animi æquabilitate præditus.

Apud veteres plurimi diuinatores, ſomniorumque interpretes habebantur. Ariſtoteles quoque peculiarem librum de diuinatione ex inſomnijs ſcriptum reliquit. Marcus etiam Cicero duobus de diuinatione libris elegantia quædam de hoc argumento diſſeruit. Quoniam priore ſic loquitur: Iubet Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, vt nihil ſit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quod habeat inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis vera quærenti, contrariam. Cum ergo eſt ſomno ſeuocatus animus à ſocietate & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præſentia cer-

tia cernit, futura præuidet: iacet enim corpus dormientis vt mortui, viuit autem & viget animus. Quod multò magis faciet poſt mortem, cum omnino è corpore exceſſerit. Varia quoque ibi exempla refert, qui diuinârint.

Pythagoræi verò non tantùm fabis abſtinebant quod narrat Cicero, verùm etiam ſomnum petituri ad lyram prius lenire mentes ſolebant, vt ſiquid fuiſſet turbidiorum cogitationum componerent. quod Fabius lib. 9. oratoriarum inſtitutionum teſtatur. D. Ambroſius virgines hortatur, ſic vitam componere, vt orantes diuinaq; meditantes ſomnus excipiat: ridiculus enim illi Pythagoreorum mos videtur, ſtudentiũ ſecularia ſecularibus abolere, & remedium à voluptate quærere. Apud Indos olim quoties Rex dormitum ibat, aulici tibijs canentes precabantur, vt Rex bonis ſomnijs vteretur, vt rectè ſubditis conſuleret. Seno Eleates è ſuis quemque ſomnijs rectiſſimè intelligere aiebat, quantum in philoſophia profeciſſet: ſi nihil illic vel faceret, vel appeteret rei nefariæ: quòd tunc tranquillus animus veros affectus proderet. Aliquos Principes intelligo poſt cœnam nec vllas fortè redditas literas inſcindere, nec grauioribus de rebus differentes audire, vt animo tranquil lo dormiant. Alij quod memoriæ tenaciter infigere volunt, veſperi relegunt, mane repetentes. Notum eſt prouerbium: De nocte conſilium.

Fabius L. 9. c. 4.

Lib. 3. de virginib.

Qui nimis ſuperſtitioſè omnia ſomnia obſeruabant, iiſque vel gaudebant, vel terrebantur, eos Diogenes Cynicus tali propemodum oratione objurgauit: Quæ vigilantes agitis non curatis, quæ dormi-

dormientes imaginamini ſolicitè requiritis? D. quoque Hieronymus in illud Eccleſiaſtis quinto: In multitudine ſomniorũ vanitates, & verba plurima, ſed Deũ time: Ne, inquit, ſomnijs facilè credas. Cum enim diuerſa videris per nocturnã quietem, & varijs anima fuerit exagitata terroribus, ſiue incitata promiſſis, tu ea contemne, quæ ſomnij ſunt: & ſolum Deum time. Qui enim ſomnijs crediderit, vanitatibus ſe & ineptijs tradet. Non obſeruabitis ſomnia, inquit Moſes. Deum tamen aliquando per ſomnia voluntatem ſuam hominibus demonſtrare quartus aſſeuerauit.

Cicero libro primo de diuinatione putat: Deos cum dormientibus ſæpè colloqui: & multa per ſomnium percepturos homines, ſi ad quietem integri atque ſobrij irent, quando cibo potuque onuſtis, perturbata & confuſa, turpiaque ſomnia eueniunt. Qua de re apud Iuris Canonici Doctores diſtinct. 6. egregia docentur: & nos partim libro ſecundo officiorum ſcholaſticorum, partim in inſtitutione monachi locum hunc perpurgauimus.

Pulchrum eſt illud Prudentij:

Fac cum vocante ſomno
Caſtum petes cubile,
Frontem, locumq́; cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.
O quam profunda iuſtis

Arcana

Arcana per ſoporem
Aperit tuenda CHRISTVS?
Quam clara, quam tacenda
Euangeliſta ſumma
Fidiſsimus magiſtri,
Signata, quæ latebant,
Nebulis videt remotis?

QVAESTIO XX.

Quomodo nihil indignum ageret?

SOLVTIO.

Si aſſiduè inſpicias in tuam gloriam, excellentiamque dignitatis tuæ: & illis conuenientia ſemper loqui & cogitare ſtudeas: expendas quoque omnes, quibus tu imperas de te ſemper cogitare & loqui. Nec quicquam debet in te eſſe ſimulatum & fictum: Hoc alij cernentes ſimiliter omnes agere ſtudebunt. Verùm tu nihil ſimulas, neque es rex perſonatus, ſed præſtas regem verum, ex gratia Dei, qui pro morum tuorum præſtantia, dignum tibi Imperium tribuit.

Rectè Princeps gubernabit, ſi leges ſequatur, nihil eorum prætermittat quæ decent: agat verò omnia moderatè atq; iuſtè, vt ſemper abſit improbitas. Duas enim pœnitentia ſibi partes vendicat:

Sum Dea quæ facti, non facti q; exigo pœnas.

Id verò tũ rectiùs obſeruabit, ſi conſideret ea, quæ q.16. & 17. atq; 18. perſcripſi: & quod omnes ciues principis vitã & mores imitentur: vt plus exẽplo, q̃ peccato noceant. Nec tantũ malũ eſt peccare principes, quanquã eſt hoc magnũ per ſeipſum malũ, quantum illud, quòd permulti eorum imitatores exiſtant: ac qualemcunque mutationem morum *Cicero lib. 2. de legib.* in Prin-

in Principibus, eadem in populo mox ſequatur. Quicquid ergò agit, recordetur ſe Principem eſſe, Chriſti Vicarium, hominum Regem, cuius vitijs & cupiditatibus vt tota reſpublica inficiatur, ſic virtutibus & continentia emendetur, corrigaturque. Tot animarum rei fore creduntur homines, quot eorum exemplo, doctrina, culpa perierint: contrà verò, toties beati erunt, quot ſeruârint, vt epulonis hiſtoria Lucę 16. declarat. Sicut ergo mali Principes in abundantia bonorum verè miſeri atque infœlices ſunt, ita boni contrà, ter fœlices atque beati: vt rectè dixerit Claudianus,

Hic te praterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palàm, nec poſſe dari Regalibus vnquam
Secretum vitijs. Et:
Regis ad exemplum, neq; ſic componere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis

Memorabile Scipionis verbum eſt: cui cùm milites præſtanti forma virginem obtuliſſent, reſpõdit: libenter equidẽ acciperem, ſi priuatus eſſem. Hortatur itaque Principes atque magiſtratus Plutarchus, vt recordentur, ſeſe in aperto medioque ſpectaculo ante omnium oculos verſari, vt non modò ſingula eorum facta & verba, ſed ioci quoque, vxor, familia, geſtus notentur, trahantur ab omnibus in exemplum, totamque rempublicã per-ſuadant. Quòd ſi non tam facilè erit omnia ſtatim vitia extergere, illa certè caueantur, quæ apparent maximè, & primo aſpectu occurrunt. Iſocrates

quo-

quoque Nicoclem admonet: Conſidera ſemper quid dicas, vel facias, vt in errata quàm minima incidas: ſi aliqua re parum honeſta contigerit te delectari, fac clàm id agas: quoties verò in maximis verſaberis negotijs, populum teſtem adhibe.

Eòdem pertinet illud Ciceronis lib. 2. officiorum: Si quis habet cauſam celebritatis & nominis, in hunc oculi omnium conijciuntur, atq; in eum quid agat, quemadmodum viuat, inquiritur, & tãquam in clariſſima luce verſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum eius eſſe, nec factum.

Quod cùm omni magiſtratui promiſcuè, tum verò Epiſcopis, prælatis, atque parochis in primis aduertendum eſt.

QVAESTIO XXI.

Quod imperium eſſet optimum?

RESPONSIO.

Sibi ipſi imperare, nec indulgere affectibus. Ineſt enim hominibus à natura, vt ſint proni & inclinati ad aliquid perſequendum. Vulgus ferè ad commeſſationes, potationes, aliaſque voluptates inclinatur. Reges vero putant, ſibi pro ſuæ potentiæ & dignitatis amplitudine conuenire, regionũ ſubiugationem. Sed modus eſt in omnibus rebus pulcherrimus. Tu ergo rex conſerua & tuere quæ Deus tibi tribuit: quæ verò ad te non pertinent, & ad quæ tibi non datur acceſſus iuſtus, illa ne concupiſcas.

Quòd non ſolum rectè rempublicam gubernare, verum etiam ſibi ipſis imperare Reges teneantur quæſtione 17. comprobatum eſt: Vt non abs re vulgò dicatur: Nihil propemodum difficilius eſſe, quàm rectè imperare: eamq; omnium reliqua-

rum artium & difficillimam exiſtere,& periculoſiſſimam.

Pontan. li. 1. cap. 32. Proptereaque Antigonus Rex glorioſam ſeruitutem regnum appellabat. Et Alphonſus Rex optare ſolebat, ſubditos ſuos paruo tempore Reges fuiſſe,futurum ratus,vt curas &pericula verorum Regum experti,rectiùs ſeſe gererent. Idem lib. 1. cap. 32. Cumque ruſticum aliquando vuas cum voluptate &otio edere videret,vtinam, inquit, & mihi Deus ſimiliter edere dediſſet.

Alio tempore ſenex quidam regi,neſcio qua de re,moleſtus erat inter prandendum,ad quem Rex: Melius eſt aſinum eſſe,quàm Regem, quia illis edentibus domini parcunt,regibus nemo.

Saturninus apud Spartianum: Neſcitis ait,amici,quid mali ſit imperare. Vide plura q. 81. Gladij & tela noſtris ceruicibus impendent,imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula:ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur:non cibus pro voluptate, nõ iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio. Quòd Imperatorem me cupitis, in neceſſitatem mortis me trahitis.

Eccl. c. 10. Nam vtEccleſiaſticus aſſerit: omnis potentatus breuis vitæ.

Quod libido dominandi Magnos Principes ferè ad inhoneſta compellat, vt omnis iuſtitiæ & æquitatis obliuiſcantur,dummodo quod concupiſcunt acquirant, indicat Euripides. Cicero. 3. off. Si violandum eſt Ius,regnandi gratia violandum eſt, alijs rebus pietatem colas.

Quod autem fruſtrà ambiatur ab eo, cui diuinum Numen non fauet, quæſt. 22. dicetur.

Et quæ-

Et quæſtione 6. annotatum eſt, temerè appeti regnum contra DEI decretum, nullamque gubernationem eſſe fœlicem, niſi à DEO adiuuetur.

Græcorum Theologus Gregorius Nazianzenus in apolog. Re vera, inquit, mihi videtur eſſe ars artium, & diſciplina diſciplinarũ, homines regere, qui ſunt inter omnes animantes maximè & moribus varij, & voluntate diuerſi.

Multique grauiſſimi ſcriptores vno ore affirmant: Nullam eſſe artem maiorem, aut difficiliorẽ quàm tractare rempub. nullumque munus maius, aut grauius, aut difficilius, munere Principis, in quo maiore cum periculo, rerumque omnium pernicie & interitu peccari ſolet.

Quid enim maius, quàm continere recto Imperio populos? deuincire multitudinem diſciplina? coërcere flagitiorum licentiam? excitare ſtudia virtutis & ſapientiæ? eũ denique ſtatũ in republ. collocare, qui præſidijs firmus ſit, & opibus multis abundet.

Stulti ergo meritò habentur, qui hoc munus, alijs imperandi, temerè affectant.

Profectò infinita mala in res humanas inuexit regnandi libido: id quot tot maximorum Imperiorum & regnorum ruinæ, tot Principum potentiſſimorum clades, tot florentiſſimarum olim rerump. euerſiones funeſtiſſimæ declarant, & omnium gentium hiſtoriæ atque annales teſtantur, vitaque communis quotidiana ferè exempla ſuppeditat.

Illa enim ambitione homines inflammati, ita furũt, vt quanquam videant, quàm multis pericu-

lis expoſiti ſint, qui multis imperant, quantiſque curis & difficultatibus implicentur qui in regia ſede collocati ſunt:tamen nullus metus,nulla verecundia,nulla religio eos cohibere poteſt, quominus indigna facinora moliantur.

Non defuerunt, qui eo nomine leges & Iura perrumperent,omnes magiſtratus extinctos atque deletos cuperent, principibus inſidias pararent, rempubl.ſui faſtus & ambitionis cauſa, temeritate,&amentia perturbarent:vt ſic tandem omnibus præſidijs publicæ libertatis ereptis , ipſi ſoli in rempub.dominarentur . Quin etiam multi vſque eò progreſſi fuerunt, vt non modo ciues, ſocios, cognatos,fratres, amicos; ſed etiam liberos atque parentes immaniſſimè trucidarent : inque res ſacroſanctas,omni religione munitas inuecti, diuinum numen petulanter contemnerent.

Hiſtoria ſacra commemorat: Quòd Cain Adami filius,ſtatim in mundi exordio, fratrem ſuum Abelum iuſtum trucidârit.

Ioſ.12. & ſeq. Moſi & Ioſuæ Reges gentium temerè, & pertinaciter reſtiterunt,& 31.Reges perire,quàm regnũ quod iniuſtè occupabant,reſtituere maluerunt.

Iudic.9. Abimelech per fraudem & conſpirationes atq; tyrannidem occiſis 70. fratribus,Imperium occupabat,ſed per fœminam iacto lapide perimitur,& Sicimitas, qui tyrannidem illam promouerant, peſſimè afflixit,ciuitates eorum exuſſit, & diſperſit, atque comminuit omnia.

2.reg.15.& 18. Abſolon contra optimum PatremDauid tyrannidem affectauit, & patrem fœdè perſecutus eſt, vt nudis pedibus, & aperto capite fugere cogeretur. Sed iuſto Dei iudicio in quercu perijt.

Abſolo

Abſolonis fratri Adoniæ regni affectati temeritas exitium attulit. *3. reg. 1. & 12.*

Athalia mater Ochoziæ Regis, occiſa omni ſtirpe Regia, Regnum occupabat: ſed Deus vnum Ioam miraculoſè conſeruauerat, qui tandem, occiſa Athalia, Rex conſtituitur. *2. paral. c. 23*

Saul Rex Iſraël à Deo repudiatus, Dauidem, ne ad regnum perueniret, diebus & noctibus, abſque vlla intermiſſione, perſecutus eſt. *1. reg. 18 & ſeq.*

Ioram filius Regis Ioſaphat fratres ſuos & principes Iuda trucidabat, ſed percuſſit eum Deus, & homines viuum atque mortuum abominabantur. *2. par. c. 21.*

De aliarum gentium hiſtorijs, de Romanorum contra Carthaginenſes, & alias prouincias æmulatione, Punicis, Aſiaticis, Macedonicis, ciuilibuſque bellis nihil iam lubet dicere. Herodes ne regnum ſuum amitteret, Regi Regum & Domino Dominantium Chriſto Ieſu in ſua infantia inſidiatus fuit, & in ſanguinē Innocentium puerorum debachabatur. *Matth. c. 2.*

Solaque regnandi libidine ne proprijs quidem filijs pepercit. Quare vulgatum de illo verbum erat: expedire potius Herodis porcum eſſe, quàm filium. Ioſephus & alij. Quod Aſtyages Medorum Rex filiæ ſuæ infantem Cyrum, Amulius Romulū & Remum exponi curârit, Cambyſes fratrem ſuum interemerit, ne aliquando regnare poſſent, in tractatu de Rom. Imperio latiùs perſecutus ſum.

Vnde colligitur, nihil eſſe tam ſanctum, aut tanta religione vallatum, quod non diſturbet ambitio.

Quin etiam plerunq; fit, vt hoc morbo oppreſſi in patriam teterrimi ſint, qui maximè benefici atque ſalutares eſſe potuiſſent. Magnus enim anim⁹, ſi modo & ratione vacat, quocunque affectu vehementi impellitur, horrendas ſtrages efficit.

Adeò cæca eſt dominandi cupiditas, vt nihil intentatum relinquat, à nullo ſcelere abhorreat.

Quò alluſit Cicero lib. 1. Offic. Maximè adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in Imperiorum, honorum, gloriæúe cupiditatem inciderint. Declarauit id temeritas C. Cæſaris, qui omnia Iura diuina & humana peruertit, propter eum, quem ipſe ſibi opinionis errore finxerat, Principatum.

Qui per fas atque nefas regnum ita appetunt, vt etiamſi patri aut fratribus vitam eripiāt, & in ſuorum ſanguine atq; cęde bacchentur, vt ea ratione facilius Imperio potiantur: nullam ſibi iniquitatem dedecori fore ſuſpicantur, ex qua poſſint gradum honoris tantoperè concupitum adipiſci, crebrò falluntur. Si voti ſui tandem compotes euadant, & ad regnum, quod nimis ſitienter appetebant, conſcenderint: nullos tamen fructus ex Imperijs iſtis percipiunt, niſi curas, ſolicitudines, angores, vitam moleſtiſſimis negotijs implicatam, conſcientiam afflictiſſimam, proditiones, formidines, continua pericula, & horrendos exitus: vt exemplo ſuo omnes alios meritò ab huiuſmodi temeritate deterrere poſſent.

Haud tamen omnis regni appetitus vituperandus eſt: Nam homini à natura ineſt quædam appetitio Principatus, & in maximis ingenijs plerunque exiſtunt honoris, gloriæ, & Imperij cupiditates, &

tes,& homini à natura inſitum eſt quiddam generoſum,excelſum,& magnificum dignitatis & gloriæ appetens.

Reges,principes,atque magiſtratus,qui Dei vices in terris gerant, neceſſarij ſunt, quæſt. 58 & 59.

Vas electionis Paulus Apoſtolus ad Timotheũ ſcribens profitetur: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: ſed grauia Epiſcopi onera ſubiungit. Eſt enim Epiſcopi munus, vt nomen ipſum indicat, non tam honoris, quàm muneris. can.qui epiſcopatum deſiderat, & can. Illud inferendum,8.q.1.Auguſt.19.lib.ciuit.Dei. 1. epiſt. c. 3.

Quærit enim occaſionem & materiam exercendarum virtutum, teſte Mario Salomonio lib.3. de principatu.

Sed hoc opus, hic labor eſt. Et quotus quiſque hoc facit?

Moſes Exodi 3. & poſt mortem illius Ioſue à Deo ad ſupremum magiſtratum vocati, deprecabantur,& ſuam imperitiam allegabant.

Gedeon quoque ad Angelum Dei, qui aiebat illi: Dominus tecum, virorum fortiſſime, vade in fortitudine tua,& liberabis Iſraël, ſcito quòd miſerim te:reſpondit: Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe,& ego minimus in domo patris mei. Iudic. 6.

Similiter Saul & Dauid quando ad regnum vocabantur,fecerunt, vt indignos ſe, & infimo loco natos faterentur.Exaltauit ergo illos Deus.

Ipſaque Dei ſapientia CHRISTVS hoc exemplo ſuo approbauit, quando fugit in montem, cùm ipſum Regem facere conarentur. Io. 6.

D.Ambroſius,& multi alij quàm illibenter Epiſcopa-

ſcopatum ſuſceperint, hiſtoriæ eccleſiaſticæ tradi derunt. Memoria ſempiterna dignum eſt Roboam
3. reg. 12. filij Salomonis Regis exemplum: à quo cum tribus Iſraëlis defeciſſent ad Hieroboam, armis eos reducere conabatur, ſed à Deo admonitus, ne tentaret diuinæ ordinationi reſiſtere, acquieuit, & exercitum dimiſit.

Ioſephus & Azarias audientes victoriam Iudæ
1. Mach. 5. & Ionatæ atque Symeonis fratrum Machabæorũ, volebant ſibi quoque nomen parare: ſed cum non eſſent de illo ſemine, per quod Deus volebat liberare Iſraël, malè eis cecidit.

Plato aiebat, eos homines primas honoris & gloriæ ſedes tenere, qui publici muneris magiſtratus gerunt, ſuaque virtute aliorum vitam moderantur.

Et M. Cicero in ſomnio Scipionis: omnibus, inquit, qui remp. gubernant, amplificant, defendunt, in cœlo definitum eſſe locum, vbi cum beatis in ęternum viuant. Aurelius Auguſtinus, de verbis Do mini, nihil quidem difficilius, nihil laborioſius, nihilque periculoſius eſſe ſcribit, Epiſcopi & pręlati officio: at apud Deum nihil beatius, ſi eo modo gubernent, eamque militiam ita exerceant, ſicut ipſorum Imperator mandat.

Hier. 1. Gregor. lib. 6. epiſt. 169. ad Cyriac. Epiſc. ait: Hieremias mittenti ſe Domino reſpondit: a. a. a. Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum: Eſaias verò ſeipſum obtulit, dicens: Ecce ego, mitte me. Diuerſa vox, ex vna radice charitatis, ex amore Dei, & proximi.

Per actiuam vitam proximis Eſaias prodeſſe cupiens, officium prædicationis appetijt: Per contẽplati-

platiuam Hieremias amori conditoris ſedulò inhærere deſiderans,mitti recuſat.Relatum can. In ſcripturis ſacris 8.q.1.

Eò reſpexit, qui ad quæſtionē 50. aſſeruit:Quiſquis piè regnum adminiſtrat, ſpem à Deo præclaram habet.

Minimè igitur indignum eſt pia intentione magiſtratus dignos appetere. Sed qui ſe ipſos intrudunt,& abſque modo, & ratione ad cupiditatem regni feruntur,magiſtratuſve temerè affectāt, qui illis non conueniunt,vel quibus indigni ſunt, ſtulti & miſeri cenſentur, & calamitoſos exitus habere ſolent.

Principatus quem aut ſeditio extorſit, aut ambitio occupauit, etiamſi moribus aut actibus non offenderit, in ipſius tamen initij ſui exemplo eſt ſemper vitioſus: & difficile eſt vt bono peragantur exitu, quæ malo inchoata ſunt principio. Leo Pontifex in epiſt. relati. per Tho. Hybernium in floribus.DD.tit. de poteſtat. Omnis magiſtratus à DEO eſt, & diuinæ vocationi reſiſtere non licet. *Rom 13.*

Sed in eos qui ex ambitione & ſuperbia ſeipſos ntrudunt, quadrat illud Prophetæ: *Oſeæ 8.*

Ipſi regnauerunt, ſed non ex me:principes extiterunt,& non cognoui.

Rectè igitur dixit ille:Diſcite mereri,non rapere Imperium,Vopiſcus in Tacito Imperat.

Aliquandò tamen propter ſubditorum peccata fit,vt vel malos principes iuſtoDei iudicio accipiant,vel boni degenerent: quod indicat idem Propheta Oſeas:Dabo tibi Regem in furore meo. *Oſeæ 13.*

Ab hoc ambitu meritò deterrerent homines

immenſæ illæ difficultates, curæ, ingratitudines, pericula, quibus ſubiecti ſunt, etiam illi prncipes, qui vel ex ligitima ſucceſſione, vel electione ad principatum adhibiti fuerunt.

Cyrus ab ipſo Deo conſtitutus Rex & Monarcha Perſarum, reb. maximis præclarè & fortiter geſtis glorioſiſſimus fuit: ſed à fœmina Tomyri, Maſſagetarum Regina, amputatum illius caput in vrnam humano ſanguine repletam proiectum ferunt, cum hac exprobratione: Satia te nunc humano cruore, quo nunquã antehac expleri potuiſti.

Darius Perſarum Monarcha qui ſe Regem Regum & Deorum conſanguineũ vocabat, ab Alex. Magno victus, & à proprio miniſtro Beſſo miſerè trucidatus fuit.

Alexander Magnus quàm laborioſam vitã duxit, & quàm miſerè perijt?

Iulius ille Cæſar in ipſo Capitolio Ro. præter omnem expectationem, 25. vulneribus confoſſus eſt.

Magnum illum Pompeium Aegyptiorum ſpadones turpiter interemerunt.

3.reg. Achab Regis vxor Ieſabel à canibus deuoratur.

Daniel 5. Balthaſar nihil mali ſuſpicatus, vna nocte, & vita & regno exutus fuit.

Heſter 2. Idem Aſſuero accidiſſet, niſi coniurationem miniſtrorum Mardochæus detexiſſet.

Holofernes à Iudith, quam ebrius in lecto expectabat, decollatur.

Englon RexMoabitarum ab Aod IudiceIudæorum: Siſara præfectus militiæ regis Chanaam à Iahal muliere, quàm aſtutè ambo, nihil mali ſuſpicantes

cantes,perierint Iud.3.& 4. videre eſt.

De Chriſtianorum Regum & principum repẽtino & inopinato interitu, nihil attinet commemorare.

Non abs re dixit Eccleſiaſticus cap.11.

Multi tyranni ſederunt in throno, & poſt modicum tempus,qui non putabatur,portauit diadema ipſorum:multi potentes repentè oppreſſi ſunt & gloria eorum tradita eſt alijs.

Ipſeque ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, vanitatem & mundi miſeriam eſſe inclamat:quando ſtultus, vel puer ſedent in ſolio regni.

Deus bone, quàm multa eis deuoranda ſunt, quàm multorum ſubeundæ inuidiæ, obtrectationes,calumniæ etiam eorum de quibus benè meriti ſunt?Cumq; plurimum ſudauerint, infinita eorum in rempubl.extent beneficia, peſſimam ſæpe gratiam,odium,exilium,mortem pro mercede receperunt. Sunt enim prælati & magiſtratus velut ſignum ad ſagittam poſiti,cap.Qualiter&quando, de accuſat.

In eorum natales, in vitam anteactam diligenter inquiritur,multaque ſæpè pateſiunt: ad contẽptum,quæ cùm priuati eſſent,ignorabantur.

Huc pertinent verſus ex libro Maphæi Vegij poſt Virgilium,de Turno & Aenea.

O fragilis damnoſa ſuperbia ſceptri.
O furor,O nimium dominandi innata cupido,
Mortales quò cæca vehis?quò gloria tantis
Inflatos transfers animos quæſita periclis?
Quot tecum inſidias, quot mortes,quanta malorũ
Magnorum tormenta geris? quot tela, quot enſes

Ante

Ante oculos, ſi cernis, habes? heu dulce venenum,
Et mundi letalis honos, heu triſtia regni.
Munera, quæ haud paruo conſtant, & grandia re-
rum
Pondera, quæ nunquam placidam permittere pa-
cem
Nec requiem conferre queant: heu ſortis acerba
Et miſeræ regale decus, magnoq́ timori
Suppoſitos Regum caſus, paciq́ negatos, &c.

Præterea, quàm deteſtabile ac pernitioſum crimen ſit ambitus, & eorum qui honores non debitos immoderatè concupiſcunt, ex profeſſo prodiderunt Iacob. Menoch. lib. 2. de arbit. Iud. caſu 401. & ſeq. Cõſtantius Rogerius ad l. 19. de donat. Claudius Eſpenceus lib. 3 digreſſ. in Epiſtol. Pauli ad Titum, & Iuriſconſulti ad l. Iuliã de ambitu, & ad l. Viſcellianam. Fugientibus & non ambientibus dandos eſſe magiſtratus, probat Con. Lancellottus in prætore. Facit huc can. in ſcripturis, quæſt. 1.

Sabellicus. Pius II. dicere ſolebat: Dignitatib. homines, non hominib. dignitates dandæ ſunt.

Nihil profectò magis viro prudenti expetendũ eſt, quàm placidæ & quietæ vitæ priuatæ tranquillitas.

Quiſquis à Deo per honeſta media ad capeſſendam remp. vocatur, illam exornet: nec referre arbitretur, quàm latè, ſed quàm benè regat.

Magna cum difficulter regi poſſint, facile labũtur, & pereunt: haud enim durare poteſt, quod regi nequit. Imperiaque nimis magna mole ſua concidunt: Sicut de nimis magno exercitu Xerxis refert Valeri-

Valerius lib. I. Ipſumque Rom. Imperium tandem nimia ſua mole concidit, teſte Saluſtio.

Iſocrates Nicoclem hortabatur, vt æmularetur non qui Imperium latiſſimè propagârunt, quàm qui id quod habebant rectiſſimè adminiſtrârunt.

QVAESTIO XXII.

Quomodo nemini inuideret?

RESPONSIO.

Si aduertas, Deum regibus diſtribuere & largiri gloriam, diuitias potentiam, & ex ſeſe regem eſſe neminem: nam ſi quis maximè huiuſmodi dignitatem appetat, haud tamen conſequetur, quia donum Dei eſt.

Quoniam Reges & gloria, & potentia, & opibus, reliquis omnibus cupiunt antecellere: rectè quærit Ptolomæus, quomodo fieri poſſit, vt ſuis contentus, alijs iſta non inuideret? Si, inquit ille, conſideret, quàm parum alijs, qui à Deo iſta ad cõſeruandam publicam tranquillitatem acceperunt inuidia ſua nocere contra Dei voluntatem poſſit, ſibi verò ipſi plurimum detrimenti adferat. Inuidi enim duplicem ferè moleſtiam habent, quia & ſuis malis diſcruciantur, & aliorum bonis fruſtra torquentur & contabeſcunt. Quare Anthiſtenes Philoſophus dicere ſolebat, quod ſicut ferrum, & ſi nemo lædat, rubigine abſumitur; ita inuidi ſuo ipſorum malo interirent. Et vulgò viperam, quæ matris ſuæ arroſis lateribus æditur, inuidiam appellant. Vt longè ſit cui inuidetur, eo qui inuidet, fœlicior. Nam inuidia virtutis comes, teſte Cicerone, ex alterius rebus ſecundis naſcitur. Ac Cato ſenior non tam homines ipſos inuidia peti iudicabat

cabat, quàm bona externa, quibus alijs hominibus præſtant. Quare Themiſtocles adoleſcens doluit, quòd nemo ipſi inuideret: parum ſe inde fœlicem iudicans. Et Ericus Brunſuuigorum Regulus excuſis nummis circunſcripſit: Spero Inuidiam.

Quoniam verò hoc vitium ex aulis Principum omnes hominum ordines inuaſit, & pernicioſiſſimas crebrò in republica Chriſtiana turbas excitat: memorabilem Gregorij Nazianzeni ſententiam aſſcribam: Fuit aduerſus Baſilium Magnum contentio quædam Euſebij Cæſarienſis ante ipſum Epiſcopi, viri certè alioqui admirabilis, ac nominis Chriſti confeſſione conſtantiſſimi. Veruntamen inuidiæ, quæ dæmonis impulſu magnos interdum ſolet euertere viros, reſiſtere non potuit, quin & humanum aliquid ipſe pateretur. Nam Magno Baſilio verbis factiſque palam aduerſabatur, eumque omninò ab eccleſia repellere conabatur. Similiter Ioannes Ludouicus Viues ad caput 43. libri 18. Auguſtini de ciuitate Dei, de B. Hieronymi iudicio circa LXX. interpretes loquens, ſanctiſſimis quoque viris inuidiam aliquandò dominari ſcribit.

In monodia Baſilij.

Vt rectè D. Ambroſius admonuerit: Filij fugite improbos, cauete inuidos. Inter improbum & inuidum hoc intereſt: improbus ſuo delectatur bono, inuidus torquetur alieno: ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm qui malè omnibus. B. Chryſoſtomus inuidos non tam hominum fœlicitati, quàm Dei voluntati repugnare affirmat: Et miratur, quòd aliqui tam velint eſſe improbi, & in Deum ingrati atque

Lib. 2. officiorum cap. vlti.

Hom 53. ad Antiochenos.

atque contumelioſi: menti verò ſuæ bellum indicere,& animam replere tumultu. Hoc itaq; ait, cōſiderans ab ægritudine deſiſtas,& ſi proximum nō vis,te ſaltem ab innumeris malis erue.

Nam ſcitum eſt illud:

Inuidia Siculi non inuenêre tyranni
Maius tormentum.
Inuidus alterius rebus macreſcit opimis.

Quòd autem Regnum à ſolo Deo proficiſcatur, reſpondit olim Balthaſaro Regi & Nabuchodonoſori Daniel. *cap. 4. & 5.*

Pulchrè cecinit Anna Samuelis mater: Dominus pauperem facit & ditat, humilem facit & ſublimat. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperē vt ſedeat cū principib⁹ & ſoliū gloriæ teneat. Agnoſcit hoc Dauid Pſal. 77. Elegit Dauid ſeruum ſuum, de poſt fœtantes accepit eum. *1. Regum cap. 2. & Pſal. 112.*

Fatetur quoque Cyrus Rex libro primo Ezdræ, quòd omnia regna terræ dederit ei Deus cœli. *Cap. 1.*

Fatetur etiam noſter Ptolomæus ad Eleazarum ſcribens.

Fatetur & Iuſtinianus Imperator L. 1. C. de veteri Iure enucleando.

Romulus priſcis Romanis legem tulit: ne quis Regnum aut magiſtratum iniret, niſi author eſſet Deus: ſuumque Regnum per auſpicia confirmari voluit: vt author eſt Pomponius Lætus, de ſacerdotijs Romanis capite primo. Et Vopiſcus in Tacito Imperatore. Diſcant, inquit, qui regna capiunt, non raptum ire imperia, ſed mereri.

Hiſtoria Machabæorum declarat, quod Ioſephus & Azarias, gloria & ſucceſſibus Iudæ at- *Lib. 2. ca. 5.*

que

lent, quibus boni obruuntur.

Fieri non poteſt, ait Ioſephus de bello Iudaico, vt liuorem quiſquam in rebus ſecundis effugiat.

Inuidia eſt filia ſuperbiæ, & odium alienæ felicitatis, vt Auguſtinus, vel dolor animi ex alienis commodis, vt Seneca, vel ægritudo ex alterius rebus ſecundis, vt Cicero 3. Tuſculanarum definiuit.

Eſt enim fortunæ & virtutis comes inuidentia, quæ bonos plerunque conſectatur, Cicero lib. 4. ad Herennium & 2. de orat.

Mos quippe hominum eſt, vt nolint eundẽ pluribus rebus excellere. Inuident ergo illis, quos euolaſſe, ſe autem relictos, dolent. *Cicero de clar. orat. & de orat.*

Inuidia nullum aliud vitium turpius, vel deteſtabilius eſſe affirmat Gribaldus, tractatu de homicid. Dei enim donis & bonitati, atq; fraternæ charitati repugnat, ſibi cruciatum & ignominiam, alteri cui inuidet, gloriam parit. Venenum ſerpentes in alienam perniciem effundunt, ſine ſua continent: non ita vitium inuidiæ continetur. Nam inuidum torquet, bona odit, & extenuat, iniurias dilatat, atque auget, Seneca in epiſtolis. Semper ſibi ipſi eſt inimica, nihilque eſt illa iuſtius: quippe quæ ſuum authorem perimit, & excruciat, ſatiſque punitur à ſeipſo, etſi nemo vlciſcatur. Quare Salomon putredinem oſſium appellat inuidiam. *Proſper l. de vitt. & vitijs.* *Prouerb. 14*

Virgilius proprium carmen de LIVORE ſcripſit, quo illum egregiè depingit.

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,

Et totum bibit artubus cruorem,
Teſtatur gemitu graues dolores,
Suſpirat, gemit, incutitq́ dentes,
Sudat frigidus, intuens quod odit,
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat oſſa,
Non lux, non cibus eſt ſuauis illi,
Non ſomnum capit, aut quieſcit vnquam,
Torquet viſcera carnifex cruentus,
Veſanos tacitè mouet furores.

Author inuidiæ Diabolus. Hæc Diabolum authorem habet, & ſtatim cum homine nata eſt, quod in tractatu de religione & de iuſtitia demonſtraui.

Ex quibus cauſis naſcatur. Diuerſiſque ex cauſis oritur: Diabolus enim ex inuidia felicitatis humanæ omnia mala in hunc mundum introduxit: Ideoque Diabolus vocatur, quaſi criminator, quòd ex inuidia homines illiciat in crimina, quæ poſt defert ad Deum: Diabolo inſtigatore Cain filius Adami Abelo fratri felicitatem, & Dei gratiam inuidebat, & eundem cum ſuo & totius poſteritatis malo interemit. *Lactant. c. 2. c. 9. Geneſ. 4.*

Geneſ. 13 & 26. & 30. Inter paſtores Abrahami, & Loth meliora paſcua inuidiam & rixas generârunt. Idem accidit Iſaac, Abrahami filio. Rachael vxor Iacobi patriarchæ ſorori Liæ fœcunditatem inuidebat.

Geneſ. 27 & 37. Iacobo & Ioſepho fratrum ſuorum inuidiam peperit, quòd præ ipſis à parentibus amarentur.

Ex eadem cauſa Chriſti Apoſtoli Ioanni inuidiſſe videntur.

In prin-

In principum aulis facilè quis in inuidiam incidit, qui Principi ipſi, vel alijs principibus viris ob virtutes ſuas gratus eſt; ideoque plus cæteris honoratur. Ita vt in aulis inuidia regnare dicatur. Dauid Rex per auxilium Dei viuentis Goliath quem tota Iudæa perhorreſcebat, interfecit, & regem atque patriam trepidantem omni metu liberauit: Sed Saul Dauidem ex inuidia pro benemeritis occidere conatur, cui ante filiam ſuam dare, & maximis muneribus ornare promiſerat. 1.reg.18. & 17.

Cúm audiſſet Salomon, quòd Hieroboam regnaturus eſſet ſuper decem tribubus Iſraël, ex inuidia voluit eum interficere, niſi fugiſſet in Aegyptum. 3.reg.11.

Dauid volebat exaltare Amaſam, quare Ioab æmulus ex inuidia eum occidit. 2.reg 20.

Danielem Prophetam Darius Perſarum Rex, ob ſingularem ſapientiam atq; virtutes exaltauerat, & omnibus ſatrapis anteponere conabatur: iccircò ſatapræ inuidebant illi, omneſque occaſiones quærebant, vt honores illi & vitam auferrent: cúque nullam culpam, imò ne ſuſpicionem quidẽ in eo inuenirent, ex falſa religione quòd idolum nõ adoraſſet, læſæ Maieſtatis reum faciebant, vt in lacum leonum conijceretur. Ex hoc fonte inuidiæ, Romani primùm maduerunt ſanguine muri. l. fin. de rer. diuiſ. Gribald. tractat. de homicid. Daniel 6.

Herodes Chriſtum Regem Iudæorum, ex mera inuidia, in ſua infantia, perſecutus eſt.

Socrates ſapientiſſimus, quòd Athenis contra multitudinẽ Deorũ locutus eſſet, ad cicutã dãnat⁹, cũ ad ſuppliciũ iret, Ego, inquit ad diſcipulos ſuos, non pereo vt impius, ſed ex inuidia, quæ beſtia

multos magnos viros ante me conſumpſit, & poſt me infinitos conſumptura eſt. Ibi Deus oſtendit in philoſopho, quid ſui cultoribus euenturum eſſet in Euangelio, ait Lactant. Apud omnes gentes, qui reliquis aliqua virtute præſtabant, inuidiæ aculeos experti fuerunt, & pręſtantiſſimi quique adhuc æmulorum inuidia premuntur.

Multiſque inuidia æmulorum, florentioris fortunæ occaſio fuit. Iacob ex fratris Eſau inuidia patriam linquere, & exilium ſubire cogebatur, ſed qui in baculo ſuo Iordanem tranſierat, non rediiſſet cum duab. turmis in patriam, niſi inuidia fratris illum exagitaſſet. S. Iob Diaboli inuidia vexatus, omnibuſq; bonis exutus, omnia recepit à Deo duplicia.

Geneſ. 32.

Orig. ſuper Numer.

Tolle inuidiam fratrum Ioſeph, inquit Origenes, & perimes diſpenſationem Dei, & quæ per eã in Aegypto pro ſalute omniũ gentium geſta ſunt. Si Ioſeph non fuiſſet venditus, Pharaonis ſomniũ non fuiſſet expoſitum, nemo in Aegypto in futurã neceſſitatem frumenta congregaſſet, periiſſetq; Aegyptus, & omnes finitimæ regiones, ipſeque Iſraël, & ſemen eius in Aegypto quærens panem, non ingrederetur in Aegyptum, nec egrederetur in mirabilibus Dei, nec accidiſſent virtutes illæ per Moſen & Aaron, nemo mare rubrum ſicco pede tranſiſſet, non pluiſſet manna de cœlo, nec aqua de petra fluxiſſet, nec lex in monte Sinai, terramq; promiſſionis nemo intraſſet. Similia adhuc ſuperioribus annis eueniſſe cognouimus, vt inuidia preſſi florentiores euaderent.

Danielem ex inuidia leonibus eſurientibus obiectum, Deus conſeruauit, & per Prophetam Habacuc

bacuc aluit,& Rex Deum cœli adorat, ſolumque coli præcepit, & Daniel longè honoratior factus eſt,& inimici illius à leonibus,ex præcepto Regis, diſcerpti fuerunt. Commendatur Dauid Sauli Regi à multis virtutibus,vt in familiam Regiam aſſumeretur:hoc Idumæum illum Doech, æmulum Dauidis, ex inuidia feciſſe putat Hieronymus, vt per hanc occaſionem Dauid interficeretur; Benedicti annotationes. *Daniel 6. & vlt. 1. reg. 16.*

Pulchrum eſt illud Cicer. 1. Catili, Inuidia virtute parta,non inuidia,ſed gloria putanda eſt.

Nulla igitur re magis torquebis inuidos, quàm virtuti & gloriæ ſeruiendo:Seneca de mor.

Cauetur aliqua ex parte inuidia:ſi te non ingeſſeris,ſi bona tua non iactaueris, ſi nôris in ſinu gaudere;Seneca epiſt. 17. *Remedia contra inuidiam.*

Abraham ad Loth fratrem ſuum pro ſedanda inuidia,& rixis paſtorum,ait: abſit iurgiũ inter nos, fratres enim ſumus, recede à me obſecro ad dexteram,vel ſiniſtram. *Geneſ. 13.*

Rarò inuidebit alteri, qui agnoſcit: Quicquid homines habent,à Deo proficiſci, qui inuidia nil mouetur,ſed dat cui vult, vt hic Iudæus ſapienter admonuit.

Inuidia peſſima illa beſtia fuit, quæ deuorauit Ioſeph patriarcham,& optimos quoſque viros cõſumpſit:nec aliter ferè, quã cũ vita finitur. Quod indicat Horatius lib. 2. epiſt. 1. ad Auguſtum.

Hercules diram qui contudit hydram,
Notaq; fatali portenta labore ſubegit,
Comperit inuidiam ſ. premo fine domari.

QVAESTIO XXIII.

Quomodo ſperneret hoſtes?

RESPONSIO.

Si omnes homines beneuolentia proſequaris, & ſic eos tibi amicos reddas, nullus te hoſtis turbabit. Sed in illa apud omnes eſſe gratia, præclarũ Dei donum eſt, quo vix aliud ab illo præſtantius haberi poteſt.

Sententia huius queſtionis ex 53. dependet. Nam quem ciues omnes diligunt, pro eo, ſi neceſſitas poſtulet, cum capitis & fortunarum ſuarum periculo libenter armis decertant: vt inimicos curare non ſit magnoperè neceſſarium. Vnde illud: Firmiſſimæ opes amor. &: Maximæ opes, prodeſſe. Vide q. 28.

Qui enim profuit multis, eum amant ac tuentur multi. Et ſicut multos potentiſſimos Reges à paruis ſæpè hoſtibus, propter ſubditorum odium, ſuperatos hiſtorici commemorant: ita plurimos vel conſeruatos in regno, vel reſtitutos ciuium amore ac liberalitate teſtantur. Propterea Periander apud Laërtium: Qui tutò, ait, regnare volunt, danda opera eſt, vt beneuolentiâ, non armis ſtipentur. Agaſicles Lacedęmoniorum Rex interrogatus: Quo pacto poſſet aliquis tutò imperare, nullo ſtipatus ſatellitio? reſpondit: Si ſic imperaret ſuis, vt pater imperat liberis. Tunc futurum credidit, vt nec alios, fidiſſimo ſatellitio circunſeptus, timeret, nec tutiores haberet cuſtodes, quàm ciues, erga quos paternum induiſſet affectum. Nam multos metuat oportet, quem metuunt atque oderunt multi. Iſocrates olim conſuluit Nicocli, vt hanc tutiſſimam corporis ſui cuſtodiam exiſtimaret, ſi & amicos haberet virtute præditos, & ciues beneuolentes.

Antigo-

Antigonus Rex conſulentibus vt captas Athenas egregiè muniret, ne aliquandò deficerent: ſe in hac ſententia ſemper fuiſſe reſpondit: nullum eſſe regni præſidium firmius, quam ciuium beneuolentiam. Xenophon libro 8. de inſtitutione Cyri: Non eſt, inquit, aureum ſceptrum, quod regnum ſeruat, ſed amici multi ſceptrũ ſunt regibus veriſſimum, maximeque ſecurum. Alphonſus Rex, authore Panormitano, reprehenſus ab amicis quòd abſque ſatellitio inambularet, reſpondit: Se innocentiam ſecum habere, & ciuium beneuolentia fretum, nihil prorſus extimeſcere. *Lib. 2. c. 43.*

Alludens fortè ad illud Horatij: *Lib. 2. ode 22.*

Integer vitæ ſceleriſq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis
Fuſce pharetra.

Præclarus eſt Ciceronis locus libro 2. officiorum: omnium rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas ac tenendas, quàm diligi, nec alienius, quàm timeri. Præclarè enim Ennius: Quem metuunt, oderunt: quem quiſq; odit, perijſſe expetit. Multorum odijs nullæ opes poſſunt obſiſtere: malúſq; eſt cuſtos diuturnitatis metus: contraque beneuolentia fidelis eſt, vel ad perpetuitatem. Qui ergò in libera ciuitate ita ſe inſtituunt, vt metuantur, his nihil poteſt eſſe dementius. Quamuis enim demerſæ ſunt leges alicuius opibus, quãuis tremefacta libertas, emergunt tamẽ hæc aliquãdo, & acriores morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quã retentæ. Nec vlla vis imperij tanta eſt, quæ pre-

mente metu poſſit eſſe diuturna. Aliqua etiam exempla recenſet, qui ab vxore & filijs ſibi metuerint: aliquos qui à ciuibus ſuis periculoſiſſimo tempore fuerint relicti.

Quod igitur, inquit, latiſſimè patet, neq; ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimum, id amplectamur: vt metus abſit, charitas retineatur, ita facillimè quæ volumus & priuatis in rebus, & in republica conſequemur.

Laertius libro 1. Vide q. 28. Porrò, & ſi Solon ad Periandrum ſcripſit: tyrannis opus eſſe ſatellitio, & Alphonſus ſine ſatellitio incedebat: Sigiſmundus tamen Imperator aiebat: amorem ciuium quidem eſſe firmamentum, ſed fidam cuſtodiam infortunium & pericula excludere. Optimus Iudæorum dux, & fortiſſimus miles *1. Mac. c. 12.* Ionathas poſtquam à Tryphonte perſuaſus præſidium dimiſit, trucidatus fuit.

Idemque, non ſine magno totius reipublicæ Iudæorum malo, pertulit Simon.

In externo ſatellitio tantum confidere, meticuloſi & demiſſi animi, malæque conſcientiæ ſignũ eſſe videtur: cõtrà verò, nimia ſecuritas periculoſa eſt. Cæſari multi exitum prædixerant, & vt cuſtodiam corpori ſuo adhiberet orabant, operamq; ſuam ſpontè pollicebantur: quibus ille reſpondebat: Miſerum eſſe principem, qui à militibus cuſtodiretur. Sed exitus docuit, fatum faciliùs præuideri, quàm vitari poſſe. Reconciliatæ amicitiæ fides lubrica & infirma haberi ſolet. Eaque ſecuritas nimia multos fefellit. Gn. Pompeius his qui Cæſaris potentiam formidandã eſſe aiebant, reſpondebat: Vos ſecuri eſtote, mihi curam hanc dimittite. Nam cum primùm terrã Italam pede pul-

ſauero

ſauero, ſcatebunt vndique in Cæſarem copiæ. Sed res longè aliter euenit, Franciſ. patr. Senenſ. lib. 7. c. 9. & 10. de regno.

Ex amore ſubditorum fit, vt ardentes ad Deum preces fundantur, quæ à pijs viris profectæ, quantum pro principe, vel contra ipſum valeant, ſacræ & profanæ literæ teſtantur.

Quemadmodum amorem & beneuolentiam ſubditorum princeps comparare poſſet, tertius aperuit. Eſt autem amor ſubditorum firmiſſimum præſidium dominorum: ita illorum odium præſentiſſimum eſt excidium, cap. cum conſuetudinis de conſuet. l. penult. D. de conſt. princip. l. penult. & l. fin. C. noua vect. inſtit. non poſſe. Relat. per Gaill de Areſtis Imp. c. 8. Princeps debet eſſe affabilis, acceſſu facilis, vultu, quo maximè populos demulceat, amabilis, æquis propenſus, iniquis acerbus: Talis à tota ciuitate amatur, defenditur, colitur, hic beneficio ſuo tutus nihil præſidij eget, arma, ornamenta animi pro ſe habet. Seneca de clementia ad Neronem.

Plato cum vidiſſet Dionyſium tyrannum corporis ſui cuſtodibus ſeptum: quid, tantum, inquit, malum feciſti, vt ita à multis cuſtodiaris? Priuati ſingulos timent, at principes vniuerſos. Seneca ibid.

Et inexpugnabile munimentum amor ciuium. Quid puchrius eſt, quàm viuere optantibus cũctis? quis huic auſit ſtruere inſidias, ſub quo iuſtitia, pax, ſecuritas viget, & opulenta ciuitas, bonorum omnium copia abundat? Seneca ad Neronem. Ionatæ filio Saulis Regis Iſraël fauor populi Iudaici contra patris præceptum, vitam conſeruauit. Bar- 1. reg. 14.

 rabam

rabam latronem liberauit, Chriſtum Saluatorem
Math. 27. & humani generis redemptorem odium & inuidia crucifixit.

Imperium multò magis principis auctoritate, quàm potentia ſtabilitur. Qui vi cogitur, diu in officio permanere non poteſt, fauor & authoritas Principis, vtilior & diuturnior eſt, quàm ſumma potentia. Amor ciues incitat, vt cum ſumma etiam voluptate quicquid Princeps iuſſerit, libenter exequantur. Quod tyranni nec viribus, nec potētia, nec minis, nec ſupplicijs obtinere poſſunt, id principes virtute, pietate, lenitate, beneficentia facilè aſſequuntur. Prudenter tamen admonuit Seneca in epiſt. Simul iſta mundi rector Deus poſuit: odium & regnum: quiſquis ergo odia nimium timet, regnare neſcit.

Eòdem ſpectat hoc, in ca. qualiter & quando, de accuſ. quòd prælati ſint velut ſignum ad ſagittam, qui cum multos coguntur offendere, multorum odio & inuidia laborant.

De hac materia: quòd ex liberalitate & clementia, ſubditorum amor naſcatur, qui fortius, quã arma præſidium ſubminiſtret, 28. etiam reſpondit.

Tyranni contrà, qui omnibus inuident, omnium bonorum fortunis inhiant, omnes vexant, diripiunt, ſpoliant, ſemper metuant oportet, omnes exhorrent, etiam à ſuis domeſticis atque intimis inſidias vitæ ſuæ fieri ſuſpicantur. Qui enim multos læſit, multos metuat neceſſe eſt: & quò plures iniuria affecit, eò grauior metus excruciat.

QVAE.

QVAESTIO XXIIII.

Quomodo glorioſus perduraret?

RESPONSIO.

Si benignitate & munificentia excellas erga omnes: gloria te nuſquam deſeret: quæ vt tibi adſit, Deus ſemper implorandus eſt. *Vide q. 10. & 60.*

Quòd virtus & liberalitas populum Principi conciliet: nihilque eſſe vel ad acquirendum, vel ac retinendum Imperium vtilius, amore atque beneuolentia ciuium, quæſtione præcedenti dictum eſt: quòd vera gloria ex cultu Dei atque virtutibus proficiſcatur, quæſtione 30. aperietur. Iam verò gloria, authore Cicerone, eſt ſolida quędam res, & conſentiens laus bonorum, incorrupta vox iudicantium de excellenti virtute. Vel, illuſtris & peruagata multorum magnorumq; in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Cum ergo vera gloria non aliundè, quã ex virtute, & rerum fortiter geſtarum magnitudine, ſapientiaque naſcatur, niſi per Dei gratiam in ijs confirmentur, & perdurent, inglorij fiant oportet. Præſertim cum Deus, qui peccatores, vt quæ. 16. dictum eſt, abominatur, gloriæ author ſit, vt quæſtione. 57. dicetur. Quare veram ſolidamque gloriam eos demum Principes comitari, eoſque diu & fœliciter imperare ſacræ literæ, & hiſtoriarum ſcriptores probant, qui Dei gloriam, veram religionem Catholicam, Eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, omnibus rebus anteponunt: contra verò facientes, non gloria tantùm, quam à maioribus acceperant, ſed regno etiam ipſo excidiſſe, perpetuoque dedecore & ignominia cruciati reperiũtur. Regi qui benè imperat, nec declinat ad dex- *Libro 3. Tuſcula 4.* *Vide q. 1.* *Num. 15 Deut. 6. & 32. Ioſue ca an tepenulti mo.*

ad dexteram vel ſiniſtram diuturnum imperium
Deut. 17. pollicetur Moſes, Deuteronomij 17. Non quod annoſam ætatem ſemper conſequantur, ſed vt doceat, ligitimè adminiſtrantes rempublicã, victuros etiam poſt mortem: vt Philo in lib. de creatione
Prouerb. 8. & 9. Principis annotauit. Mecum enim, inquit Sapientia, ſunt diuitię, & gloriæ, & opes ſupernæ, & iuſtitia. Et: Per me multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Et ſapiens: Erunt ſapientiæ com-
Sap. 6. pedes in protectionem fortitudinis, & baſis virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ. Gedeon Iu-
Iudic. 8. & 9. dæorum Dux, Ephod fabricauit, volens in eo ſacrificare, & filij amiſerunt regnum.

Lib. 1. Mac. c. 2. Idcirco Matathias Machabęus moribundus: Vos, inquit, filij confortamini, & viriliter agite in lege: quia cum feceritis, quæ vobis præcepta ſunt in lege à Domino Deo veſtro, glorioſi in ipſa eritis.
cap. 33. & 47. Optimè admonet Eccleſiaſt. In omnibus tuis præcellens eſto, nec dederis maculam in gloriam tuã. Quod Salomonem feciſſe ait.

Quia hic locus quæſt. 8. perpurgatus eſt, nihil præterea aſſcribendum putaui, niſi quod Horat. cecinit:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Lib. 2. ode 10. *Decidunt turres, feriuntq; ſummos*
Fulmina montes.

QVAESTIO XXV.

Apud quos conueniat glorioſum & magnificũ ſe gerere?

SOLVTIO.

Plurimi hoc apud illos faciendum putant, qui ami-

amicè ſunt erga nos affecti: ego autem puto hanc honorificam venditationem, cum gratia ciuilis moderationis vſurpandam coram illis, qui in contrarijs laudem & gloriam quærunt: vt ſic etiã illi traducantur ad honeſta vtiliaque. Sed Deus orandus eſt, vt ille hæc perficiat, qui omnium mentes gubernat & moderatur.

QVAESTIO XXVI.

Quibus gratificandum ſit?

RESPONSIO.

Præcipuè & ſemper parẽtibus: quia Deus maximum de honorandis parentibus præceptũ dedit: ſecundo loco amicis, quos Deus vt nos ipſos honorare voluit. Tu autem Rex præclarè facis, quòd omnes homines in tui amorem pertrahere ſtudes.

Quatenus parentes tam corporis quàm animorum, id eſt, pręceptores, parochi ue honorandi, colendi, alendique ſint, libro 2. officiornm ſcolaſticorum à me pluribus verbis ediſſertum eſt. Vt nihil hic præter memorabile Alphonſi Regis exemplum dicendum videatur. Is à patre ægro, cui obuiam profectus erat, admonitus, vt equũ, ſicut alij proceres fecerant, aſcenderet, reſpondit:

Illi, ô pater, quid ad ſe pertineat viderint, ego nunquam adduci potero, quin regem, quin patrem & eundem ægrotum pedes ſequar. Sacris quidem literis continetur, & hiſtoriæ confirmant, quòd vitam diuturnam atque beatam traducant qui erga parentes pietatem colunt. Diogenes Cynicus ad eum qui patrem deſpiciebat, Non te, inquit, pudet eum contemnere, cui debes id ipſum, quod tibi placet? Omnis igitur homo primùm quidem in *Panormit. lib. 2. ca. 28.*

paren-

parentes ſuos, quorum opera fuit in hanc vitam ingreſſus, nunquam ingratus exiſtet ſed eos præcipuo quodam ſtudio colet, obſeruabit, & omni pietate proſequetur. Deinde illos in parentum numero habebit, qui præſunt reipublicæ, vitamque & mores ſuos informauerunt, & animo patrio omnium ſaluti proſpiciunt. Nec illorum obliuiſcetur, ſed quaſi parentibus pietatem præſtabit, à quibus magnum aliquod in animo, vel corpore, atque fortunis beneficium accepit. Omnes deniq; ciues gratia nectere & conglutinare ſtudebit. Propterea enim Athenienſes olim Gratijs fanum in media vrbe dedicauerunt: Vt omnes ciues docerent, omnem ciuilis ſocietatis rationem gratiarũ quaſi nomine quodam contineri.

QVAESTIO XXVII.

Quid ſit pulchritudine dignius, vel dignum quod exornetur?

RESPONSIO.

Pietas: nam ipſa pulchritudo quædam eſt præcellens: eius autem potentia eſt charitas, quæ quidem Dei munus eſt: quam & tu poſſidens cuncta in ipſa bona complecteris.

Pulchritudo corporis præclarum ferè naturæ ornamentum putatur. Chryſippus virtutis florem appellabat. Multis tamen ea pernitioſiſſima fuit: reliquis periculoſa, vt Suſannæ, Agnetis, Catharinæ, Ioſeph, cæterorumque virorum & mulierum exempla declarant. Egregium eſt, formoſo corpori pulchrum virtutibus & ſapientia animum inducere.

Multoque præclarius eſt animum, quã corpus formoſum habere, ſi vtrumque non licet. De qua

Homerus

Homerus loquitur, formam glorioſum Deorum donum vocans: quod repetit Tiraquellus lege 2. connubiali.

Et Antiſthenes ridere ſolebat homines, qui non virtute animi, qui demum verè homo eſt, ſed pulcritudine corporis gloriabantur, quam cum ſtatuis haberent cõmunem. Et Iſocrates qui neglecto animo, corpus curarent, aiebat ornare nauim, gubernatorem non curare. M. Ciceroni perditiſſima ratio videbatur, diligere formam, famam negligere.

Plato naturæ priuilegium, ſed breue: Bion bonum alienum, formam vocabat. Apuleius, & ante illum Socrates, hortabatur adoleſcentes, crebrò ſpeculum intueri, ne formoſi pulchritudinem prauis moribus polluerent, deformes vero virtutibus & ingenio illuſtrarent, recordarenturque illius poëtæ: Nimium ne crede colori: forma bonũ fragile. Plato corporis formam homines adveræ pulchritudinis amorem incitare aiebat: vt quantum quis in veræ pulchritudinis amore progrederetur, tantum de corporis forma remitteret: non, vt iam fit, corporeæ pulchritudinis amor veræ pulchritudinis ſtudium in animis extingueret.

Idem placet Salomoni prouerb. vlt.

Pulchritudo duplex eſt: animi & corporis, ſiue interna & externa. Vtraque amoris & beneuolentiæ fomes. Vt enim omne quod eſt turpe, ineptum, indecorum, offendit oculos, alienat animos, & ab amore auertit: ita quicquid eſt venuſtum, & elegans, id oculis gratum, & iucundum eſt, & animos ad ſe amandum inuitat, & allicit. Reges ipſos atque Principes amant, colunt, & venerantur omnes, quod, mirum dictu, apud omnes gentes

certa-

certatim fieri videmus. Cuius amoris erga regem & Principes cauſa, non humanum quiddam, ſed diuinum eſſe videtur, quod non extra eos, ſed in ipſis, nec in corpore, ſed in animo collocandum eſt. Videlicet in ſapientia, in magnanimitate, in iuſtitia, in benignitate, & modeſtia. Quæ ob ſui admirabilem pulchritudinem ſolidos omnium amores efficiunt, & diuinam pulchritudinem referunt. Externa forma corporis Reges à fœminis, multiſque adoleſcentibus ſuperantur, & quiuis morbus breui iſtum candorem inficere, & ſpeciẽ deformare poteſt, & ingraueſcens ætas faciem rugis exarat, omnemque florem ætatis extinguit. Qui ergo propter formam amant, eorum amor præſentium & intuentium eſt, & cum formæ interitu interit: qui animi formam & pulchritudinem conſiderant, illi non præſentes tantùm, ſed abſentes admirantur: nunquam pulchritudo illa interit, nec corrumpitur, ſed ſemper eodem lumine ſplẽdet, & ne morte quidẽ deleri poteſt, ſed poſt mortem omnium grata commemoratione viget. Illa pulchritudo animi, cum omnibus alijs, tum illi ipſi, cui ineſt, ſemper amabilis, atque iucunda eſt. Nam omnia vitia, quæ animum perturbant, ſuperbiam, temeritatem, auaritiam, libidinem à ſe longiſſimè propulſat. Cum quibus nulla ratione poteſt vlla veræ pulchritudinis ſpecies eſſe coniuncta. Quiſquis ergo veram religionem, & ſapientiam, & virtutem colit, veræ pulchritudinis ſpeciem admirabilemque venuſtatem & elegantiam conſequitur. Et quicunque pulcher, charus, amabilis, & gratus omnibus eſſe, à præſentibus & futuris ſolidè amari, diligi, omnium ore verſari, glo-

Pulchritudo animi.

riaque immortali frui cupit: vitia & prauas cupiditates execretur, totoque pectore in ſtudium ſapientiæ, & virtutis incumbat, nullum in ſe dedecus, nullam turpitudinem admittat. Stoicis nemo verè pulcher, niſi probus & ſapiens habebatur. Virtus & ſapientia ſplendido cultu decoris atque dignitatis homines illuſtrant. Hæc pulchritudo nulla labe maculari, nullo vitio contaminari, nulla ægritudine corrumpi, nulla vetuſtate deleri poteſt.

Externa etiam pulchritudo corporis, amabile Dei munus eſt. *Pulchritudo corporis*

Gratior eſt pulchro veniens de corpore virtus.

De Principum forma extat Adagium: Perſona digna quæ imperet. Non fruſtra narrat ſcriptura ſacra: quòd Saul primus Iudæorum rex fuerit melior & longior omnibus filijs Iſraël. Cumq; Saul ſtaret in medio populi, altior erat omnibus ab humero ſurſum: Certè, inquit Samuel, videtis, quem elegerit Dominus, quoniam non eſt ſimilis illi. *1. reg. 9. & 10.*

Poſt reiectum à Deo Saulem in noui regis electione, Samuel ex longitudine, & ſtatura corporis Heliab, ſeniorem filium Iſai, vngere volebat Regẽ Iudæorũ. Dominus verò ad Samuelem ait: Ne reſpicias vultum, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo videt ea, quæ patent, Deus intuetur cor. Etſi Dauid etiam erat rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie. *1. reg. 16. 17.*

In vxoribus ducendis magnam rationem ſemper omnes gentes floridæ ætatis & pulchritudinis

P habu-

habuiſſe, præter hiſtoricos & poëtas indicat ſcriptura ſacra, in Geneſi cap. 29. de Iacob, & Iud. cap. 12. de Sampſon, & Heſter. cap. 2. & alijs diuerſis in locis.

Geneſ. 24. & 26. Nec fruſtra eſt quod ſcriptura tam diligenter Saræ vxoris Abrahami, & Rebeccæ vxoris Iſaac, & Saræ vxoris Tobiæ venuſtatem cōmemorat. Multæ fœminæ per formam ſuam ſeipſas, & maritos, atque patriam conſeruârunt.

Pulchritudo multis profuit & obfuit eadē multis. Iudith vidua lauit corpus ſuum, vnxit ſe myrto optimo, & ornauit crines capitis ſui, impoſuitque mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, & ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnia ornamenta ſua: Dominus contulit illi ſplendorem: quoniam omnis iſte ornatus non ex libidine, ſed ex virtute pendebat; ideoque Dominus hanc pulchritudinem illi ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret. Ita factum eſt, vt inuictum Holofernem Iudith pulchritudo decollaret, & afflictiſſimam patriam omni metu, viua & mortua, liberaret. *Iudith. 10. & 13. Heſt. 1. & 2.* Aſſuero Regi Perſarum conquiſitæ fuerunt ex omnibus prouincijs formoſiſſimæ virgines, ex quibus vxorem eligeret, dabanturque illis omnia, quę advnguenta & ornatum ſuum deſiderabant.

Reliquæ virgines egregia forma prędiTę, admodum curioſè in lauando, inungendo & exornando corpore occupabantur: Heſter à natura erat pulchra nimis, & decora facie, formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis, vt externo ornatu non indigeret: ornante illam Deo, qui populum ſuum per eam ſaluare decreuerat.

Abrahæ vxoris Saræ tanta fuit pulchritudo, vt Abraham timeret, ne propter illam ab alijs occideretur, ſed Deo protectore, accidit, vt benefieret illi, & honoraretur propter eam. *Geneſ. 20.*

Rebecca vxor Iſaaci filij Abrahæ erat puella decora nimis, & virgo pulcherrima, miniſterque Abrahami deſponſauit eam aureis & argenteis ornamentis, & veſtibus pretioſis, & metuens Iſaac ne propter vxoris pulchritudinem malè tractaretur, ſororem ſuam eſſe aiebat, & rectè illi ceſſit. *Geneſ. 24. & 26.*

Abigail ob prudentiam formæ coniunctam ſeruat maritum, quem Dauid interempturus aduenerat, & illo mortuo, fit vxor Dauidis Regis. *1. reg. 25.*

Multis etiam pulchritudo corporis exitium attulit. Ioſeph patriarcha cùm eſſet adoleſcens pulcherrimus, Regina Aegypti illum ardere cœpit, cumque Dei timore ſtuprum recuſaret, in tetrum carcerem coniectus eſt. Berſabeæ vxoris Vriæ Hæthei forma decepit Dauidem, vt adulter & homicida fieret, vnde tot mala ſecuta ſunt. *Geneſ. 39.* *3. reg. 11.*

Ammon primogenitus Dauidis, Thamar ſororis forma inflãmatus, inceſtum perpetrauit, quod ſcelus illi viciſſim mortem, & Abſolon fratricidæ exilium peperit. *3. reg. 13.*

Dina, filia Iacob, virgo formoſa à Sichim rapitur, & conſtrupatur, & illius fratres totam ciuitatem depopulantur. Sara Abrahami, & Rebecca Iſaaci vxores ob pulchritudinem ambę captæ ſunt, & deturpatæ fuiſſent, niſi Deus eas præſeruaſſet. Suſannam forma perdidiſſet, ſed Daniel à Deo miſſus eam liberauit. De Lucretia ROMANA omnes hiſtoriæ cantant. Pulchritudinem *Geneſ. 34.* *Daniel 13.*

multis periculoſam fuiſſe, probat Iuuenalis ſatyra 10.

Nam adamatis, ſiue acquieſcerent ſceleribus, ſiue non, pereundum fuit. Parentes qui formoſos liberos habent, miſeros vocat, & ſemper trepidos. Quòd rara ſit concordia formæ atque pudicitiæ: ſæpe etiam prodiga corruptoris improbitas ipſos auſit tentare parentes. Tāta in muneribus fiducia. Idem argumentum tractat. Io. Neuizanus lib. 2. ſylu. nupt.

Vbi pulchritudinem modici temporis tyrannū appellat, eãdemque in magno corpore conſiſtere ait, quòd parui formoſi, nō pulchri poſſint appellari. Paucas etiā pulchras inueniri affirmat, quòd ad pulchritudinem triginta requirantur, quæ in pauciſſimis ſimul exiſtunt.

2. reg. 14. & 15. Abſolon filius Dauidis Regis tam pulcher fuiſſe perhibetur, vt à veſtigio pedis vſque ad verticē in toto corpore nulla macula ineſſet, & ſemel in anno tonderet capillos capitis ſui, ponderaretque illos ducentis ſiclis pondere publico. Poſtquam veram animi pulchritudinem exuit, contra proprium parentem, qui illum genuerat, & poſt fratricidium in gratiam receperat, coniurauit, regno deiecit, cubile illius contaminauit, & perſecutus eſt; iuſto Dei iudicio, pulcherrimis illis crinibus in quercu ſuſpenſus, transfoditur. Rectè igitur cecinit Virgil. in Bucolicis:

O Coridon, Coridon, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Haud fruſtra eſt, quod ſcriptura ſacra commemorat: Videns dominus, quod Iacob Rachel vxorem

rem formoſam præferret Liæ ſeniori, ſed lippis oculis: aperuit vuluam Liæ, vt pareret, Rachel ſterili permanente. Corporis forma bonum fragile: conſeruatur tamen ex continentia, & temperantia victus, atq; exercitatione corporis. Scitum eſt illud Salomonis: Spiritus triſtis exſiccat oſſa, mens hilaris ætatem floridam facit. *Geneſ. 30.* *Prouerb. 17*

Cum iſto Prouerb. vlt. fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timẽs Deum ipſa laudabitur. Et hoc Eccleſiaſtici 11. Ne laudes hominem in ſpecie ſua, nec ſpernas quenquam ex aſpectu: Apis inter volatilia puſillum animal eſt, fructus autem illius dulciſſimum mel.

Quaſdam gentes in creandis Regibus, & Principibus magnam pulchritudinis & formę rationẽ habuiſſe, & quo iure illa opinio nitatur: tradit And. Tiraquellus. *Tiraq. de Iure primog. q. 17.*

QVAESTIO XXVIII

Quomodo amiſſa gloria reciperetur?

RESPONSIO.

Tu vix potes labi, aut offendere quenquam, qui in omnes beneficia conferas, vnde naſcitur beneuolentia, quę cũ ſit ſuperior maximis armis, maximum quoque munimentum præſidiumq; ue præſtat. Qui verò ſolẽt offendere, illi ab his quib⁹ alij offenduntur, abſtineant, & reconciliati poſthac iuſtitiam exerceant. Verum Dei donum eſt, bonis & non malis actionibus deditum eſſe.

Quantum amor & beneuolentia ciuium, ad acquirendum conſeruandumq; ue Regnum pertineat q. 23. & 24. dictum eſt. Sacræ literæ amiſſam fortunam, labefactatam gloriam, perditumq; ue regnum, per flagitiorum emendationem atque pœniten-

nitentiam recuperari probant Achah 3. Reg. 21.
Nabuchodonoſor Dani. 4. exemplo. Deos, inquit
cap. 21. in officijs Cicero, placatos efficit pietas & ſancti-
tas. Et Lactantius de Ir. Dei.

Deus morum emendatione placatur, & qui peccare deſinit Dei iram mortalem facit. Hoc Iudæorum exemplo declarauit Dauid: Vidit cum tribularentur. & exaudiuit orationem eorum, & memor fuit teſtamenti ſui, & dedit eos in miſericordias, in conſpectu omnium qui ceperant eos. Et alibi: clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & deduxit eos de tenebris, & de vmbra mortis, & vincula eorum diſrupit.

Pſal. 105.

Pſal 106.

Quando Iudæi poſt mortem Gedeonis in terra promiſſa, vehementer à Philiſtæis & Ammonitis affligebantur, clamauerunt ad Dominum: quibus Dominus reſpondit: Toties clamaſtis ad me, & erui vos de manibus inimicorum, tamen vos reliquiſtis me, & coluiſtis Deos alienos, iccircò non liberabo vos ampliùs: itote, & inuocate Deos, quos elegiſtis, ipſi vos liberēt in tempore anguſtiæ. Sed cum pœnitentiam agerent, Deus doluit ſuper miſerijs eorum, & liberauit eos per Ducem Iephte. Ad Heli Pontificem ait Dominus: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles: domum tuam exaltaueram, nunc iudicaturus eam ſum vſque in æternum, propter iniquitatem: & faciam verbum in Iſraël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. Ad Achab Regem Iſraël ait Elias Propheta: Hæc dicit Dominus. Ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam te Achab mingentem ad parietem, quia me ad iracundi-

Iudic. 10.

1. reg. 2. & 3

cundiam prouocaſti, & peccare feciſti Iſraël. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent illum canes, ſi in agro, comedent illum volucres cœli. Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & cilicio operuit carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & deambulauit demiſſo capite. Quare Dominus ad Heliam inquit: *1.reg.21.* Nonne vidiſti humiliatũ Achab coram me? Quia humiliatus eſt coram me, non inducam mala in diebus ipſius, ſed in diebus filij ſui inferam malũ domui eius.

Etiam iuſtum ruiturum atque interiturum eſſe, *Ezech. 33. & 34.* ſi à iuſtitia & officio ſuo deflexerit, affirmat Ezechiel Propheta. Superba, inquit, fortitudo deficiet.

Iſaias Propheta Ezechiam Regem ſic affatur: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe vel diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues. Ezechias conuerſus ad parietem orauit, & fleuit: Priuſquàm domo exiret Iſaias, factus eſt ſermo Domini ad illum dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ: Audiui *4 reg.20.* orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce ſanaui te, die tertia aſcendes in templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos.

Regi Iuda Ioſię dicetis: Pro eo quòd audiſti verba Prophetię, & territus atque humiliatus es corã *4.reg.22.* Domino, ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, exaudiui te, & colligam te ad patres tuos in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.

Tantoperè DEVM offenderat Manaſſes Rex, vt ipſius domui exitium minaretur. Et propter *2.reg 21.* grauitatem delictorum Manaſſis, Ioſias optimus &

pientiſſimus rex Deum placare nequibat.

Vinctus ergò Manaſſes cathenis ferreis & compedibus, abductus eſt in Babylonem.

Cumque anguſtiaretur vndique, egit pœnitentiam,& orauit dominum ſuum, deprecatuſque eſt illum ardenter & attentè: Domine Deus omnipotens patrum noſtrorum Abraham, Iſaac, & Iacob, & ſeminis eorum iuſti,qui feciſti cœlum & terrã, cum omni ornatu eorum, quem omnes pauent,& tremunt à vultu virtutis tuæ: & inſuſtentabilis ira ſuper peccatores, immenſa vero & inueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ, tu es dominus ſuper omnem terram, longanimis,& multum miſericors, & pœnitens ſuper malitiam hominum,& ſecundum bonitatem tuam promiſiſti pœnitentiam remiſſionis peccatorũ: peccaui ſuper numerũ arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, incuruatus ſum multo vinculo ferri, & non eſt reſpiratio mihi,quia excitaui iracundiam tuam,& malum coram te feci, ſtatuens abominationes,& multiplicans offenſiones,& nũc flecto genua cordis mei,precans à te bonitatem domine. Peccaui domine,peccaui, & iniquitatem meam agnoſco, peto rogans te domine,remitte mihi,ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis,neque in æternum reſerues mala mihi, quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordcam tuam,& laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi eſt gloria in ſecula ſeculorum.

Exaudiuit igitur Deus orationem illius, & reduxit eum in Hieruſalem in regnum ſuum,& cognouit Manaſſes,quòd dominus ipſe eſt Deus,euerſaque

ſaque falſa, veram religionem inſtaurauit, & Hieroſolymam muro auxit. *2 Paralip. 33 & vlt.*

Iſraël quare in terra inimicorum es? cur inueteraſti in terra aliena? Dereliquiſti fontem ſapientiæ: ſi in via Dei ambulaſſes, habitares in pace. *Baruch. 3.*

Potentiſſimus ille Monarcha Nabuchodonoſor propter ſuperbiam & veri Dei contemptum Regno deiectus, per ſeptem annos cum feris commorabatur, & fœnum quaſi bos comedit, & rore cœli corpus eius inficiebatur, capillique illius in ſimilitudinem aquilarum, & vngues quaſi auium excreſcebant, quòd ſaluberrimum conſilium Danielis Prophetæ, de humilitate & pœnitentia exorandoque Deo aſpernaretur; poſtquam oculos & mentem ad Deum leuauit, ſenſus redditus eſt illi, & benedixit altiſſimo, viuentemque in ſempiternum glorificauit, & poteſtatem eius ſempiternam atque immenſam eſſe confeſſus eſt, cuius nutu & volũtate omnia gubernentur in cœlo, & in terra: tunc figura prior reuerſa eſt, & regno reſtitutus, & magnificentia longè amplior addita fuit. Nunc ergo, inquit, ego Nabochodonoſor laudo, magnifico, & glorifico regem cœli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare. Daniel autem tale conſilium ſuggerebat Regi: peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſan ignoſcet Deus delictis tuis. *Danielis 4. & 5.*

Niniuitarum Rex ad prædicationem Ionæ prophetæ ſurrexit de ſolio ſuo, abiecitque veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco & cinere, omneſque ſubditos idem facere iuſſit. Cõuertatur, inquiens, vir *Ionæ. 3*

à via ſua mala,& clament omnes homines & pecudes ad Deũ in fortitudine, quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, vt non pereamus. Et Deus miſertus eorum, ne perirent.

Virtutem eſſe magiſtram & matrem gloriæ 30. aſſerit.

QVAESTIO XXIX.

Quomodo ſine triſtitia viueret?

RESPONSIO.

Si neminem læſeris, omnes adiuues, & iuſtitiam
Vide q. 56. proſeqnaris: hæc animi tranquillitatem generant. Sed implorandus Deus eſt, ne ea nos turbent, quæ præter opinionem noſtram accidunt: vt ſunt mortes, morbi, mæſtitia, & cætera huiuſmodi. Tibi autẽ, quando pius es, nihil iſtorum accidere poteſt.

Philip. 4. Paulus Apoſtolus Philippenſes ſuos hortaba-
Homil. 18. tur: Gaudete in Domino iterum dico gaudete. Quẽ locum Chryſoſtomus ad Antiochenos ſic tractauit, vt pulcherrimè doceret: illos qui in Deo potius, quàm diuitijs, voluptate, amicis, potentia ſua confidunt, ſemper lætam tranquillamque mentẽ habere: & nihil poſſe ipſis triſtitiam adferre, cùm vel mori pro Chriſto lucrum putent cum Paulo, & in afflictionibus externis voluptatem capiant: quodque ſpiritualis triſtitia pro peccatis verum gaudium exiſtat.

Peccans verò, atque ſcelerata mens, nec gaudiũ, nec lætitiam recipit.

Tyranni enim & flagitioſi, authore Plutarcho, & ſi non ſtatim auferuntur, ſemper tamen affligentem ſe circunferunt dolorem: aſſiduoque
Vide q. 37. mentis cruciatu ſeneſcunt. Summamque perturbationem atque triſtitiam generat preſſum taci-

to ſub

to ſub pectore vulnus, vt q.37.aperietur. *Num.15.*

Reliqua etiam malorum genera, quę homini ca- *Deut.6.* lamitates & triſtitiam adferunt, propter peccata *Ioſue 23.* à Deo immituntur: à peccatis ergo abſtinere, opti- *Pſal.104.* mum contra triſtitiam remedium eſt. *& 105.*

Nec enim benigniſſimus illeDeus peccata iterũ diluuio vlciſci decreuit, ſed frigore & æſtu, peſte, fame, bello, cæteriſque malorum generibus puni- *Vide q.9.* re atque ad pœnitentiam reuocare conatur. vt Gẽ. *& 32.* 9. & infinitis ſacræ ſcripturæ locis videre eſt.

Triſtitia verò homini, præſertim maſculo, perniciosiſſima eſt. Nam animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus autem triſtis exſiccat oſſa. *Prouerb.17*

Et ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita *Prouerb.25* triſtitia viri nocet cordi.

Vide B. Chryſoſtomum epiſtola ad Olympi. Triſtitia, inquit, animarum crudele tormẽtum eſt, dolor quidam inexplicabilis, & iudicium omni iudicio vindictaque deterius. Nam & vermi eſt ſimilis venenato, non ſolummodo carnem, ſed & animam ipſam perimens: & tinea non ſolùm ad oſſa, ſed ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, ſed vires animæ conſumens, & iugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempeſtas, & turbo, febris non apparens, omni igne validiùs incendens, & pugna requiem non habens, & languor plurimos obſcurans videntum.

QVAESTIO XXX.

Quid ſit in primis glorioſum, hominéque dignum?

RESPONSIO.

Deum colere atque venerari, non muneribus

Vide q. 24. & 60. & ſacris tantùm, ſed animi puritate: & diligenter conſiderare, quòd omnia ab ipſo creentur, atque gubernentur pro voluntate ſua. Ad quem tu es animo perpetuò conformatus, quod omnes facilè ex ijs, quæ hactenus egiſti & agis, cognoſcunt.

Homilia 24 Quod cum pietate virtuteque viuens etiam hoſtibus admirabilis ſit, pulchrè declarat Chryſoſtomus ad Antiochenos. Virtutis vmbra eſt gloria. Alphonſus Rex admonitus, vt relictis periculis, tranquillam vitam ſuſciperet, reſpondit: Rectè olim Romanos ad Honoris templum Virtutis quoque ædem collocaſſe, per quam ſolam ad honores peruenitur; teſte Panormitano. *lib. 2. c. 19.*

QVAESTIO XXXI.

An prudentia ſtudijs, atque doctrina parari poſſet?

RESPONSIO.

Illa quidam animi habitus eſt, qui à diuina virtute dirigitur, ad proſequenda omnia honeſta, auerſandaque contraria.

Cognouerat fortaſſe Rex, quòd Antiſthenes dixiſſet: Prudentiam eſſe præſtantiſſimum præſidium, & murum tutiſſimum, qui nec collabatur, nec perdatur. Iſocrates ad Nicoclem ſcribens, author eſt: Reges in primis eniti oportere, vt reliquis antecellant prudẽtia. Bion aiebat, prudentiam tantò cæteris virtutibus antecellere, quantò reliquis ſenſibus præſtat viſus. Sapientia confortauit ſapientes *Eccleſ. 7.* ſuper decem ciuitates. Cor prudentis poſſidebit *Prouerb. 18* ſcientiam. Dux indigens prudentia, multos oppri- *28. & 16.* met per calumniam. Et: Ambulate per vias prudẽtiæ. Poſſide ſapientiam, quæ melior ẽ auro, & acquire

quire prudentiam, quæ pretioſior eſt argento. Prudentia ſapientiaque principibus adeò eſt neceſſaria, vt ſine ea nullam poſſint reip. partem rectè attingere q. 34.

Quòd animus Principis ſummo ſtudio, à teneris rectè ſapientia, & bonis literis erudiendus ſit, quæſtione 14. oſtenditur. Qui philoſophiam & bonas literas Principibus indignas eſſe putant, nec vtile futurum reipubl. opinantur, ſi principes habeāt eruditos, illos in tractatu de ſapientia, atque in officijs ſcholaſticis abundè ſatis, ni fallor, ex ipſa luce veritatis & ſapientiæ redargui.

Nam prudentia ſapientiaque cùm omnibus hominibus, tū Principi maximè neceſſaria eſt. Maxima enim poteſtas, & ſummum Imperium, ſummā quoque ſapientiam deſiderat.

Nullum enim munus egregium ſine egregia ſapientia adminiſtratur. Regis officio nullum maius, nullum difficilius eſt, in quo maiore cū periculo, rerumque omnium pernitie peccatur. Sine doctrina, ſine literis ergo fieri non poteſt, vt ſecundum rationem vitam ſuam inſtituat, & animus in tantis opibus atque potentia, & adulatorum multitudine non ruat, niſi ſapientia, & eruditione fulciatur. Sapientia ergò Regio muneri maximè neceſſaria eſt: & ad Regis officium ſumma ſapientia ſummaq; virtus requiritur. Fabulati ſunt poëtæ, quantam inflammationem terris attulerit Phaëton, Solis filius, cum à patre impetrauit, vt vice illius, vno ſaltem die lucē terris diffunderet. Quod cum obtinuiſſet, terras, & flumina, & fontes flammis exuſſit, ipſeque tandem fulminis incendio conflagrauit.

Quod

Quod homines ſumno ingenio, & eruditione præditi non temerè confinxerunt:ſed per hanc fabulam poſteros admonuerunt, rerum omnium interitum fore, & rempub. planè collapſuram, cum regnandi, moderandique poteſtas hominibus immoderatis, inſipientibus, & tam præclaræ artis ignaris, conceſſa fuerit. Cum autem id diuinitus alicui nationi conceſſum fuerit, vt regem ſapientem habeat: ipſe rex gloria circumfluet, ampliſſimumque ex ſua moderatione fructum virtutis & ſapientiæ ſuæ percipiet, & reſpub. omnibus bonis, illius ſapientia, & induſtria abundabit. Quod Regina Saba ad Salomonem profitetur 2. Paral. c. 9. Quia diligit Deus Iſraëlem, & vult eum ſeruare in æternum: iccircò poſuit te ſuper eum Regem, vt facias iuſtitiam & iudicia. Princeps qui ſapiens eſt remp. facilè temperabit, & ad optatum finem perducet. Ipſa enim ſapientia apud Salomonem ſapientiſſimum regum loquitur: Meum eſt conſilium, & diſciplina; mea eſt prudentia, & fortitudo: Per me reges regnant, & legum conditores *iuſta* decernunt, per me principes imperant, & omnes qui ius in terra dicunt rempubl. moderantur. Sapientiam Regi in primis neceſſariam eſſe, agnoſcit Salomon, & ipſe Deus idem fatetur.

3. reg 3. 2. paralip. c. 1.

Propter Sapientiam verò, Salomonem omnes Reges & Principes terræ admirabantur, honorabant muneribus, eumq; videre, & audire cupiebãt.

3. reg. 4. & 10. 2. paralip 9.

Ad hæc, alij homines qui alicubi delirant, ſibi tantùm & paucis nocent, & iudiciorum ſeueritate cohiberi, & ad officium reuocari poſſunt: at Regú & principum ſtultitia & errores interitum vniuerſæ reipub. adferunt, & ſanari nullo iudiciorum

rum metu poſſunt. Quò igitur opus eorum maius eſt, quò grauius ruinæ periculum ex eorum erroribus, communibus rebus imminet, eò maioribus ſapientiæ præſidijs muniri oportet.

Philoſophia, & bonæ literæ pudorem & modeſtiam ingenerant, animum à vitijs abducunt, dignitatis & virtutis cupiditate accendũt, & ad rempub. rectè temperandam erudiunt. Præterea, maximarum artium ſtudia, & liberales diſciplinæ ingenium acuunt, aciem mentis illuſtrant, animos alacres, & fortes efficiunt, heroica ingenia excolũt, & omniũ virtutum opibus atque ornamentis afficiunt, & finem, ad quem omnia dirigenda ſunt, demonſtrant. Nullaque medicina adhiberi poteſt ad ſanandas vitioſas in repub. partes efficacior, quàm ſapientia, nihilque eſt vitijs tam aduerſarium, quã veræ ſapientiæ diſciplina, qua veriſſima animi medicina continetur, reſp. firmo præſidio confirmatur. Quod principi lectio, præſertim hiſtoriarũ egregiè conueniat, q. 63. quid ex reliquis diſciplinis eum addiſcere conueniat, q. 41. quid ſit philoſophari, q. 47. & 62. de fructibus ſapientiæ, q. 50. aperietur.

Cum igitur bonæ literæ & philoſophiæ ſtudia tam multa adiumenta atque ornamenta adferant principibus, quomodo poſſunt ſine maximo reipubl. detrimento, ab ijs contemni aut negligi?

Ideoque Diocletianus & Maximianus ſub finẽ vitæ Imperio & armis poſitis philoſophari voluerunt. *Niceph. l. 7. cap. 20.*

QVÆSTIO XXXII.

Quid potiſſimum valetudini conferret?

RES-

RESPONSIO.

Temperantia, quæ contingit nemini, niſi Deus mentem ad eam præparauerit conformaueritque.

Quantum cibi & potus, quo tempore, cuius generis accipiendum ſit, valere cupientem obſeruare oportet: qua in re prudentia plurimum valet. Vnde vulgò ferunt: ſolus ſapiens longæuus eſt. Ideoque Ptolomæus Rex 72. interpretes patrio cibo, cui aſſueuerant, vti præcepit: vt ex Ariſtæa & Philone colligitur. Pręſentiſſimum contra omnes morbos ante repertam medicinam remedium erat ieiunium: hodieque continentia eſt, ſi prudenter vſurpetur. Quin & in pharmacis adhibendis magna prudentia opus eſt. Fertur de quodã ægroto, quòd is, ſumpto pharmaco à medico, conualuerit, ſed pòſt recrudeſcente morbo, cum nihil ab eodẽ pharmaco remedij ſentiret, acceſſiuerit medicum, admirans quî factum eſſet, vt eadem medicina, quæ prius depuliſſet morbum, poſtea magis aggrauaret. Huius rei cauſam ſciſcitanti medicus facetè reſpondit: Fateor idem fuiſſe pharmacum, ſed ideò non profuit, quia ego non dedi. M. Cicero libro 2. Officiorum: Valetudo, inquit, ſuſtentatur notitia ſui corporis, & obſeruatione earum rerũ, quæ aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: & continentia in victu omni, atque cultu corporis tuendi cauſa, & prætermittendis voluptatibus: poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiã hæc pertinent. Cyrus Rex apud Xenophontem libro primo: Primùm, ait operã do, ne vnquam ſaturer, deinde per laborem immiſſa conſumo: ita enim mihi videor & perſeuerantiùs benè valere, & rubuſtior effici.

Quo-

Quoniam verò multi morbi propter peccata à Deo immittuntur, vt homines reſipiſcant, iuxta illud Dauidis: Multiplicatæ infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt: plurimum contulerit valetudini, abſtinere à peccatis. Qui enim delinquit in cõſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici. Vbi & pulcherrima de honorandis aſſumendiſque medicis præcepta dedit. Et Eccleſiaſtes: Ne impiè agas, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Neminem verò vllarum artiũ atque virtutum capacem fieri, niſi animo prius expurgato, lib. 2. officiorum c. 7. probaui. *Vide qu. 9. & 29.* *Pſal. 15.* *Eccl. 38.* *Eccl. 7.*

Aſa Rex ægrotus non quæſiuit à Deo auxilium, ſed confidebat in arte medicorum: ideò à Deo deſertus eſt. *l. 2. Regum c. 16.*

Idem accidit Ochoziæ dæmonia conſulenti. *lib. 4. regũ c. 1.*

Ezechias contrà, ad Deum conuertitur, qui vitam illius ad 15. annos extendit. *lib. 3. c. 20.*

Ad reipublicę munera obeunda agili, expedito, robuſtoque corpore opus eſt, ne vmbratilis res imbecillis princeps ſit, qui pondus reipub. ſuſtinere nequeat. Curandum ergò, vt corpus ſanum & integrum ſit. Quod conſequetur ex temperantia in victu, & exercitatione corporis: quæ infinitos ſuauiſſimos fructus afferunt, ſanitatem tuentur, vires augent, pulchritudinem conſeruant.

Ciborum redundantia cruditatem efficit, vires debilitat, aciem mentis obtundit, languorem animis affert, deſidiam, ignauiam, ſtuporem, tarditatẽ ingenerat, corpus infirmum, vitam breuiorem facit, mentis altitudinem deprimit, indolemque toti⁹ honeſtatis extinguit: omnia corrigit tẽperãtia.

Q Exer-

Vide.q.41. Exercitatio corpus firmum atque robuſtum facit,& animum quoque audacem & impigrum & alacriorem reddit.

Exercitatio quidem neceſſaria eſt, ſed ſingulæ ætates diuerſo ſtudio tenentur: Scitè enim vulgò dicitur:Studium vnius ætatis tædium alteri affert: à puerilibus reliquæ omnes vitæ partes inſtitutionem accipiunt.

De equitandi ratione,& de optimis equis, ac equeſtri militia,de curſu,& pedum pernicitate, de nādi & ſagittandi vſu,de aucupio, de agricultura, de luſu pilę,de venatione&c.ex profeſſo tractauit Franciſcus patritius Senenſis, pontifex Caietanus lib.3.de regno:Vbi aleam& aleatores principibus odio eſſe debere affirmat.De qua materia quęſtione 42.fuſiùs agetur.

Corporis autem exercitationem neceſſariam eſſe Plato,Ariſtoteles, & quotquot de republica ſcripſerunt, affirmant. Nam illa corpus firmat, & alacre reddit.Lacedęmonij pueros ruri alebant,vt laboribus aſſueſcerent,frigore,æſtu,curſu,venatione, lucta, iaciendo, præſiliendoque obdurarent.

QVAESTIO XXXIII.

Quomodo parentibus dignas gratias referret?

RESPONSIO.

Si nulla triſtitia moleſtiaque eos afficias, quod nō conceditur niſi Deus mētis dux & gubernator extiterit,vt conſilia & actiones ad optima ſemper dirigantur.

Quoniam quęſt.26.audierat,parentibus gratificandum eſſe, nunc quibus poriſſimū in rebus hoc poſitum

poſitum ſit exquirit. Nimirum, ſi colantur, honorentur, & eorum voluntati atque mandatis obtẽperetur. Parentes enim, authore Cicerone, chariſſimos habere debemus: à quibus vitã, patrimonium, libertatem, ciuitatemq́ue accepimus: maximũque peccatum eſt violare parentes. Nam qui maledicit patri ſuo, & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Et Eccleſiaſticus: Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Qui honorat patrem ſuum iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur. Qui honorat patrem ſuum vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt, in opere, & ſermone, & omni patientia. Honora patrem tuum vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat. Suſcipe ſenectam patris tui. Guilielmus Bauarus Hollandiæ & Hannoniæ Comes in phreneſim continuam incidit, quòd durus & rebellis fuiſſet matri ſuæ. Iacobus Meierus lib. 13. annalium.

Prouerb. 20.

Eccleſ. 3.

QVAESTIO XXXIIII.

Quomodo quis fieret audiendi cupidus?

RESPONSIO.

Si exiſtimet vtile eſſe omnia cognoſcere, vt ex his quæ audiuit, eligat aliquid, quod in tempore depromat, & in actionibus ſequatur. Sub gubernatione tamen ductuque Dei, à quo actiones omnes ad ſuos euentus producuntur.

Quàm pretioſa, & neceſſaria viris Principibus eſſet prudentia, ſapientiaque, & variarum optimarum rerum cognitio: q. 31. indicatum eſt, & libro ſecundo officiorum ſcholaſticorum, varijs argumentis demonſtratum.

Prouerb.8. Doctrinam, inquit Salomon, magis quàm aurũ eligite, melior eſt enim ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis, & omni deſiderabili, & non poteſt comparari. Per ſapientiam reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt: per eam Principes imperant, & parentes decernunt iuſtitiam. Quæ apud Eccleſiaſticum c.6. repetuntur.

Prouerb.8. Ipſa ſapientia inclamat: Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me: delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & ſalutem hauriet à Domino. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.

Eccl.6. Audi fili, in omni animo tuo accede ad illam, inueſtiga illam, & manifeſtabitur tibi: & continẽs factus ne derelinquas eam, in nouiſſimis enim inuenies requiem in eá, & conuertetur tibi in oblectationem. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris audire, ſapiens eris. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientię dabitur tibi. Et Salomon: Cor prudentis poſſidebit ſcientiam, & auris ſapientium quærit doctrinam.

Prouerb.18. *Prouerb.28* Qui autem declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Memorabilis Moſis vox eſt de Iudęis: Gens abſque conſilio & prudentia eſt, vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.

Deut.32.

Lib.1.c.46. De Alphonſo Rege ſcribit Panormitanus, quòd aliquando eruditum quendam Florentinorum legatum copioſè dicentem tam attentè audierit, vt

nec manus vnquam moueret, nec oculos ab eo auerteret: nec muſcam, quæ naſum mordebat, ante finem orationis abigeret: Quodque apertum librũ in armis geſtârit, ſtudium erga bonas artes declaraturus.

QVAESTIO XXXV.

Qualiter nihil contra leges ageret? *Vide q. 16. 18. 20.*

RESPONSIO.

Si ſtatuas Deum cogitationes & intelligentiã ſuggeſſiſſe legum latori, ad ferendas iſtas leges, in quibus hominum ſalus conſiſtit.

QVAESTIO XXXVI.

Quæ ſit cognationis vtilitas?

RESPONSIO.

Si rem æſtimare volumus ex euentu: vt in fortuna aduerſa vnà deijciantur, affliganturque pro magnitudine mutuæ ipſorum cognationis. Vnde & gloria ſequitur, & cognationis vinculum fit arctius, cognatioque indiſſolubilis euadit, ſi beneuolẽtia beneficentiaque conſtringit. In fortuna verò ſecunda, veri cognati inuicem auxilio & ornamẽto ſunt, nec ad ſuam fœlicitatem aliud deſiderant. Diligenter autem orandus eſt Deus, vt omnia proſperet. *Vide q. 56.*

Quàm prudenter iſte reſponderit, omnium hominum ordines quotidiè experiuntur.

Rectè dixit Salomon prouerbiorum 17. Gloria filiorum patres eorum. Et Eccleſiaſticus: Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore. *Prouerb. 17. Eccl. 3.*

QVAESTIO XXXVII.

Quomodo intrepidus exiſteret, & ſine metu?

RESPONSIO.

Si mens nullius ſibi conſcia mali ſit,Dei beneficio,qui conſilia omnia in bonum dirigit.

Vide q.39. Quàm mala mens, & ſceleribus contaminata conſcientia hominem excruciaret, quęſt.29.docebatur. Rectè dicit Iob: Impius cum pax ſit, ſemper inſidias ſuſpicatur:ſeruitus terroris ſemper in auribus illius.EtAbigail Dauid perſuaſura,ne Nabal occideret, ne, inquit, ſit tibi in ſingultum & ſcrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis ſanguinem innoxiũ, aut ipſe te vltus fueris.Hinc Salomon. Secura mens iuge conuiuium.Et: Fugit impius nemine perſequente:iuſtus autẽ quaſi Leo confidens abſque terrore erit.

Iob 15. *1.reg 25.* *Prouerb 15.* *& 28.*

Pſal.26. Fortiſſima voce pronunciat Dauid. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

Eleganter cecinit Horatius Flaccus:

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida:neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Li.3. car. ode 3.

In Caton. Marcus Cicero iucundiſſimam ſcribit homini exiſtere, benè actæ vitæ multorumq́ue beneficiorum conſcientiam . De Marco autem Antonio in 2.Paradoxo loquens: Te,inquit, miſeriæ,te ærumnæ premant omnes,qui te beatum, qui florentem

pu

putas. Tuæ libidines te torquent, tu dies noctesque cruciaris, te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimat iudiciorum atque legum. Quòcunq; aſpexiſti, furiæ ſic tuæ tibi occurrunt, iniuriæ quæ te reſpirare non ſinunt. Pythagoras neminem adeò audacem eſſe dicebat, quem mala conſcientia nō faceret timidiſsimū, multoq; eum grauius affligi conſciētia turpitudinis, quàm ſi corpore caſtigetur. Bion Boriſthenites ad hoc vtebatur verſiculo Euripidis: Seruum facit quamuis feroculum virum.

Notum eſt prouerbium: Conſcientia mille teſtes. Eſt enim conſcientia res omnium efficaciſſima in vtramque partem: vt facile quis poſſit ſeipſum conſolari, & gaudere cum conſcientia quàm optimæ mentis, contrà quoque nulla tormenta melius prodant maleficium quàm conſcientia, nullus carnifex ſeueriùs puniat, nullus hoſtis maiorem metum inijciat, quàm hæc. Vnde illud: *Saul l. 1. de pace p. c. 10* Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu? Et: Conſcientia verberat animum.

Hanc intellexerunt Poëtæ, quando de diris vltricibuſque furijs fabulantur. Impij enim ſemper metuunt, horrent, tremunt, anxio ſollicitoque animo ſcelerum pœnas pertimeſcunt. Aſſiduis pœnis agitantur, ingens crux animos eorum noctes & dies exedit, etſi miſeriā ſuam aliquandò deponere ſtudeant. Maleficiorum eos conſcientia perterret, iudiciorum metus exanimat, & ſuppliciorū formido de mente deducit: vt mœſtitia contabeſcant.

Cumque omnis miſeriæ fontem intra pectus

Google

tamque venenatum telum habeat, quod extrahere non poſſunt, quòcunque pergunt, acerbo dolore ac ſollicitudine conflictantur, nec domi quietem, nec foris oblectamentum inueniunt, nocte diem, die noctem deſiderant, in negotijs otium exoptãt. Recteque aiebat Sophocles, quod etiam audaciſſimos conſcientia delicti timidiſſimos, & eloquentiſſimos planè mutos efficiat. Contrà pij & iuſti homines animo ſemper trãquillo & quieto ſunt, nec quicquam eſt, quod eorum pacem turbet. Animus enim cœleſtis præſidij fiducia, quod ſemper adeſſe ſentit, confirmatus non trepidat, nec à mentis ſtatu deijcitur.

Baldus Iuriſconſultorum decus ad l. vlt. cap. de pœn. Iudic. qui malè Iudic. conſcientiã vocat ſenſum ſanę mentis: & ad Auth. Ad hęc, c. de vſur. ſenſum animæ cognoſcentis bonum & malum. Rela. à Menoch. lib. 1. de arb. Iud. q. 8.

Rom. 2. Vas electionis, gentium Doctor Paulus magnã conſcientiæ vim eſſe profitetur ad accuſandum & *2 Corinth. 1.* excuſandum homines apud DEVM: Gloria, inquit, noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

1 Io. 3. Si conſcientia non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum.

Ecce in cœlo, ait Iob c. 16. teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. can. Inter verba. 11. q. 3.

Conſcientia quos iuſtificat, illi maledicta aliorum non timet: & quem conſcientia defendit, inter accuſatores liber eſt, can. In cunctis, & ſeq. 11. q. 3.

Conſcientia verò bona nobis quidem ſufficit, ſed

ſed fama proximis neceſſaria eſt, can. Non ſum, eod.

Malas actiones cauere,& per omnem vitam veritatem colere,ſummum gaudium, maximamque animi tranquillitatem parit.q.50.

Multum refrenat homines conſcientia: ſi credamus nos in conſpectu Dei viuere,ſi non tantùm quæ gerimus deſupervideri,ſed etiam quę cogitamus, aut loquimur,audiri à DEO putemus:timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, minuitur, gubernatur.Lactant.in libro,de Ira Dei.

Conſcia mens recti,famæ mendacia ridet.

Conſcientia vim maximam habet,nec vir bonus ſine conſcientia eſſe poteſt,ex Iaſone & Matta, Menoch.de arbit.iud.lib.1.q.8.

Mea mihi conſcientia pluris eſt, quàm omnium ſermo. Cicero lib. 12. epiſtolarum ad Atticum.

Magna vis eſt conſcientiæ, Iudices, in vtramq; partem,vt neque timeant qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccauerint,Cicero pro Milone, Menoch. d. loco.

Hinc Iure conſtitutum eſt, & moribus receptũ, quòd in criminalibus rei perſonaliter in iudicio comparere teneantur,vt ex vultu,ex inceſſu,ex cõſtantia,& trepidatione Iudex conſcientiam rimetur,Gail.lib.1.de pace publ.c.10.

Huc alluſit Iuuenalis ſatyra 1.

Rubet auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus,tacita ſudant præcordia culpa.

Es ſatyra 2.

Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſuq́; fatetur.

Et ſatyra 13.

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Horatius lib. 1. epiſt. 1.

Hic murus abaneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Plautus in Amphitrione.

Quæ non deliquit
Decet audacem eſſe, & confidenter pro ſe, & proteruè loqui.

Nunquam is qui animum virtutibus & ſapientia exornatum habet, & qui Deum colit, fuit à Deo derelictus. Quamuis omnia bellis ardeant, terra motu concutiatur, nunquam animo concidet, ſed conſtantiam retinebit.

Sap. 16. Contrà verò, conſcientia mala continua crux eſt. Impij enim & ſcelerati, atque tyranni quòcunque ſe vertunt, omnia ſibi dira, exitioſa, & infeſta eſſe perſpiciunt, vbique timent, horrent, pallent, tremunt, pauore concutiuntur, maleficiorumque conſcientia quotidiè cruciantur. Neque domi neque foris, nec in otio, nec in negotio, nec cũ ſuis, nec cum alienis tranquillo animo eſſe poſſunt. Cumque omnes contremiſcant, etſi alijs opulenti, diuites atque beati eſſe videantur, tamen omnium hominum miſerrimi ſunt. Quia ne ſomnus quidem, qui omnium curarum alleuamentum eſt

ill

illis quietem tribuit. Dum ſpecies eis horribiles in ſomnis obijciuntur, quæ illos quaſi furiæ ſcelerum vltrices, velut tædis ardentibus exagitant, & quòcunque mentem cogitationeſq; contulerint, inſectantur: illoſque & ſcelerum recordatione perterrent, & iudiciorum diuinorum metu conficiunt. Si fortè interdū aliqua inani voluptate fruantur, maxima tamen ex parte vita eorum eſt acerba, luctuoſa, & grauibus curis anxia, ita vt nunquā vno in loco conſiſtere queant, ſed cruciatib. infinitis affecti, triſtiſſimis curis contabeſcant, vt etiā in medijs epulis, in delitijs, & in voluptatibus angore conſcientiæ & maleficiorum pœna conficiantur. Nunquam ſine ſolicitudine, ſine metu, ſine trepidatione inueniantur. Quando bonos & pios viros honeſtatis iucunditas, & vera ſpes, atque fiducia in Deum, rectęque factorum conſcientia omni ſolicitudine liberat, & in ſummo etiam diſcrimine poſiti, diuino præſidio muniuntur. Quod indicat 50. dum aſſerit, eum qui non eſt ſibi malarum actionum conſcius, & veritatem colit, ſummum gaudium & animi tranquillitatem ſentire. Bias ille ſapiens aliquandò interrogatus: Quæ nā res in vita metu careret? Reſp. Bona conſcientia: in qua & libertas ipſa & ſūma voluptas conſiſteret.

QVAESTIO XXXVIII.

Quomodo recta ratio ſibi in promptu eſſet?

RESPONSIO.

Si hominum infortunia conſideraueris, reuoluens quales rerum viciſſitudines Deus adferat: alios nimirum honoribus ſublatos prouehat, alios calamitatibus opertos ignominia deijciat.

Hæc q. 8. 14. 16. 18. 20. ſunt explicata.

QVAE-

teſt in aliquo magno negotio cum laude verſari, niſi plures miniſtros, fideleſúe ſocios aſſciuerit. Rex certè omnium maximum difficillimumque munus ſuſtinet, cuius prouidentia reliqua omnia continentur:ideoque tantum ſtatum incolumem conſeruare nequit, niſi multorum hominum prudentum conſilio, virtute, fidelitate muniatur. Solus enim princeps omnia per ſeipſum ſubire non poteſt: quod ſi facere conetur, ſeipſum inani labore macerat, & reip. obeſt plurimum. Quod ſapienter olim Moſi Iethro perſuaſit.

Si vnis oculis omnia intueri, vnis auribus omnium poſtulata & querelas audire, vnis manibus omnia efficere conetur, fruſtra ſtudium, induſtriā, atque adeò vitam ipſam conſumet.

Varij ergò miniſtratus, & miniſtri deligendi ſunt, qui pacis & belli artibus, atque negotijs præſint, eaque rectè & iuſtè adminiſtrent, mores hominum peritè gubernent: quorum auxilijs conſilio, & auctoritate onus ſibi impoſitum leuiùs ferat. Hi nec ſine delectu, nec facilè adhibendi, ſed illius rei, cui adhibebuntur, periti ſint: lectis moribus, & integra fide præditi, pij, veraces, & iuſtitiæ cultores, Exodi 18. & hic q. 15.

Adulatores

Adulatores repellantur, quorum monſtro nullū immanius excogitari poteſt. Sūt enim illi peſtis reip. morum pernicies, patriæ turbo, atque procella, qui leges, pacis ornamenta, religionis præſidia, omniaque pietatis ſtudia peruertunt.

Cùm enim in fortitudine & modeſtia totum dignitatis regiæ fundamentum poſitum ſit, adulatores operam dant, vt principum corpora tenera & imbecilla, aſſiduiſque morbis obnoxia, & reip.

neceſ-

Digitized by Google

neceſſarijs rebus obeundis inutilia reddant, dum ea tradunt mulieribus effœminanda, animum autem libidinibus, ſuperbia, auaritia, crudelitate corrumpunt, vtque vmbratilis, imbecillus, valetudinarius, inſanus, demens princeps habeatur, efficiunt. Illorum opera fit, vt principum gaza non ſit virtutis, ſed libidinis inſtrumentum, & opes quæ erant bonis viris communicandę, ad homines impuros deferantur, vt decus pudoris intereat, vt honeſtatis ſtudium reſtringatur, turpitudo victrix exultet, innocentia miſerè vexetur, homines prudentes & honeſti deſpiciantur, illi contra honoribus afficiantur, qui principes à ſtudio virtutis auertunt, principibuſque perſuadent, vt viris bonis contemptis atque abiectis, falſa & inania conſectentur, tyrannidem exerceant, dum nimis omnia vel laudant, vel vituperant. De omnibus peſſimè, de ſe magnificè loquuntur. Immani auaritia ſunt, vt eorum cupiditas nunquam ſatietur. Ambitio ſic eos exagitat, vt omnes faſtidiant, vbique aſſentiũtur, omnia laudant, quæ principi placere ſentiunt, imò frigidam ſuffundunt, flagitijs, quibus principes deditos vident, virtutum nomina imponunt, à negotijs ad otium, libidinem, luxum traducunt.

Ne quis probus ad Regem accedat, ne aliquam authoritatem habeat, mendacijs & calumnijs procurant. Inter ſe autem fœdus feriunt, & ſocietatem ſceleris ineunt. Da, inquiunt, mihi operam mutuam, tu me laudabis apud Regem, ego viciſſim induſtriam & ſapientiam tuam verbis extollam. Tu dicito me dignum hoc honore, quem ambio, ego rurſus, te dignum prædicabo, qui orneris ſummis honori-

honoribus. Tu meam vrbanitatem laudato, ego ingenij tui acumen admirabor. Demus operam mutuam,ne quis alius in Regis familiaritatem veniat,qui opes,qui honores intercipiat, & qui iam in honore ſunt,in legationibus ad alios principes emittantur, tunc abſentes clanculum mordebimus, rebus eorum detrahemus, vt deſpiciantur à Rege, & nos locum illorum occupabimus.

Impedimento igitur Regi ſunt, ne bonorum præſidio ſepiatur, & fidelibus amicis, & conſilio ſalutari muniatur,ſic eum dies noctesq́ue circumuallant,vt bonorum auxilio denudetur. Cauent deinde, ne vlla literarum præſidia & adiumenta requirat. Studijs enim literarum dicunt corrumpi valetudinem, infringi vires, non decere principẽ in iſtis ineptijs occupari,quibus plebei ad opes & honores ſibi viam quęrunt.

Et longè adhuc maius ſcelus moliuntur,dum vna cum litararum pręſidio,diuina etiam ope principem ſpoliare & orbare contendunt, dum à religionis cura deterrent.Quod non ſacrificulus, ſed princeps ſit. Adulatores incitabant Saulem Regem contra Dauid, fideliſſimum miniſtrum & vnctum Domini. 1.reg:26.

Adulator Idumeus trucidat innocentes ſacerdotes, quos alij Saulis miniſtri ne attingere quidẽ volebant. 1.reg,22.

Similiter homines leues,obſcœni,temerarij,ſuperbi,ingrati à regis familiaritate repellendi,omniſq́ue aditus ſcurris intercludatur, qui intempeſtiuis iocis verecundiam tollunt,multos honeſtos homines conuitijs exagitant.

Nec

Nec propinquis, cognatis, amicis nimium hac in parte tribuere licet. Nam qui familiaritatis & naturæ illecebris emollitur, vt grauius apud illũ ſit amici, atque propinqui, quàm Regis aut regni dignitas, colat, palpitet, ſequatur eos, regni procurationem relinquat. Pernitiem infert reipub. qui leges & ſtatuta ſuorum gratia contemnit. Indignũ igitur valdè illos negligere, vel contemnere à quibus omnia quæ regem magnum & excelſum reddunt, & indignis propinquis tantoperè indulgere, qui tanta macula & labe nomen ſuum inficiunt.

Hæc pontifices & Epiſcopi atque prælati eccleſiæ cum magno ſuo dedecore, & publico detrimẽto experti fuère, qui propinquis ſuis abſque vllo diſcrimine virtutis & ſapientiæ nimium in mandandis magiſtratibus tribuebant. De quo plura vide quæſt. 65. Cumque tres in rep. hominum ordines ſint, quorum alij diuitijs, alij nobilitate generis, alij virtute dignos ſe putent, qui in Regis familiaritatem aſſumantur. An ergò Regis familiares & domeſtici ex vno tantùm ordine deligendi ſint, an ex omnibus, ſi in eis ſpecimen aliquod virtutis & probitatis eluxerit, à pleriſque dubitari ſolet. Nec deſunt in vtramque partem argumenta: Diues in magnis opibus ſe enutritum, & artibus ingenuis ſe educatum, multa præclara didiciſſe, diuitijs ſuis remp. domi & foris adiuuiſſe, pecuniam ſuam in communem vtilitatem contuliſſe, & poſthac ſimiliter facturum eſſe iactat, iuſtum ergo & rationi conſentaneum dicit ſe alijs anteferri.

Ex quibus ordinibus familiares eligendi ſint.

Nobilis claro & illuſtri loco ſe natum, maiores ſuos in omni genere virtutum excellentiſſimos exti-

extitiſſe ait, qui cum remp. opibus conſilio & virtute iuuiſſent, eam ob cauſam ſummis honoribus & ornamentis illuſtrati fuerint: ſe eorum exemplo ſolidæ gloriæ cupiditate flagrare, Regi patriæque fideliſſimum futurum, et ſuas cogitationes ad honeſtatem & ſalutem publicam conferre. Indignum ergò iudicabit ſibi diuitem ruſticano patre natum, in aliqua dignitatis ratione præferri.

Qui ſapientia & virtute excellunt, diuitibus & nobilibus meritò ſe anteponendos aſſerunt, quòd virtus ſemper & ſpecie illuſtris, & amplitudine admirabilis, & fructu ſalutaris extiterit: dignam ergò quę Regem circumſtet, ſummis honoribus & magiſtratibus pręficiatur. Aſſeuerabuntque ex virtute omnem nobilitatem ortum habere, eamque tam diu dignitatem ſuam retenturam, dum in illa ſplendor virtutis illuxerit. Nullam nobilitatem extare, quæ poſſit ab origine generis humani ſuæ claritatis ortum repetere. Vt fortè aliquis poſſit ſeriem maiorum ſuorum recenſendo multos homines claros enumerare, ad opifices tandem perueniet, & in ipſam plebem fecis, quam faſtidioſè cõtemnit, incurret: & ſui generis authorem à principio hominem obſcurum fuiſſe, ſed virtute imagines poſteritatis accepiſſe, apparebit. Si ergò indignum tunc quando ille cœpit è tenebris emergere fuiſſet, hominem obſcuro loco natum, quamuis magnitudine virtutis excelleret, in familiaritatem Regis, & nobilitatis lucem vindicari: hic, & multi alij nobiles, quos generis nouitas offendit, in perpetuis tenebris, & obſcuritate ſempiterna laterēt. Addent præclarum eſſe, cum virtute virtutis dig-

nitate contendere, non virtutis inuidia virtuti interitum machinari, propriam nobilitatem tueri, & aliam rectè naſcentem non impedire. Sicut nobilitatis initium & fundamentum eſt in virtute poſitum, ita ſola virtute illam conſeruari, & augeri, flagitijs verò interire, & ad veram ruſticitatem relabi. Sic enim natura comparatum, vt quod virtute ſplēdet, obſcuretur flagitijs, & quod induſtria partum eſt, ignauia amittatur. Diligens agricola nouas arbores ſerit, quæ alijs ſeneſcentibus exurgant, atque fructum ferant, ita Regi neceſſarium eſt, vt nobilitatis plantaria ſeminet, vt ſemper vetuſtæ nobilitati, nouæ eiuſdē propagines ſuccreſcant. Diuites quoque ſi virtuti ſtudeant ferendos quidem dicet, ſed qui abſque virtute diuitias iactant, à Regis familiaritate repellendos. Nam ſi ſecus euenerit, vt ſpreta nobilitate, & virtute, diuites honorati fuerint, & honores virtuti debiti ad pecuniam transferantur, nemo virtutem colet, omnes pecuniæ ſeruire incipient, & in cogenda pecunia certatim elaborabunt, virtutis induſtria languescet, iniquitas & fraus ad reip. totius perniciē erumpet, & regni ſtatus funditùs interibit. Omnes enim hoc diligentiſſimè conſectantur quod à Regibus honorari vident.

Harum trium rerum contentione omnes ferè ciuiles diſſenſiones, teſte Ariſtotele, excitari plerumque ſolent. Regis ergò munus eſt, vt vnicuique ordini ſuam dignitatem tribuat. Nam quando eodem honore digni cum indignis afficiuntur, vel dignioribus indigni præferuntur: inde odia, inde conſpirationes, inde tumultus ciuiles erumpunt, cū ſe præteriri aut contemni vident, qui reliquis

ſe præ-

ſe præſtare putant, & homines inæquali dignitate prędítos,ęqualib' pręmijs atq; munerib' donari moleſtè ferunt:&principem clariſſimũ ignobiliũ & nouorum hominum turba circunfundi,eorum miniſterio illius maieſtatem minui arbitrantur. Virtuti certè ſummum præmium honoris meritò adiudicatur:reliqui verò qui etiam dignitate certant,eijciendi non ſunt, ſi bonis artibus ſtudent,ſi honeſti,ſi gnaui, ſi fideles extiterint. Qui hoſtem feriet, is mihi Carthaginenſis erit, dicebat Annibal.

Ipſe Dominus dominantium ait: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me,erunt ignobiles.Nulla iuſtitię æquitas patitur, nec prudentiæ rationem habet, vt qui nullam reipublicæ vtilitatem afferunt, à rege honorentur,& reipubl.opibus ſaginētur, & quod erat induſtrijs & fortibus hominibus tribuendũ, ignauis & otioſis ſine vllo modo tribuatur. Imò vt apes fucos ignauum pecus arcent,quòd nec mel conficiant,ſed apum cura& induſtria& ſedulitate confectum mel intemperanter abſumant: ſic homines ignaui, qui tanquam fuci nullam operam reip.nauant,omnes tamen reipub. opes liguriunt, atque deuorant à Regni finibus expellendi & eijciendi ſunt. Ne noceant ipſi, & ne alios ſuo pernicioſo exemplo inficiant. Secluſis ergò,adulatoribus,Scurris,& ineptis hominibus, vbicunq; indoles honeſtatis viguerit,alenda & excitanda eſt, vt honeſta æmulatione,omnes nobiles,diuites,& ſapientes ad virtutis ſtudium inuitentur. 1.reg.2.

In quocunque genere hominum virtutem nitere perſpexerit Rex, illud ad honeſtandũ ſuſcipiat,

ſi id fuerit ignotum, nobilitet, ſi egens, locupletet, ſi fuerit humile, in altum dignitatis gradum extollat, ſibique familiare efficiat, re ipſa & factis oſtendat, omnes virtute præditos ſibi charos eſſe.

Hac ratione Cyrus, Alexander Magnus, Iulius Cęſar, qui ſe multis fortibus, ſapientibus, induſtrijs miniſtris ſtipárunt, orbem terrarum multaſque nationes ſub Imperium ſuum redegerunt, & res memorabiles pacis & bellorum tempore effecerunt. Dificile enim eſt, vt princeps magnanimus, bonorum conſilio firmatus, fortium hominum comitatu circumſeptus, vinci aut ſuperari poſſit. Suauiſſimos quoque fructus ex bonorum conſuetudine Principes percipiunt. Ná ea plurimum illis dignitatis adiungit, quibus improborum familiaritas lábem & maculam dedecoris erat allatura. Talem opinionem de principum moribus & vita concipiunt homines, quales ſunt eorum mores, quorũ familiaritate implicantur. Deinde prudentia non ſolùm paratur, ſed etiam augetur prudentũm conſuetudine. Vnde Theogines:

Recti recta monent, prauos ſi audiueris, illi
Quicquid habes mentis fraudibus eripient.

Accedit animus magnus, atque rei benè gerendæ fiducia. Si enim princeps bonos & ſapientes viros ad ſuam familiaritatem adiunxit, eiſdemque ſuam ſalutem & dignitatem credidit, certus de illis eſt, quòd nec temeritate labi, nec metu frangi, nec perfidia corrumpi vllo modo poſſint. Hoc quoque illi Principes, qui bonis hominibus vtuntur, ex eorum conſuetudine præſidij capiunt, vt

eorum exemplo, & admonitionibus, & verecundia, faciliùs vitia comprimant, libidines ſuas teneant, modeſtiæ & temperantiæ dulcedine fulciantur.

Poſtremò, ille princeps qui ſibi bonos deuincit, illa iucunditate perfruitur, quam alij principes ſentire non poſſunt. Quid enim eſt amico fideli in vita dulcius? quid ad fructum melius? quid ad ſecuritatem munitius?

Quo commodo deſtituuntur omnes principes, qui non omnem curam & ſolicitudinem ad bonos viros eligendos conferunt, & eos tantùm, qui ſe ſimulato officio inſerunt, & intrudunt in familiaritatem, recipiunt. Quando non qui ſe venditant, & ficta ſedulitate, ſimulataq; virtute ſeſe inſinuant, recipiendi erant, ſed qui ſapientia, & fide præſtăt, regiaque virtute præditi ſunt. Talium virorum fide, virtute, cura, vigilantia ſepti principes, neque prodi, nec deſeri, nec in fraudem abduci poſſunt, ſed in eorum virtute, ſapientia, fidelitate conquieſcent, in illis denique ponent laboris ſui alleuamentum, honeſtiſſima pacis ornamenta, firmiſſima belli præſidia, ſummam in ſecũda fortuna iucunditatem, tutiſſimum in aduerſa refugium: Ita vt non ſolùm Regis opes & diuitiæ, dignitaſue regia, ſed etiam animi ſecuritas, & oblectamentum in amicorũ & familiarium ſapientia, & virtute, & fide conſiſtat. Vnde Dyon ad Dyoniſium ſcribens aiebat: Nõ videmus in tragœdijs principes argẽti inopia, ſed amicorum penuria cõcidiſſe. Princeps igitur qui multos homines virtute & ſapientia claros ſibi coniungit, fidelibuſque amicis ſtipatur, multis oculis, quæ ſunt illi ſpeculanda, proſpiciet,

multiſque auribus omnia quæ ſunt audienda cognoſcent, vt labi & errare non poſſit.

Iſocrates Regi ſuo præcipiebat, ne cum omnibus familiariter conuerſaretur: ſed cum optimis & eruditis viris, quorum opera & conſilio magnas res optimè gerere poſſit, qui de rebus diuinis piè diſſerant, ciuili ſapientia imbuant, arcana naturæ & rerum interpretentur perſuadeatque ſibi, tali ſe ingenio & natura ab omnibus iudicari, quales ſunt illi, quos aſſidua conſuetudine & amicitia coniunctos habet.

Officiorum confuſio.

Illi amici & miniſtri atque familiares principum ſinguli ſuum officium nôrint, aliena munera ne inuadant. Omnis reipub. interitus in munerum & officiorum atque magiſtratuum perturbatione conſiſtit. Dum quilibet ſuum negotium non facit, ſed alienum vſurpat, nihil rectè fit, ſed omnia perturbari, & commiſceri neceſſe eſt, & tandem rempubl. diſcordijs fractam, atque dilaceratam extingui. Vt enim ſutor artem ſuam tueri nequit, ſi ſimul tonſor eſſe velit, neque tonſor in ſua arte rectè verſari poteſt, ſi ſimul calceos facere conetur, & ſimiliter in alijs huiuſmodi artificijs, qui neglecto ſuo, alienis operam dat, omnes, quantum in ſe eſt, illas artes euertit: ita in publicis muneribus qui pluribus fungi cupit, cum vix vni par ſit, oneribus ipſis cum magna reip. pernicie ſuccumbit. Peſſimeque agitur cum Principe & repub. cum miles mercatoris officium vſurpat, aut quilibet eorum qui certo numero præſunt officio ſuo minimè contenti, reliquos ſuis muneribus & magiſtratibus pellere nititur, vt ipſe eos adminiſtret. Multa enim malè gerat opus eſt, qui multa ſimul geren-

gerenda ſuſcipit, in quibus exercitatus non eſt.

Nam & ſuum officium non facit, & aliena conturbat, officiorumque omnium rationem & ordinem peruertit, & cauſam præbet, vt boni & vtiles viri à muneribus repellantur, & vt ciuiles diſcordiæ peſtiferæque diſſenſiones oriantur. Tot mala officiorum communium confuſio communibus rebus importat. Ex familia & miniſtris ſuis Domini vulgò æſtimari ſolent, vide quæſt. 65. Iccircò ſacris canonibus rectè conſtitutum eſt, quòd familiares Cardinalium & Epiſcoporum & Prælatorum Eccleſiæ debeant eſſe probi, & honeſti: quales etiam in dubio eſſe præſumuntur. Quod pluribus canonibus & argumentis 2. q. 7. docetur. Sed quis neſcit, inter multas oues bonas plures infectas reperiri, & inter illas bonas, plures lupos, ait Quintil. Man doſ. ad reg. Cancell. 32. q. 8.

Vt ad adulatores & aſſentatores reuertamur, nulla pernicioſior beſtia in aulis principum reperiri poteſt. Nam principum præcordia vulnerat ſub ſpecie amicitię, viperam ingerit, blāda eſt, ſed aſpera, dulcis ſed amara.

Plutarchus inter verum amicum & adulatorem diſtinguit: Quod amici in rebus proſperis vna lætentur & gaudeant, in aduerſis ſolatio atque vſui exiſtant: adulatores mutata fortuna, tanquam pediculi à moribundo corpore auolant. Amicus virtutes tantùm & rectè facta laudat parciùs, & in hoc etiam reprehendit; adulatores omni tempore hilares ſe ac blandos exhibent, vbique volūt placere. Omnibus aſſentiuntur, ſi ait quis, aiunt *Vide Iuuenalem ſatyra 6.*

& illi, ſi rurſus neget, negant ipſi quoque: Curioſiſſimi in officijs vtiles ſe prębere conãtur, vel ſaltem vt vtiles putentur, cum ſint peſtilentiſſimi, moreſque & ſtudia ad aliorum mores componere laborant. Amicus ijſdem de rebus eodem ſemper modo ſtatuit & iudicat: non alias nunc hic eſt, quàm alibi fuit; eadem ſemper probat, eadem improbat: adulatores verò polypi mentem induunt, nunquam facto volunt repugnare, nec verbis offendere.

Amicus nec laudat omnia, nec imitatur, ſed optima tantùm. Sententiam rogatus dicere, non approbat niſi honeſta & vtilia, nec abſque deliberatione reſpondet, quæ proſint magis, quàm quæ delectẽt. Adulatores verò omnia laudant, imitantur & vitia, ex tempore reſpondent, quod Principi placere iudicant, deterrent a curis atque neceſſarijs laboribus pro republica. Cumque duæ in homine partes ſint: animum præcipuè amicus curat: adulator brutum, affectibuſque obnoxium corpus titillat, abducit à ratione, ad voluptates & otium transfert, nec auxilio eſt Principi in gubernanda republica, ſed detrimento.

Præterea, vt veritatis oratio ſimplex eſt, ſic amici mores ſimplices ſunt, ſynceri atque fuco carentes, multa in negotijs prætermittunt amici, minuta nuſquam exactè diligentes, nuſquã curioſi, neque ſemetipſos in quoduis obſequium ingerẽtes. Aſſentatores verò in huiuſmodi officijs aſſidui, perpetui, atque infatigabiles ſunt, vt nullum alijs locum relinquant, nec ſpatium inſeruiendi, ſed exigunt, vt ſibi mandetur: & ſi mandatũ non fuerit, moleſtè ferunt: ſalutant eminùs, ſi priores viſi

appel-

appellati fuerint, excuſant ſeſe, teſtibus atque iureiurando adhibito: vbique corpus, vitam, bona offerunt, omnia quibus Principes delectantur: ſcorta, canes, epulas, animos præparant, atque eadem ipſi peragunt in gratiam.

Propterea Athenienſes adulatores capitalibus ſupplicijs afficiebant.

Quo ditiores, altiores, & præſtantiores erant, eo ſibi & ſuis turpiorem infamiæ notam inurebant. Nullatenus ergò Principes vanis eorum afflatibus moueantur.

Beatus Chryſoſtomus ad Eutropium ſcribens, de verorum amicorum & adulatorum differentia pulchrè diſſeruit:

Nonne tibi dicebam cum me frequenter corriperes & increpares vera proſequentem, quia ego te magis diligerem, quàm illi qui adulabantur? Ego qui arguebam te, plus tibi profueram, ſi audire voluiſſes, quam illi qui aſſentabantur. Non meminiſti cum dicerem tibi, quia meliora ſint vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimicorũ? Si mea verba quæ tunc vulnera videbantur audiſſes, nunquam tibi oſcula adulatorum iſtum exitum peperiſſent: Mea enim verborum vulnera ſanitatem ferebant, Illorũ autẽ oſcula & blandimenta morbum tibi inſanabilem generabant. Vbi ſunt illi nunc, qui te in foro longis ambagibus conſultabant, qui domi foriſq́ te laudabant? Abnegauerunt te omnes amici tui, diſceſſerunt, vnuſquiſque in ſua, & nudum te atque inanem reliquerunt, nullus illorum, vel propè accedere auſus eſt. Nos verò non ita, ſed & tunc cum difficilis eſſes, te durus admonita noſtra, non pertimeſcebamus, & nunc

caſum tuum non perhorremus,nec deſerimus,ſed quantum poſſumus, ſubleuamus: & Eccleſia quidem,quæ à te impugnata eſt,apertis te gremijs ſuis ſuſcipit. Turbæ verò illę theatrales pro quibus aduerſum nos ſæpe inflatus es, acclamant interitum tuum,nos tamen nunquam ceſſauimus,dicentes tibi:Quid agis?Quorſum hæc?Cur ad inſaniam prouocas ciuitatem?Cur populos, tantæ vrbis ſpectaculorum contentione præcipitas? Sed tu nihil horum curabas, qui imò diuitias tuas in his conſumebas,à quibus nunc gladij acuũtur in te. Eccleſia verò,quæ iram tuam & impetum furoris tui ſæpè perpeſſa eſt,vbique diſcurrit & ſatagit,& ex iſto te laqueo conatur eripere.Verùm hęc dicens non inſulto lapſis, nec ſuperbo pede ceruices iacentiũ calco,ſed eos qui ſtare videntur, ſolicitos reddo, non ſauciato vulnus exaſpero,ſed eorũ,quos nondum inuoluerunt aduerſa tenebrarum, conſeruare cupio ſanitatem. Vtinam hæc perpenderent illi qui ab adulatoribus ad perſequendam eccleſiam Dei, & religionem Catholicam ſeſe abduci patiuntur.

Eccl 19. Amictus verò corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis denunciat de eo.

Quibus verò conſiliarijs vtendum ſit, q.52.cognoſcetur,& de veris amicis 58.fuſiùs diſſeruit.

QVAESTIO XLI.

Quæ eſſet maxima negligentia?

RESPONSIO.

Si quis negligat filios, nec eos rectè informet erudiatque: nam oramus Deum non tantùm pro nobis,ſed etiam pro liberis, vt ijs accidant omnia

proſpera. Vt autem illi cupiant & conſequantur temperantiæ diſciplinam, hoc gratiæ atque virtutis diuinæ eſt.

Quòd parentes iure diuino & humano teneantur liberos, quos reipublicæ genuerunt, rectè ęducare, libri ſecundi officiorū ſcholaſticorum capite primo declaraui. Id verò ad Principes vel maximè pertinet. Sapientiſſimus ille Socrates aiebat: Benè natis bonam rectamque inſtitutionem in primis eſſe neceſſariam: vt ſicut generoſi equi, quando rectè inſtituuntur optimi fiant, neglecti verò, aut deprauati ferociores atque pernitioſiſſimi.

Rectè etiam dixit Cicero nona Philippica: Nec monumentum vllum clarius, nec beneficium aliud maius reipublicæ parentes adferre relinquereque poſſe, quàm ſi bonorum morum ſuorum, virtutis, conſtantię, pietatis, ingenij effigiem liberis relinquant.

Multorum Principum filij cum omnibus alijs rebus fortunatiſſimi exiſterent, eò reliquis infœliciores apparuerunt, quòd à parentibus in iuuentute neglecti, inter adulatorum & improborum hominum greges malè educarentur, quorum oratio & mores nihil præter ſcelera & turpitudines docerent.

Inde enim fiebat, vt magiſtrorum ſimiles, hoc eſt, improbi, ſcelerati atque reipublicæ peſtes euaderent: & non rarò gloriam Maiorum, opes, imperium, & vitam amitterent. *Vide q 8.*

Vtilius fortaſſe reipublicæ foret, principes abſque liberis emori, quàm malè inſtitutos relinquere: quo-

re:quorum vitijs tota reſpub.inficeretur,atque ingens detrimentum caperet. Nam quantum reipublicæ atque parentum intereſſet,vt rectè Iuuentus educaretur lib. 2. officiorum ſcholaſticorum cap. 4.aperui. Si ergo priuati, niſi rectè inſtituantur, crebrò degenerant,parentiſque familiam, propinquos, patriam dedecorant: longè maiore cura opus eſt his, quos cum adoleuerint ne admonere quidem auſit aliquis, & de quorum vita & moribus, totius populi mores fortunæque dependent.

Bonus itaque pater non tam ſibi, quàm patriæ liberos genuiſſe credat: nec tam ſibi & ſuis affectibus, quàm patriæ educandos opinetur, nec priuatos affectus publicæ vtilitati anteponat.

Vt Theodoſium Imperatorem in filiorum ſuorum educatione feciſſe refert Niceph. lib. 12. hiſtoriæ eccleſiaſticę cap. 23. Si hoc omnes Principes pro exemplo caperent: profectò meliores magiſtratus, & rempublicam florentiorem haberemus.

Id verò non in proprijs tantùm filijs curare Principes oportet, vt illi rectè inſtituantur:ſed in omnium quoque totius regni atque vniuerſæ reipublicæ ciuium filijs obſeruandum eſt.

Præcipuè autē illa cura ad Epiſcopos pertinet: quoniam hinc eccleſiæ catholicæ inſtauratio & reipublicæ Chriſtianæ ſalus dependet, vt alibi ex profeſſo à me eſt comprobatum.

Quantum verò referat,& vniuerſæ reip. interſit vt Iuuentus à bonis præceptoribus rectè inſtituatur,in libris officiorum,& academiarum,& in tractatu de ſapientia pluribus verbis & exemplis declara-

declaraui. Ex illa enim ęducatione puerili vniuerſæ reipublicæ ſalus vel interitus dependet. Si hoc tantum momentum habet in plebeis hominibus, quid de Regibus & principibus dicendum erit? Reliqui enim homines ſi malè inſtituantur, ſibi tantùm nocent: at Princeps, ſi fuerit improbus, totam Rempubl. corrumpit, atque euertit. Quod in Cyro demonſtrauit Xenophon. Priuatos homines primum continet in officio rei familiaris anguſtia, deinde parentum diligentia, verberúmque formido, & cum adulti fuerint legum & iudiciorum metus. Regum & Principum filij nobilitate tument, otio laſciuientem, iuuenta & temeritate præcipitem, adulatoribuſque circumſeptum animum habent.

Quanto igitur magis opibus florent, legibuſque propter potentiam magis ſoluti ſunt, eò pluribus & firmioribus præſidijs muniendi erunt, firmanduſque eorum animus, ne ruat, & ratio contra omnes cupiditatis impetus fulcienda. Quò igitur munus eſt amplius, & inſidię plures, & periculum grauius, eò diligentior cura adhibenda eſt. Dandaque opera, vt cum lacte nutricis, ſi fieri poteſt, Regiæ virtutis diſciplinam hauriant.

Ex tot potentiſſimis Perſarum Monarchis, neminem verè magnum Regem appellari poſſe, Plato aſſerebat, præter Cyrum & Darium Hiſtaſpis filium: quod cum neuter eſſet Magni Regis filius, fuerint ſub legibus & diſciplina, cum alijs honeſto loco natis pueris, diligenter inſtituti. In ſacris biblijs, authore ſpiritu ſancto, tam multa de æducatione præcepta inueniuntur, omnibuſque regibus & principibus memorabile exemplum reli- 2. reg. 2.

quit

quit Rex & Propheta Dauid, quod filium & ſucceſſorem ſuum Salomonem tam piè tamque ſapienter erudiuit.

1.reg.1. Tob.1. Samuelis parentes, & Tobias ſenior ob diligentem inſtitutionem filiorum prædicantur.

Philippo Macedonum Regi potentiſſimo immortalem gloriam peperit diligens ſtudiũ, quod in Alexandro Magno filio ſuo inſtituendo, erudiendoque collocauit.

Cum enim Alexander natus eſt, ſcripſit ad Ariſtotelem philoſophorum decus: Se non tãtas Dijs gratias agere, quòd filium ea olympiade ſuſcepiſſet, quam quòd eo tempore ortus ille eſſet, quo poſſet ab illo clariſſimis diſciplinis informari. Quem Alexandrum ſuis diſciplinis ita recoxit Ariſtoteles, vt maximus & optimus Imperator euaderet: qui alioqui fulgur & fulmen, atque peſtis Grçciæ fuiſſet.

1.reg.2. Heli ſummus Pontifex & Dux Iudæorum, quod filios ſuos non rectè inſtituiſſet, à Deo punitus eſt, & ſacerdotium ab Heli familia ad Samuelem tran-
1.reg 8. ſlatum fuit, 1.reg.2. Similiter propter filiorum Samuelis improbitatem, Iudæi, ſpreto ſacerdotum Imperio, Regem ſibi dari poſtulârunt.

2.reg.13.& 14. Dauid Rex primogenitum ſuum Ammon præ cæco amore mitius & indulgentius habuit, & propter commiſſum inceſtum cum Thamor ſorore ſua, contriſtare noluit: Abſolon Thamar frater, Ammon trucidauit, & Dauidem patrem Regno deiecit.

3reg.1. Mortuo Abſolone, frater illius Adonias inſolentiùs agere cœpit, cumque non corriperetur à patre Dauide, regnum affectabat.

Athalia mater Ochoziam Regem Iudæorum impulit, vt impius eſſet, & patris Achab ſcelera imitaretur, ſed in ſuam, & filij ſui perniciem. 2. paralip. 23.

Nemo artifex mechanicus eſſe poteſt, niſi prius multam operam det artifici, qui in illo artificio pręcellat, nec pila ludere, nec perſonam agere, nec ludicrum aliquod munus exercere quiſquam venuſtè poteſt, niſi id multò antè didicerit. Multo certè magis illius animum rectè prius inſtitui atque informari oportet, ad quem omnis reip. gerēdæ poteſtas deferetur. Quantum malum Reip. importent principes malè educati & temerarij, poētæ ſapienter admonuerunt exemplo Phaëtontis, qui ſua Imperitia & temeritate terras, flumina, fōtes flammis exuſſit, & ipſe tandem fulminis incendio conflagrauit. Quoniam verò ſummum momētum eſt in omni rerum initio atque fundamento ponendum, qualia namque ſunt principia, tales plerunque exitus conſequuntur: iccircò danda opera eſt, vt principis animus, dum tener eſt, dum regi poteſt, dum ſe docilem præbet, ab incunabulis admodū diligenter diſciplina Regia inſtituatur. Et in primis, ſummo ſtudio & diligentia magiſter quærendus eſt, qui & pietate, & doctrina, & recta inſtituēdi ratione excellat. Sit ille probus, doctus, diſertus, & moribus rectè conſtitutus, homo granis, & ſapiens, omniq́ue virtute ornatus. Magiſtrorum vitia diſcipulorum animos quaſi lue quadā & peſtifera cōtagione cōtaminăt. Verè doctū requiro, arrogātiā temerariā deteſtor. Arrogātes. n. puerorū ingenia ſubtilitatibus obtundūt, & ambitione inflati, dum ſeipſos oſtētant, faſtidio pueris *Magiſter qualis præficiendus ſit.*

ſunt

ſunt,& illorum odium in literas accendunt. Fit igitur ſæpenumerò,vt priuſquam pueri aliqua ſuauitate literarum allici queant, tantum in illas odium concipiant, vt nulla ratione poſſint ad earũ ſtudium impelli. Tolerabiles & venia digni ſunt, qui cum ſapientes non ſint, minimè ſibi ſapientiam arrogent : intolerabilis & execranda eorum inſcitia eſt, qui ſibi eam ſapientiam aſſumunt,cuius ignari ſunt.Qui neque medicus eſt, neque medicum ſe eſſe profitetur,ſi ægrotum non ſanat,nemini etiam vitam ſuis medicamẽtis eripiet: qui ſe medicum eſſe credit,& profitetur, cùm medicinæ imperitus ſit,neminem quidem morbo leuare, multos autem vita priuare poteſt. Sicut olim imperitos medicos audacter feciſſe commemorat Plinius. Similiter ſi homo nauigandi imperitus ſe optimum gubernatorem eſſe iactauerit, non tamen illi quiſquam gubernacula tractanda permiſerit,nauis ſalua permanebit, ipſe ſtultitiam ſuam prodit:at ſi nauis illi commiſſa fuerit, tum demũ ſibi atque vectoribus cladem afferet, omniaq; peruertet.Quò autem amplius illud munus erit,quod Ziolus affectat,eò erit amentia illius infeſtior. Si ergò erudiendæ iuuentuti, præſertim Regiæ & illuſtri,talis magiſter prȩficiatur,qui in ſumma imperitia,ſummam ſibi ſapientiam arrogauerit, vniuerſam remp.perdet.Et ſicut muſicæ ignarus ſi cytharam pulſat,ridiculum ſe oſtendit: idem imperito ludi literarij magiſtro eueniet. Cum furioſus omni vinculo ſolutus ferrum ſtringit,quò violentior eſt,eò maiorem ſtragem edit: ſic de imperito, & audace temerarioque ludimagiſtro,& principis præceptore ſtatuendum eſt. Quiſquis ad erudien-

dum

dum Principem adhibitus fuerit, cogitare debet, quantum munus ſuſceperit, quodque ſuæ fidei à patria creditus eſt ille, cuius virtute, probitate, diligentia (poſtquam ad maturam ætatem peruenerit) omnis reipub. vita, ſalus, & dignitas conſiſtit: Opera igitur illi magiſtro danda eſt, vt Regium puerum, & Rempub. olim gubernaturum principem diligenter informet, & magna prudentia vſus, indolem virtutis voluptate quadam dulcedineque laudis alliciat, vt facilius paulatim ad officium inſtituatur. Magnum enim Regiæ virtutis fundamentum in pudore & verecundia puerili conſiſtit. Rarò virgarum formidine, ſæpiſſimè infamiæ timore, crebró gloria à flagitio ad virtutes reuocetur, & ab adulatorum, lenonum, ſcurrarum grege abducatur. Amiſſo enim pudore totũ quoq; ſtudium dignitatis, honeſtatiſque extinguitur. Magnus ille Theodoſius filijs ſuis præcepit, vt Arſenio magiſtro ſemper obtemperarent, nec vnquã coram eo ſederent: magiſtro autẽ vt ipſe ſederet, & nec ad eorum peccata conniueret.

Officiorum illius præceptoris.

Habeat rationem ætatis, dignitatis, & temporis. Principum alia indoles, atque natura eſt, quàm cęterorum hominum, ſingularis ergò hic prudentia requiritur. Sapienter faciunt illi, qui cupiunt filios ſuos aliquo artificio excellere, cum eos ita à teneris annis informant, vt id ludibundi conentur: facile namq; eſt, artis alicuius protectionem aſſequi, quam puer per ludum aſſiduè eſt imitari conatus. Regius puer non modò cum magiſtris operam dat, ſed etiam cum ludit, de officio ſuo commonefiat, illiſque ludis maximè aſſueſcat, qui paulatim ſtudio laudis & regiæ dignitatis eum accen-

dere poſſint. Principis igitur magiſter omni inutili labore eum alleuiabit, neceſſariumq; laborem, & laudis dulcedine, & non inutili ſermonis vrbanitate iucundum efficiet. Hoc videlicet modo, ne vel nimia laude inaniter efferatur, vel nimia vituperatione, aut ſeueritate frangatur, & ſpem dignitatis abijciat, nec nimia lenitate aut indulgentia degeneret. Animi & corporis ratio diligẽs habeatur: vt & corpus ſit valetudine firmum, ſanum, & valens: animus rectè vita & moribus conſtitutus. Vtrumque in principe neceſſarium eſt: Sanitatem & vires in corpore victus moderatio, atque exercitatio efficit. Animi ſanitas & robur, virtutis inſtitutione, & honeſtatis diſciplina, atque religionis cultura, & ſtudio philoſophiæ continetur.

Tria ergò ſunt quibus principem inſtitui oportet: palæſtra, literis, & religione, vt animus pietate, & honeſtis moribus repleatur, tum legibus & diſciplina confirmetur. Palæſtra quidem, vt curſu, telorum iaculatione, & ludicra inter æquales armorum concertatione, & ſimilibus honeſtis rebus moderatè exerceatur. Sic enim corpus robuſtum, & pulchrum, & animus pariter alacrior, & ad res ſtrenuè agendas promptior fiet. Venatio corpus exercet, frigus, æſtum, ſitim, inediam tolerare docet, & bellicis rebus aſſueſcit. Cauendum tamen, ne dum princeps nimis venationibus oblectatur, plus nimio duretur, aut agreſtis, aut immanis, aut diſſolutus euadat. De multiplici Salomonis venatione lib.3. reg.3. Menoch. lib.2. de arbitr. Iud. caſu 413. VVeſenb. lib.41. D. tit.1.

Exercitationes corporũ. Vide q. 32.

Venatio.

Iſaac diligebat Eſau filium quia de venatione illius veſcebatur, Geneſ.27.

Phil

Philoſophiæ ſtudio nihil vtilius ad Reges erudiendos & cohoneſtandos cogitari facilè poteſt. Ingenium ergò literis diligenter excolendum, artiumque maximarum diſciplinis acuendum: vt ſapientiam regio muneri maximè neceſſariam cōſequatur. Hæc enim ſtudia pudorem & modeſtiã ingenerant, animum cupiditate dignitatis incendunt, & ad remp. ſalutaribus inſtitutis temperandam erudiunt: egregiam dignitatem, veramque gloriam principi apportant, & infinitos iucundiſſimos atque neceſſarios vſus producunt. *Bonarum literarum vtilitas.*

Tertiò curandum, vt princeps à primis ſtatim annis, ſummo ſtudio veræ religionis imbuatur. Sine qua nullum ſtudium veræ dignitatis extare poteſt. Omnes enim virtutes à Deo manant, illiuſque beneficio & numine continentur, quod numē pietate & religione placandum eſt, omneſque virtutes religionis gremio atque ſinui inſunt. In primis ergò eſt Regis animus religione imbuendus, & ad cœli conſpectum frequenter excitandus, vt, ſi fieri poſſit, cum lacte nutricis diſciplinam pietatis hauriat. Omnium virtutum fons, & origo, & incrementum, & abſolutio vna religione continetur. Illius igitur fundamentum eſt à primo ætatis initio ponendum, vt faciliùs omne genus virtutis extrui, & exaggerari poſſit. Admonendi ergo à pueritia ſunt, vt Deum ſanctè venerentur, intelligãtque nihil eſſe Dei amicitia vtilius, nec magis neceſſarium. *Religionis cultura.* *Vide q. 8.*

Si principis corpus exercitatione firmatum, animus præclaris artibus excultus, & vera religione delibutus fuerit, hoſtes eum exhorrebũt, ciues miro amore diligent, Deus eũ præſidio ſuo fulciet, &

præſenti numine tuebitur. Ita tamen literarū ſtudium cum corporis exercitatione coniungatur, vt neque nimium ſtudium literarum ſine corporis exercitatione, neque corporis exercitatio ſine literis animū humanitate ſpoliet, aut ab officio abducat.

In religione etiam ſuum munus, & ſuos limites nôrit: vt religionem veram à falſa, & à ſuperſtitione diſcernere diſcat. De exercitatione corporis, & ſacroſanctę religionis doctrina q. 1. & 32. dictum eſt: quibus artibus Principem imbui expediat, non nihil commentandum duxi.

Hiſtoria. Ex hiſtoricis authores enarrare conuenit, Cæ-*Vide q. 68.* ſarem, Saluſtium, Liuium. Sunt enim illi in rerum geſtarum explicatione prudentes, & latini ſermonis elegantiam puritatemque cum ſententiarum grauitate coniungunt, & quilibet in ſuo genere ſummam eloquentiæ laudem conſequutus eſt. *Cicero legẽdus.* Cicero non ſolū eloquentiſſimus, ſed etiam optimus princeps extitit, vt non ſolùm ſummus dicẽdi, ſed etiam ſummus reipubl. moderãdæ magiſter habendus ſit. *Virgilius* Vergilij quoque ſummum ingenium *Horatius.* & orationis magnificentiā admirari diſcat, & Horatij ſententijs & vrbanitate delectetur.

Plato ea poëtas ſcribere voluit, quæ viros bonos efficerent, docerentque bonos eſſe beatos, malos verò miſeros, etiamſi fortunati & diuites habeantur. Tales poëtæ mirificā gratiam habent: miſcent Gratias Muſis, & orationem gratiorem ſuauioremque reddunt. Obſcœni verò, & molles atque effœminati poëtæ ab aula principis, totiuſque patriæ finibus eijciantur. Quod in tractatu Sapientiæ ex profeſſo ediſſerui.

Lycur

Lycurgi atque Solonis legibus omnes adoleſcentes Muſices eruditi erant. Plato etiam, & Ariſtoteles multa de Muſicæ ſtudio ſanxerunt, quod valdè pertineret ad amorum cultum, & liberalem nobilitatis inſtitutionem. Illa enim continet honeſtatem, labores aliqua ſuauitate atque iucunditate lenit, animumque ſedat, & mitigat, & vim regiam moderatur, & ab immanitate ad humanitatẽ reuocat: Regibus ergò Muſica etiam colenda eſt. Dummodo caueatur: ne dum vocis harmoniam ſtudioſè perſequitur, harmoniam animi temerè diſſoluat. Alexandro Magno Paridis citharam olim oblatam fuiſſe aiunt, quæ à vulgo ſummopere honorabatur, quam ille repudiauit: Achillis, inquiens, non Paridis citharam cupio. Laſciuam & flagitioſam Muſicam procul Regibus ablegandam ſtatuens. Idem indicauit Plato, quando legibus ſanxit, ne genus Muſicę eſſet multiplex, & effœminatum, ſed ſimplex, ſeuerum, & graue. *Muſica.*

Arithmetica præteriri non debet. Nec enim principis officio rectè fungetur, qui numerare neſcit. Nam belli tempore quomodo exercitum numerabit, quo ordine caſtra locabit, qua ratione pro numero militum aciem inſtruet, præmiaque pro virtutis ratione, & æquitatis menſura diſtribuet, qui fuerit numerandi imperitus? Iſtis enim in rebus Principem, tanquam patremfamilias, diligentem atque vigilantem eſſe oportet. *Arithmetica.*

Nec abſque Geometria agri rectè diuidi, caſtra locari, vrbes extrui, arces muniri, iudicia conſtitui poſſunt. Si metiendi rationem ſuſtuleris, & iuſtitiam & ciuium concordiam multaſque vtilitates è medio tolles. *Geometria.*

Aſtrologia. Illa diſciplina quæ aſtra comtemplatur Rege digniſſima & iucundiſſima eſt: Inde quanta Dei potentia ſit, quàm ſingulari ornatu omnia diſtinxerit, quanta benignitate generi humano proſpexerit, quàm pulchra, quàm ampla, quàm conſtantia ſint corpora cœleſtia, quàm concinnus & perpetuus aſtrorum curſus ſit, elucet: vt inde in Dei amorem, & ſtudium virtutis atq; dignitatis Regiæ paulatim inflammentur, & ex ea cœli conſideratione excelſior, conſtantior, benignior animus efficiatur.

Mathematicas diſciplinas neceſſarias eſſe principi aſſerit Franciſ. patrit. Sen l. 2. c. 13. de regno

Dialectica. Dialectica minimè negligenda eſt, quæ ſermonis fallaciam detegit, ſophiſtarum inſidias explorat, laqueos aperit, atque diſſoluit, ambigua diſtinguit, argumentorum copiam in qualibet re ſuppeditat, verum denique à falſo (quod principi maximè congruit) diſcernit.

Rhetorica. Rhetorica etiam Principibus inſtituendis accómodata ars eſt: Oratione enim, quæ ſententijs grauibus, & verbis ſplendidis ornata atque inſtructa eſt, nihil excogitari poteſt, ad alliciendas hominũ voluntates, & animos impellendos vehementius, nihil ad remp. conſtituendam efficacius. Eſt enim eloquentia, dicendi prudentia. Rex autem prudentiſſimus ſit neceſſe eſt, & omnem prudentiam ad reip. vſum conferat. Prudétiæ vero vſus eſt in verbis, & in operibus conſtitutus, vtrumque regium eſt, & prudenter dicere, & officio prudenter incúbere: in vtroque autem ſtudio, & benè dicendi, & rectè agendi olim omnis regia diſciplina conſiſtebat, teſte Homero. Valdè principi opus eſt, vt animos ſuorum ad ſe allicat, amorem excitet, fidẽ faciat, ea quæ ſancit atque decernit ad reip. ſaluten

condu-

conducere. In bello milites Regis oratione cohortandi, ciues in pace firmo vinculo cõcordiæ & ſocietatis alligandi, quod ſine egregia eloquentia fieri nequit. Homines infantes quantumuis optimè ſentiant, non poſſunt propter impedimentum linguæ reip. vulnera ſanare, multaque pericula propulſare, quæ, ſi fuiſſent diſerti, orationis armis facilè depuliſſent. Sit ergò animus illuſtris virtutib⁹, & ex illuſtri animo illuſtris effloreſcat oratio. Philippus Macedonum Rex egregiam eloquentiæ operam dedit, idẽ fecit illius filius Alexander Magnus. Iulius Cæſar, Octauianus, Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, cæteriq́ue Romani Imperatores eloquentiam ſummo ſtudio coluerunt, dicẽdiq́ue laude præſtantes fuerunt. Aliarumq́ue gentium Principes multum operæ & ſtudij in dicendi peritiam contulerunt. Tantum Romæ eloquentia valuit, vt nemo confideret, facilem ſibi aditum ad honores datum, niſi dicendi laudem cum militari virtute coniungeret. Hoc tamẽ in rhetorica & dialectica principibus tradenda animaduertendum eſt; vt nimis ſpinoſæ ſubtilitates omittantur, verborum quorundam inſolentia fugiatur, nec præceptis paruum vſum habentibus obruatur. Nec enim licet principibus tantum otij, quantum reliquis hominibus in his diſciplinis conſumere. Genus orationis colat Princeps rectum, purum, elegans, enucleatum, verbis grande, ſententijs graue, nec inuerecundis verborum feſtiuitatibus expolitũ. Sicut in omnib⁹ alijs diſciplinis principi tradẽdis modus ille adhibẽdus eſt: vt ex ſingulis ea tãtũ carpat, atq; delibet, quæ magis neceſſaria ſunt, vt ijs tanq̃ gradib⁹, ad omnẽ rationẽ Regiæ diſciplinę *Vide q. 54.*

 & diui-

& diuinæ cuiuſdam virtutis aſcendat, vt nec eas negligenter attingat, nec ſingulis nimium inſiſtat, cui multa alia maxima munera in vita propoſita ſunt. Nec enim eſt illi præter modum ſingulis immorandum, ſed illarum modus vtilitate temperãdus. Nec multi illis authores proponendi ſunt, ſed pauci ſelectiſſimi, ex quibus emendatè loqui & ſcribere diſcat, multaque percipiat ad regium munus obeundum vtilia.

Parentes cogendi à magiſtratu, vt filios rectè inſtituant.

Neque ſufficit, vt principum filij rectè educentur, ſed quemadmodum Solon Athenienſibus lege præceperat: vt parentes liberos ſuos & literis, & palæſtra, & Muſica erudirent, Lycurgique legibus cautum erat: Ne quiſquam liberos ſuos moribus quibus vellet imbueret: Romani cẽſores moribus præfectos habebant: Sic in republica Chriſtianæ neceſſarium eſt, lege atque pœna propoſita ſanciri; Ne patribus liceat filiorum ſuorum Inſtitutionem negligere, nec liberum vnicuique ſit, ad arbitrium ſuum liberos erudire. Nec enim in Republ. ſpectari debet, quid vnicuiq; libeat in rebus tanti momenti, ſed quid in vniuerſum expediat conſiderandum eſt, Omnes ergò ciues debent in filiorũ educatione magis de reipublicæ (cuius pars ſunt) quàm de ſua vtilitate cogitare. Bona verò malaúe puerorum inſtitutio in ipſam rempub. redundat. In corpus puerorum letale vulnus infligere nefas ducunt: ſed longè deteſtabilius eſt mentibus ipſis fœdiſſimum vulnus imponere, & filiorũ animos mortiferis morbis inficere. Omne malum naſcens facilè extinguitur, adultum atque robuſtum difficillimè coërcetur.

Si ad magiſtratus officium pertinet, malum adultum

ultum atque corrobaratum ſupplicio reſecare,cur non potius pertinebit, malum ipſum antequã vires colligat ſapienter extinguere? Cumque princeps nullam reip. partem negligere debeat, quomodo puerilẽ inſtitutionem negligere poterit, in qua omnis reipubl.ſalus continetur? Ne fundum ſuum incultum quis relinquat cogi à magiſtratu iure poteſt, & filiorum mores, inſtitute, ſalutem negligere impunè liceret? Nemini conceſſum eſt vt re ſua malè vtatur:quomodo permittendum eſt parentibus,vt filios ſuos, cum totius patriæ calamitate euertant atque corrumpant? Sicut illa medicina magis probanda eſt, quæ bonam valetudinem conſeruat,quàm ea,quæ afflictam valetudinẽ reſtituit:ita leges illæ magis laudandæ ſunt, quæ mores continent,quàm quæ corruptos ad ſanitatẽ ſupplicio reuocare contendunt. Et quemadmodũ multò magis laudandus eſt Imperator, qui aduentantis hoſtis conſilia præripit, quàm qui poſt vaſtitatem rebus ſuis illatam hoſtem bello frangit; ita ampliore laude dignus eſt princeps,qui cauet, ne ſcelus admittatur, quàm qui conflatum ſcelus vlciſcitur. Ciues qui filios ſuos malè inſtituunt, ſe ipſos dedecorant,reipub. peſtem parant, exitiumque moliuntur,liberis pudorem,honeſtatem,vitã denique eripiunt,patriam ipſam ſanctiſſimam parentem necant. Omnes autem ciues tenentur, & à magiſtratu cogi meritò poſſunt, vt in educatione ſuarum prolium magis reip. commodis, quàm vtilitati propriæ inſeruiant. Magis enim reipubl. illos,quàm ſibi genuerunt. Quando morum diſciplina egregiè conſtituta eſt, tenuiſſimam quamq; rempubl. maximam & florentiſſimam fieri accepimus,

mus:labente verò diſciplina,&neglecta ęducatione iuuentutis, Imperia maxima corruiſſe, omniū gentium hiſtoriæ profitentur.

Sapienter igitur fecerit princeps, qui rempub. ſaluam vult,ſi ſuos filios rectè inſtituendos curauerit,& pręterea morum præfectos in ea conſtituat,qui parentes in filiorum inſtitutione negligentes ſeuerè puniant, ſummoque ſtudio prouideant, ne quiſquam in repub. pro ſalutari ciue belluam immanem alat, aut ſaltem hominem ignauum aut turpem enutriat.

QVAESTIO XLII

Quomodo patriæ cultor exiſteret?

RESPONSIO.

Si ſtatuat honeſtum eſſe viuere & mori domi,apud peregrinos verò reputet egentes contemni, diuites malè audire, quaſi ob turpitudinem aliquā exulent. Verū tu rex ſi pergas beneficè tractare omnes,vt facis, Deo contribuente tibi erga omnes tam benignam voluntatem,habeberis amator patriæ.

Grauiter ferè populi animos à principe alienat, ſi crebrò & longiùs à patria abſit: quod nec ſe ab illo amari putent,ſed ab eo cui curę eſſe debebant contemni arbitrentur, ſuumque ſudorem alios deuorare moleſtè ferunt, aut ad Principem non peruenire exiſtimant. Longæ igitur peregrinationes ipſis Principibus periculoſæ ſunt, reipublicæ inutiles, ac moleſtæ.

Vtrique vtiliſſimum erit, ſi vt apum dux medio agmine cingitur,&cor hominis in meditullio corporis reſidet: ita Princeps libenter verſetur inter ſuos ciues, & rempublicam, vnde tam ſplendidè alitur,amet curetque. Et

Et quęcunque agit ad ſalutem ciuium patrięque vtilitatem referat: nec vnam partem, ſed totum reipublicæ corpus tueatur: ne ſic nobilitati ſtudeat, vt reliqui ordines, præſertim Clerus, negligantur.

Prædicantur Iudæi, quòd in terra promiſſa Duci & Principi ſuo habitationem poſſeſſionemque dederint in medio ſui. *Ioſ.19.*

Moſes verò cum diutius abeſſet: Populus, ait ſcriptura, congregatus ad Aaron, dixit: Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant, Moſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti ignoramus quid acciderit. Cum Dauid Sicelegh reſideret, tota ciuitas ab hoſtibus ſecura, & florentiſſima fuerit: ſed poſtquam Achis Regem in militia ſequebatur: hoſtes totam vrbem ſpoliârint, ciuium vxores & liberos abduxerint, domos verò igni cremârint, & de ſumma rei actum fuiſſet, niſi Dauid ſtatim rediſſet. *Exodi 32.* *1.reg.30.*

Ezdras aliquando ad quietem & abditarum rerum contemplationem ſeceſſerat, Salathiel dux populi talibus verbis eum adibat: Vbi eras, & quare vultus tuus triſtis? An neſcis quoniam tibi creditus eſt Iſraël in regione tranſmigrationis eorũ? Exurge ergò, & guſta panem, & non derelinquas nos, ſicut paſtor gregem ſuum in manibus luporũ malignorum. Taliter ipſi tunc ſatisfecit Ezdras, vt è republica futurum agnoſceret, ſeptẽ adhuc diebus præſentia illius carere: verum quia neque illis elapſis redibat: totus populus egreſſus ad eum in campum, dixit: Quid peccauimus tibi, aut quid iniuſtè egimus in te, quoniam derelinquens nos, ſediſti in loco hoc? Tu enim nobis ſuperes *Li.4.Ezdræ ca. 5.* *Lib.4.c.12.*

ex omni-

ex omnibus populis,ſicut botrus de vinea, & ſicut lucerna in loco obſcuro, & ſicut portus & nauis ſaluata à tempeſtate. An non ſufficiunt mala quæ contingunt?

Ezdras ergò poſt paucos dies à contemplatione ad officium ſeſe rediturum pollicetur. Et Pa-
Luce 2. ſtores cum fuiſſent in Bethlehem, vidiſſent, adoraſſentque Chriſtum Ieſum, reuerſi ſunt ad gregé ſuum.

Idem Epiſcopos, atque prælatos eccleſię facere decet.

Neceſſarijs fortè de rebus profecturi, bonis & iuſtis viris tantiſper rempublicam committant.

Quemadmodum aſcenſurus Moſes in montem ſenioribus ait:Expectate hic donec reuertamur ad vos:habetis Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natū fuerit quæſtionis,referetis ad eos.

Si quid peccatum erat dum abeſſent,hoc reuer-
2.reg vlt. ſi corrigant,vt ſe Nehemias poſt reditum ex Babilone feciſſe probat. Et Dauid fecit diligentiſſimè.

Ioſe.l.2. Ptolomæus Philodelphus, teſte Ioſepho, quia acceperat Iudæos contra iuſtitiam deprædatos, & prouinciam eorum deuaſtatam, errores iſtos reuocauit, & muneribus auctos Iudæos in patriam remiſit.

Peregrinationem aliquando principibus vtilé & neceſſariam eſſe aſtruit Franciſcus patritius Senenſis de regno lib.3.c.14. Ex qua audiunt, vident, diſcunt multa, quæ nullo magiſtro diſcere potuiſſent.

Areopagitæ Athenis in omnes inquirebát, quid
quiſque

quiſquis ageret, aut quonam quæſtu ſuſtentaretur, vt homines honeſtatem, vitæ rationem memores reddendam eſſe, ſequerentur, teſte Valerio. Lac.

Porrò veteres glorioſi principes tunc demum patriam ſe exornaturos confirmaturoſque arbitrabantur, ſi religione, & ſapientia fulcirent, hoc eſt, ſi templa, & ſacra, ſi ſcholas, atque Academias fundarent. Summum principis officium eſt, vt veræ religionis & ſanctitatis diſciplina ciuium animi imbuantur, ſapientiaque, & egregijs virtutibus exornentur.

Patriæ culturam in quatuor potiſſimum rebus conſiſtere ad q.17, aſtruxi.

Primum eſt, vt ſeipſum regat, & bonos magiſtratus reip. præficiat. Secundum vt patriam ipſam, eiuſdemque ſtatuta, & mores nôrit. Tertium, vt amet. Quartum vt acceptam reddat meliorem, tueatur, defendat, amplificet. Regere namq; eſt in rectum finem dirigere. Rector igitur atque moderator populi hoc agat, atque moliatur, vt populum in eum finem in quem omnes intueri debent, modo, ordine, & diſciplina perducat, errantes in viã reuocet, ad vitæ beatæ rationem ſua virtute adducat. Ille autem finis eſt, florens atque beatus reip. ſtatus, qui in depulſione malorum & bonorum omnium complexione perficitur. Mala dico, non ea tantùm, quæ homines vulgò pertimeſcunt, vt ſunt morbi, inopia, ſeruitus, dolor, calamitas, ignominia: ſed multò magis flagitium, ſcelus ignauia, libido, & ſimiles animorum labes, quæ vitam turpem, miſeramque efficiunt, & rempubl. labefactant. Princeps ergò qui de patria benè mereri, & remp. florentem efficere deſiderat, quantũ poteſt

teſt elaboret, vt commodis patriæ, atque ſaluti cõſulatur, ſubditi in pace honeſtam vitam degant, libidines reſecentur, coërceatur petulantia, iniquitatis & iniuſtitiæ fomes euellatur, vniuerſaque reſpubl. virtutum omnium ornamentis firmetur.

Vt reſpublica ſit voluntate conſentiens, ordine conſtans, viribus firmata, opibus abundans, moribus ornata, in bello inuicta, & pace & otio moderata. Non in ſuum priuatum commodum, ſed populi ſui ſalutem, incolumitatem, vtilitatemque reſpiciat: populique ſalutem omnibus rebus anteponat, nullum denique periculum pro ſalute patriæ ſubire recuſet.

Recteque patria excolitur, cum in principe eſt perfugium miſeris, ſolatium afflictis, alleuamentũ oppreſſis, præſidium innocentibus contra improborum hominum fraudem, & potentiam firmiſſimè conſtitutum.

Quemadmodũ ſummus ille Rex regum & Dominus dominantium, non ſibi, at humano generi mundum ædificauit, eundemque rerum omnium copia & vbertate compleuit; ita princeps Dei in terris Vicarius, ſuę vtilitatis oblitus, operam dabit vt reſpubl. omnibus bonis redundet, excellentibuſque meritis effloreſcat: hoc eſt, vt in pace ſit copioſa, & opulenta, boniſque & ornamentis omnibus affluens, & armis egregiè defenſa, contraque hoſtium inſidias firmiſſimo præſidio munita.

Tutor, patronus, atque adeô pater patriæ dici, & eſſe concupiſcat. Vt patriam longè florentiorem, quàm à maioribus accepit, poſteris ſuis tradat, efficere conetur. Sic i-

Sic igitur vitam & conſilia ſua inſtituat, vt non ſe ſibi, ſed patriæ natum eſſe demonſtret.

Nec patriæ mores, inſtituta atque veſtitum facile mutet ipſe, nec ab alijs mutari patiatur.

Omnes enim Principis vitam, mores, habitum imitari cupiunt. Si ergò principis in veſtitu leuitatem & crebras mutationes perceperint, ſubditi idem certatim facient, cumque externis exoticiſq; cultibus ornari geſtiunt, moribus etiam externis delectantur, & aſſueſcunt. Atque ex profuſis ſumptibus egeſtas, ex egeſtate deſperatio, ex deſperatione proditiones & nefaria flagitia oriũtur. Principis cultum ſic temperari voluerunt; ne vel nimium veſtium nitore inaniter efferatur, vel ſordido & obſoleto animum demittat.

Rectè cum republica agetur, ſi primo loco religionis & pietatis; ſecundo dignitatis ſiue honeſtatis, & iuſtitiæ; tertio vtilitatis ratio habeatur.

Nam illas reſpubicas, vbi maior pietatis & honeſtatis ratio, quàm vtilitatis habita fuit, non tantùm rerum geſtarum gloria, ſed opibus etiam atq; potẽtia floruiſſe: contrà verò, illas quę honeſtatis ſtudio omiſſo ad ſolam vtilitatem ſeſe contulerũt, cum honeſtatis interitu, opes quoque ipſas atque Imperium amiſiſſe q.52. dicetur. Idem Ariſtot. in libris politicorum, & in officijs Cicero affirmauerunt.

Omnes deniq; partes reip. pro ſuis meritis tractandæ ſunt, nullus ordo negligendus eſt, ſed vnicuique ſua dignitas tribuenda. Nulla iuſtitię ęquitas patitur, vt eodẽ honore digni cũ indignis afficiãtur, vel dignioribus indigni præferantur, quiq; nullam reip. vtilitatem adferunt, honorentur, aut *Tota reſp. omneſque ordines curandi.*

ſaginentur opibus reip. vel quod erat induſtrijs fortibuſque hominibus tribuendum, ignauis & otioſis abſque delectu tribuatur. In quocunque hominum genere princeps virtutem nitere perſpexerit, illud ad honeſtandum ſuſcipiat, ſi hoc fuerit ignotum, nobilitet, ſi egens locupletet, ſi humile exaſtet, ſibique familiare efficiat: reipſa & factis oſtendat, omnes virtute præditos ſibi charos eſſe.

Diligens agricola nouas arbores ſerit, quæ alijs ſeneſcentibus exurgant: ita princeps nobilitatis & virtutis plantaria ſeminet, vt ſemper vetuſtæ nobilitati nouæ eiuſdem propagines ſuccreſcant.

Aequabilitas. Qui reſpub. condiderunt, aut de re politica ſiue benè gubernanda repub. commentati ſunt, præceperunt, vt ciuium bona & honores æquabilitate quadam terminarentur, ne alij opibus elati ſuperbirent, alij egeſtate impediti virtutis ſtudium omitterent, aut ſeditiones mouerent.

Curiarum præfecti. Ciuitates in curias diuidentur, ſingulæque ſuos præfectos & conſiliarios habeant, viros bonos, & ſapientes, atque fideles: qui non ſtatim conſtituantur, ſed probentur prius, & gradatim aſcendant. Suo munere quiſque rectè fungatur, alia non inuadant: ſingulis annis rationem reddere cogantur: boni honoribus & præmijs, infideles pœnis afficiantur, q. 52. & 59.

Mechanicæ artes dirigendæ. Ad hæc princeps publicæ felicitatis atque beatitudinis architectus, cui totius reip. fabrica commiſſa eſt, omnium artificum operas ad ipſam rempub. benè & ſapienter ædificandam conferet, omnes artes, ſiue illuſtres & claras, ſiue humiles & ſordidas, ex quibus reſpublica emolumentū aliquid

capit,

capit, ſapienter & aptè moderetur, & in ſalutem reip. dirigat.

Ad opulentam & locupletem remp. faciendam vix vlla vberior vtiliorque communibus rebus augendæ rei ratio eſt, ea quæ in agricultura conſiſtit. Fructibus enim qui ex terra funduntur, omniũ vita ſuſtentatur, omniaq; ad vitam neceſſaria hęc ſuppeditat. Agricolæ fruges exarãt, quibus alimur, pecora nutriunt, quæ cibum nobis atque veſtitum præbent, ab illis oleum, vinum, & fructum ad neceſſitatem atque delicias excipimus: omneſq; naturæ opes, quibus communis vita ſuſtentatur, telluris diligentiſſimo cultu continetur. *Agricultura.*

Multum ergò ſemper agriculturæ tributum fuit, & tribui meritò debet; ne terra cultoribus deſtituta vaſtetur, arctiones deſerantur, nec telluris pars vlla ſine fructu relinquatur. Boni & diligentes agricolæ laude & præmio, negligentes & ignaui pœnis ad rei ruſticæ ſtudium inuitentur. Apud Perſas (vt eſt apud Xenophontem) nemini licebat fundos & poſſeſſiones ſuas negligere, omnes agros cultos nitidoſque requirebant.

Inter ſigna conſummationis ſeculi refert Lactant. quòd agricultura à militibus impedietur, idque initium euerſionis & cladis rerum hamanarum vocat. *lib. 7. c. 15.*

Hoc malum nunc latiſſimè diſperſum eſt.

A grauiſſimis viris olim agricultura laudata & exercita fuit, quod ex Ciceronis, & Catonis, atque aliorum de re ruſtica libris perſpicitur. Cyrus Iunior gloriabatur agrum ſe ſua manu conſeuiſſe.

Illam induſtriam augebit, excitabitq; princeps

 ſi re-

Digitized by Google

ſi regiones vel ipſe luſtret, oculoſque in omnes partes conijciat: vel quas ipſe obire non poteſt, eis gnauos & induſtrios homines præficiat, quorum diligentia poſſent omnes illius terræ cultores opibus naturæ locupletari.

Nauigatio nes & mercatura. Multum etiam reipubl. vtilitatis adferunt nauicularij & mercatores, qui ea quibus regio abundat exportant, & quibus indiget important, vectigalia augent, ærarium locupletant, aliarum gentium mores & inſtituta patefaciunt. *Caupones, operarij, & artifices.* Caupones etiã Plato reip. neceſſarios eſſe affirmauit. Ipſique baiuli, & operarij, & omnes artifices in repub. principis beneuolentia fouendi ſunt, & in artificij ſui decoro & honeſtate continendi, vt tota reſpubl. florens ſit, & opibus ad vitam neceſſarijs abundet.

Mercatores & peregrini prohiberi poſſunt ne intrent territorium alterius, ſed ſemel receptos abſque cauſa eijcere, eſſet contra naturalem æquitatem & commune bonum. Iacobinus de feud. § Idem quæro.

Otioſi eijciuntur. Maſſilienſes nullum genus hominum in repub. ſua verſari patiebantur, niſi artem aliquam reip. ſalutarem exerceret.

Valer Max l.2.l.1. Apud Aegyptios ſinguli cogebantur nomina & artes ſuas ad magiſtratum profiteri, operis ſui deinde rationem reddere.

Athenis fuit à Dracone lex lata, quę otium capite mulctabat: Quòd otium omnium malorum ſeminarium, fons & origo exiſteret.

Quique ſuas res non agit, aliena negotia curat, teſte Horatio. Vnde maleuolentia, detrectatio, inuidia, iniuria, magnaque rerum perturbatio, & vitæ con-

tæ confuſio naſcitur, otium quoq; homines ad inopiam atque egeſtatem redigit, egeſtas deſperationem efficit, ex deſperatione audacia, ex audacia reipublicæ concuſſio ſequitur.

Antiquæ igitur Aegyptiorum, Maſſilien. Athenien. atque Romanorum leges, de otio propulſando, & alenda induſtria, à Chriſtianis principibus approbandæ, & in vſum reducendæ erunt.

Occupationes autem, & opificia ſint honeſta, & reip. vtilia. Aleatores & luſores pro infamibus habentur, nec teſtificari poſſunt, legibuſque exoſi ſunt. Tho. Grammat. deciſ. 11. & 40. *Luſores.*

Ea quæ in hoc ludo lucrantur, non faciunt ſua, ſed reſtituere coguntur, Grammaticus deciſ. 40. Guid. Pap. deciſ. 501. Capella Tholoſ. q. 193.

Prohibitumque illum ludũ, ait Grammaticus, non tam per ſe, quàm ratione vitiorum, quæ inde conſequuntur, periuria, mendacia, blaſphemiæ, cædes.

Eſt enim hic ludus altor otij, magiſter ignauiæ, inſtrumentum auaritiæ, fraudis officina, rei familiaris euerſio, rixæ materia, morum pernities, dignitatis labes, angor animi atque cruciatus, & inſignis ignominia.

Dauid ſuperato Ieſubæo Hieruſalem vrbem ædificauit, & pro arca tabernaculum, & pro ſe & miniſtris domos. *1. paralip. c. 11. & 15.*

Rex Salomon prædicatur, quòd egregium Deo templum extruxerit: deinde inſignem Regiam ædificârit pro ſe, & vxore ſua. *3. reg. 9. 2. paralip. c. 3. & 4*

Templum verò erat plenum auro. *3. reg. 10. &*

Ciuitates amplificauit, Hieruſalem ita exorna- *2 paral. 1.*

 uit, vt

uit,vt in ea eſſet tanta abundantia argenti, quanta & lapidum.

3. reg. 9. & 4. Pagis & vicis muros circumduxit, & diſſeruit de omnibus rebus ſapientiſſimè.

3. reg. 9. Ex gẽtibus quas armis domuerat, tributarios & miniſtros ſuos effecit, ex filijs autem Iſraël noluit ſeruire quenquam, ſed conſtituit eos Duces, Principes, præfectos militiæ, & viros bellatores.

3 reg. 4. Præfectos annonæ 12. habuit, quorum ſinguli vno menſe neceſſaria ſubminiſtrabant.

3. reg. 9. Quingenti quinquaginta præpoſiti populum & operas gubernabant.

Tantus ſplendor, tanta dignitas, & prudentia erat in aula Salomonis, in miniſtrorũ habitaculis, vita, veſtitu, & moribus, in apparatu menſæ, & ho-
3. reg. c. 10. locauſtis, totaque Oeconomia regia, vt Regina Saba demiraretur. Omnia pocula totaque ſuppellex erat aurea, & argenti non erat numerus.

2 paral. 17. & 33. Ioſaphat quoque ſempiternam memoriam peperit, quod Iudæam repleuit arcibus & vrbibus munitis.

Manaſſes quoque murum circumduxit vrbi.

3. reg. vlt. Achab qui impius cognominatur, illam laudẽ poſt ſe reliquit, quòd ædificârit domum eburneã, & plures vrbes extruxerat.

Non refert quàm latè dominetur, aut quã multas prouincias Imperio paterno adijciat, ſed quàm benè patriam gubernet atque exornet: quod ſapienter 17. reſpondit.

lib. 1. Permagna difficulter regi poſſunt, nec diu durat, quod regi nequit, Valerius Xerxis regis Perſarum exemplo declarat.

Spar-

Spartam ſuam adornet, & exiguum ſi eſt, excolito.

Curet ſubditos & rempublicam, ſicut Deus ſuos filios & Regem amat, q.3.

Matrem in fouendo, patrem in corripiendo, & regendo, docendoque imitetur. *Bernard. ſuper Cantic. q 4.*

Ex tota prouincia quicquid notatu dignum accidit, referatur ad principem, vt omnia nôrit. *Nicephor. l. 2. c. 8.*

Inquiratur in ciuitatum inhabitatores, qui ſint, vnde venerint, quid agant. Si lites habent, iuuentur citò, & ad ſua loca, officia, & agriculturam remittantur. Validi mendicantes eijciantur ad ſuam prouinciam. Intranei ad opera & labores adhibeantur, vt non pigri hic ſedeant, exceptis infirmis & ſenibus, qui non moleſtentur, auth. de quæſtore collat.

Multi principes aliquandò de ſe foris iudicium exquirunt.

Marcus Antoninus Cæſar ſẽper de ſe vera audire cupiebat: ideoque ex ſuis nonnullos paſſim per vrbem mittebat, qui vulgi rumores colligerent, & ex eorum relatis plerunque vitam commutabat in melius. Quod pluribus exemplis probat Fra. patritius Senenſis lib. 3. de regno c. 11.

Hoc etiam Fredericum Ducem Auſtriæ, Imperatoris Frederici patrem factitaſſe, vt ignotus, mutata veſte, de ſe ipſo, & purpuratis ſuis cum alijs colloqueretur, aſſerit Syluius ad caput 49. lib. 3. Panormitani, de geſtis Alphonſi.

Qui benè pręfuit, illi dum viuit de ſucceſſore idoneo cogitandum putant, ne poſt obitum ſuum fortunæ patriam permiſiſſe videatur. *Succeſſor. Fr. patr. ſenen l. 9 ca. 12.*

Sicut Alexander Magnus interrogatus ab amicis;Quem regni hæredem relinqueret?dignũ nuncupauit hæredem.

Auguſtus Cæſar de futuro ſuo ſucceſſore Apollinem Pythium interrogauit, vt infrà in quæſtionibus Auguſti dicetur.

QVAESTIO XLIII.

Quomodo quis cum vxore commodè conſentienterque & rectè in coniugio degeret?

RESPONSIO.

Muliebris ſexus confidens eſt, & animoſus, & ad quamcunque rem,cui intendit, perficiendam idoneus:ſed mutabilis quoque eſt ob conſilij & naturæ imbecillitatem: idcirco cum ratione ac prudentia tractare oportet, nec irritãdus aduerſando ad contentiones. Nam vita ad certum aliquem finem dirigenda eſt,velut nauium gubernatores faciunt:omniaque conſilia & conatus eò referenda ſunt. Quod Diuino tandem auxilio perficitur.

Geneſ.2. Euam ex Adami latere produxit Deus, vt nec domina eius,nec ſerua eſſet,ſed adiutorium & ſocia.Cumque Eua maritum ſuum ad peccatum protraxiſſet:Sub viri,inquit Deus,poteſtate eris,& ipſe dominabitur tui.

Geneſ 3. Adamo ſimiliter maledixit,quod ſuæ dignitatis oblitus, vxori magis quàm DEO obtemperaſſet. Herus patriarchæ Ioſeph nimium credens vxori, innocentem puerum ad falſam adulteræ accuſa-

Geneſ 39. ſationem iniuſtè carceribus incluſit: Achab rex Ieſabel vxoris impiam voluntatem ſecutus,grauiter in Dei præpotentis indignationem incurrit.

3.reg.12. Ac multis in omni hominum memoria pernicioſiſſimum

ſiſſimum fuit,quòd vxoribus atque concubinis ſuis magis,quàm Deo, quàm legi, quàm regi, & eccleſiæ obediſſent. Prudenter fecit Aſſuerus rex, quòd petulantis vxoris Vaſthi amorem ſaluti publicæ poſtponeret. *Heſter. 1.*

Sapientiſſimus Salomon: Qui inuenit mulierem bonam,inuenit bonum: qui expellit mulierẽ bonam,expellit bonum.Eccleſiaſticus: Ne des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua,& confundaris, Placent Deo vir & mulier benè ſibi conſentientes. Ne des mulieri nequã veniam prodeundi: Si non ambulauerit ad manum tuam,confundet te in conſpectu inimicorũ è carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper abutatur te.Huc pertinet,quod vulgò fertur: Vxori cede,non pare.Multa indidit natura mulieri admini cula quibus virum in amorem ſui pertraheret,quę pulchrè declarat Baſilius Magnus in libro de virginitate:idcircò viro curandum erit, vt ſuam dignitatem atque officium tueatur. Nec tamen ſit, velut leo in domo ſua. *Prou. 18.* *Eccleſ. 9. & 25.* *Eccl. 5.*

Interrogatus aliquandò Chriſtus à Phariſæis: vtrum liceret vxores dimittere:reſpondit: Non legiſtis:quia qui fecit hominem ab initio,maſculum & fœminam fecit eos?Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ,&erunt duo in carne vna,itaque iam non ſunt duo,ſed vna caro. *Matt. ca. 19.*

Quod ergò Deus coniunxit,homo non ſeparet. Paulus Apoſtolus ad Corinthios reſcripſit: quod vir ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed vxor: & vxoris vir: orationis tamen cauſa aliquando continere hortatur. *1. Corint. 7.*

cap 3. Ad Coloſſenſes ſcribens: Viri, inquit, diligite vxores veſtras,& nolite amari eſſe ad illas:Mulieres ſubditæ eſtote viris,ſicut oportet, in domino. Et ad Epheſios; Viri diligite vxores veſtras ſicut
cap 5. Chriſtus eccleſiam dilexit,& ſeipſum tradidit pro ea.Ita viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua,Qui ſuam vxorem diligit,ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed
præfa. nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus eccleſiam. Mulieres viris ſubditę ſint ſicut domino,quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ,

D. quoque Petrus epiſtolæ prioris cap. tertio. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem,tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ,vt non impediantur orationes veſtræ.

Memorabile Raphaëlis Archangeli verbum eſt ad Tobiam iuniorem,Tobiæ 6.Qui coniugium ita ſuſcipiunt,vt Deum à ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent,ſicut equus &mulus,qui bus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmoni um ſuper illos. Tu accipies virginem cum timore Domini,amore filiorum magis, quā libidine ductus.Et ipſe Tobias ad Saram vxorem ait capit.7. Filij ſanctorum ſumus,& non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes quæ Deum ignorant.Nimium vxoris amatorem adulterum vocant gloſſa,&DD. cap.Nubendi,27.q.1.

cap.55. Epictetus ſcribit in enchridio:Mulieres ſtatim ab anno 14.Dominę vocantur,quoniam viri ijs ob concubitum blandiuntur,virorum ergò culpa ſibi deinceps nimis placent.Monendę igitur ſunt,fore

apud

apud nos in honore, non ob aliud, niſi ſi modeſtæ ſint, & virum reuereantur. De Iunone Iuga, & vxoriplaca viriplicaque Dea, in academia Romana perſcripſi. Panormitanus de geſtis Alphonſi Regis narrat, ipſum dicere ſolitum: Matrimonium ita demum ſine querela tranſigi, ſi mulier cæca, maritus ſurdus fieret ob ſuſpiciones & rixas mulierum. *L. 3. c. 7.*

Regi Achab malè ceſſit, quòd impiæ vxori Ieſabel nimirum ſuderet, ſigillumque ſuum concederet, quo abuſa fuit. *3. reg. 21.*

Quod vulgò aiunt: Matrimonia in cœlis copulari, confirmat Salomon: opes & diuitiæ dantur à parentibus, vxor prudens à Deo. Sic Moſes atteſtatur Abrahami filio Iſaaco Rebeccam à Deo pręparatam fuiſſe vxorem. *Prouerb. 19* *Geneſ. 24.*

Saram propterea alius ducere nequiuit, quia Tobiæ Iuniori timenti Deum, illa ex ordinatione diuina debebatur. *Tob. 7.*

Sampſon puellam Philiſtæam ſibi vxorem dari petebat, parentes verò illius contra legem Dei hoc eſſe matrimonium arbitrantes, dehortabantur eũ, ne duceret. Neſciebant enim quòd res à Domino fieret, vt ex illis nuptijs bellum inter Iudæos & Philiſtæos oriretur, vnde Iudæi ex diuturna ſeruitute liberarentur. *Iudith. 14.*

Heſter vt cęteris virginibus ab Aſſuero rege præferretur, Deus admirabilem pulchritudinem cõtulit, vt abſque ornatu externo, alijs comptis atq; delibutis virginibus, longè præcelleret. *Heſter 1.*

Dij apud Virgilium volebant Aeneæ Lauiniam Latini regis filiam dari, mater Aeneam exulem & ignotum repudiabat, præferebatque Turnum vi-

cinum, hinc tot crudeliſſima bella exorta fuerunt, quibus Turnus occiditur, & mater laqueo vitam finiuit. Virgilius in Aenea.

Iudic c.14. Quædam matrimonia videntur hominibus incongrua, per quæ Deus aliquid peculiare vult operari. Sicut ex Sampſonis coniugio perſpicitur.

Leuiter tamen cum alienigenis & ignotis contracta matrimonia malos ferè exitus fortiuntur.

Iudic.14. Quod in Sampſonis matrimonio cum Philiſtæa puella, quam ex vno viſu amare cœpit, apparet.

3.reg.11. Quædam matrimonia malum initium habent, ſed bonum exitum ſortiuntur. Dauid Rex Iſraëlis Berſabeæ, vxori Vriæ fideliſſimi miniſtri ſui, adulterium ettulit, eiuſdemque cælandi cauſa Vriam

3.reg.1. interemit Illa verò genuit Dauidi Salomonem amabilem Deo, & ſucceſſorem Regni.

Aliquando matrimonia valdè inæqualia ſunt. Nabal vir ditiſſimus, ſed ruſticus, & filius Belial, atque inhumanus, vxorem habebat Abigail, formoſam & prudentem mulierem, quæ virum conſeruabat ſua prudentia & humanitate, ne à Daui-

1.reg.25. de transfoderetur: Nabal turpiter perit, Abigail fit vxor & regina Iudæorum.

Ipſa Venus Vulcanum fabrum maritum habuit, Virgil. 8. Aeneados.

Qui filias ſuas potentioribus locare cupiũt, vel qui impediunt ne ſubditorum filiæ potentioribus locentur, quod ſuas filias eis tradere malint, obſeruent quod refert Ia. Meierus lib. 10. annalium Flandr. Guido comes Flandriæ inconſulto rege Gallorum filiam ſuam Regi Angliæ deſponſauerat: Rex igitur Gallorum Guidonis filiam coniecit in vincula, & Anglo ſuam filiam Iſabellam

tradidit

tradidit,ſed parum fortunatæ fuerunt nuptiæ.

Matres plerunque cupiunt filias nobilibus deſponſare:ſed tales nuptias inæquales infauſtas ferè extitiſſe pulchro exemplo declarat Tiraquellus de nobilitate ex Liuij Hiſtorijs. *Cap.37.*

Moſes in ſacris legibus præcepit, ne matrimonia propter dotem, vel ex dolo, fallacia, vel perſuſionibus, ſed ex vera intentione, cum eorum qui illas in poteſtate ſua habent conſenſu, contraherentur. *Ioſeph.l.2. contra Appionem.*

Saul filiam ſuam Michol Dauidi pauperi, ſed ſtrenuo promiſit, non ex amore, ſed ad æmulationem & ruinam ſuam, vt videlicet à Philiſtęis occideretur. Voluit enim Saul centum præputia Philiſtinorum in donationem propter nuptias à Dauide apportari. *1.reg.18.*

Illa vero filia Regis debebatur illi ex pacto, cũ Goliath ſuperaſſet. *1.reg.17.*

Quibuſdam quod temerè concupiuiſſent vxores, exitium attulit. Adonias filius Dauidis à Salomone per illius matrem Berſabeam. vxorem ſibi dari petebat Abiſag Sunamitidem, virginem pulcherrimã, quæ Dauidem ſenem & frigidum calefecerat. At Salomon matri reſpondit: Contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc, & nunc viuat DOMINVS, quia hodie occidetur. *3.reg.2.*

Quia enim Adonias regnum affectârat. *3.reg.2.*

Salomoni non abs re ſuſpectæ fuerunt iſtæ nuptiæ. Qui etiam patri ſuo Dauidi, cui Abiſai condormierat, parum honeſtæ videbantur, etſi Dauid eam non cognouerat.

Tertiam Romanæ vrbis diſcordiam peperit matrimo-

trimoniorum diſparitas, quod plebei patritijs iũgerentur L.Florus lib.1.hiſt.c.25.

De matrimonij vtilitatibus & incommodis, & qualiſnam ducenda ſit vxor, nobilis an ignobilis, formoſa an deformis, diues an pauper, docta anindocta', copioſè & eleganter pertractauit Ioannes Neuizanus in lib. de ſylua nupt.& ante illum Valerius Max.lib.7.c.2.Clemens Alexandrinus lib.2. & 3.ſtromatum,& Iuuenalis ſatyra 7.

In vxoribus deligendis ætatem minorem, & formam multi conſiderant.

Iudic.14. Sampſoni vxoris quæ iam alteri viro copulata erat, ſoror commendatur, quod iunior & pulchrior illa exiſteret.

Geneſ.29. Iacob etiam patriarcha amauit Rachel potius, quàm Liam, quia iunior & formoſior erat.

Alij diuitias, prudentiores virtutem in ducendis *Prouerb.11.* vxoribus contemplantur. Circulus aureus in naribus eſt, mulier pulchra, ſed fatua.

Prouerb. vlt. Fallax gratia, & vana eſt, pulchritudo, mulier Deum timens ipſa laudabitur.

Faſtus ineſt pulchris ſequiturq; ſuperbia formam.

Ex Menandro, Neuizan.l.2.ſyl.nupt.

Omnes ſcriptores facilè in hoc conſentiunt: Si vis vxorem ducere, ducito parem. Laërt.lib.1. Neüizanus & alij.

Aequalis videlicet ætatis, conditionis, fortunæ, Neuizan.lib.2.ſyluæ.

Valerius l. 7.c.2. Vnicæ filiæ pater Themiſtoclem conſulebat, vtrum eam pauperi ſed ornato, an locupleti ſed parum probato collocaret: reſpondit Themiſtocles: Malo virum pecuniâ, quam pecuniam viro indigentem.

Cato-

Catonis filia rogata cur iterum non nuberet reſpondit: quod non inueniret virum qui ſe magis, quàm ſua amaret. *Hieron. l. 1. contra Iouiniã.*

Plutarchus inclamat: Quiſquis illuſtrium filiorum pater eſſe cupit, ne vilibus aut abiectis, maculaue aſperſis mulieribus ſe deuinciat: quod infelices eſſent liberi, ſi parentes fundamenta ſui generis malè ieciſſent.

Parentes Rebeccæ, vxoris Iſaac, conſenſum quidem ſuum præbebant, ſed vocemus, inquiunt, puellam, & quęramus illius voluntatem, cum & ipſa conſenſiſſet, aſſignata dote, cum imprecatione proſpera, dimiſerunt eam cum puellis ſuis. *Geneſ. 24.*

Raguel Saræ filiæ dexteram iunxit dextræ manui Tobiæ Iunioris, & cum oſculo dimiſerunt eam. Monentes honorare ſoceros, diligere maritũ, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere. *Tobiæ. 7. & 10.*

Mos antiquus eſt, vt ſponſæ munera dentur à ſponſo. Abrahami maior domus, Rebeccæ, futuræ vxori Iſaac inaures, & armillas aureas, & vaſa aurea atque argentea, & veſtes pretioſas, matri quoque & fratribus munera obtulit. *Geneſ. 24.*

Rebecca ad maritum Iſaac perducta, cum eum videret, peplo faciem tegebat. *Geneſ. 24.*

Nupturæ optimis veſtibus ornabantur, lauabãt, vngebant, comebant ſeſe. *Heſter. 2.*

Omnia illa viduæ deponebant. *Iudith. 10.*

Pacta dotalia conſcribebantur, & media bonorum pars, in dotem dabatur Tobię, cum Sara vxore ſua, reliqua poſt obitum parentum accepit. *Tobiæ 7 & 8.*

De conuiuijs quæ in deſponſatione atque in nuptijs celebrabantur, deque emblematibus & con-

concertationibus quæſt.70.dictum eſt.

In Athenienſium nuptijs ex lege Solonis ἐκ χορὶ χορὶ, quæ perdicum vox eſt, inclamabatur. Perdix enim viuentem coniugem tenerè amat, mortuum ſemper vidua luget, Alexander Sardus lib.1.de moribus gentium c.5.

Sardus.l.1. c.5. Beotij vxorem marito tradituri ante domum currus axem comburebant, vt ſponſa moneretur, Intra manere.

Tacitus de moribus Germa. Germani veteres vxori frenatum equum, & ſcutum cum framea, & gladio tradebant, dotis loco: & illę rurſus aliquid armorum viro offerebant, vt mulier admoneretur, ſe venire laborum & periculorum ſociam, idem pace belloque paſſuram.

Nec enim vxor viro, ſed vir vxori dotem comparabat, iugatasque boues & frenatum equum cũ gladio & framea dabat, ad agriculturam videlicet, & ad bellum.

Matrimonia vero ſeriùs contrahebant, vt corpora vtriuſque ſexus fierent maturiora, ad procreandos robuſtos fœtus.

Et lege, præſertim apud Saxones, cautum erat: Ne vlla pars ſortis ſuæ oblita terminos in contrahendis coniugijs tranſgrederetur, ſed plebs plebeæ, nobilis nobili iũgeretur. Io. Bohemus l.3. de ritibus gentium, c.12. & 13.

Geneſ.29. Iacob pro Rachel ſeptem annis ſeruiuit, & breue illi hoc tempus videbatur, præ amoris magnitudine, cumque ſeptimo anno pro Rachel Lia obtruderetur, alijs ſeptem annis pro Rachel ſeruiuit.

Geneſ.29. Iuniores prius elocari non decet.

Quo-

Quomodo ſuſcipienda ſint matrimonia, Dei ipſius Archangelus Raphael docuit: Qui coniugiū ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacant, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, ſuper illos dęmonium habet poteſtatem. Tu cum acceperis vxorē tuam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & orationibus vacabis cum ea. Tranſacta tertia nocte accipies virginem cum timore Domini, magis amore filiorum quàm libidinis ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris. *Tobiæ 6.*

Quod Tobias diligenter impleuit, & coram Deo proteſtabatur, quod non ſuæ luxuriæ cauſa acciperet Saram, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benediceretur nomen Domini in ſecula ſeculorum. Et Saram accubantem alloquitur: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & perendiè, quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia tranſacta nocte in noſtro erimus coniugio: filij quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coiungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Surgenteſque inſtanter ambo orabant. Dixitq; Sara: Miſerere nobis Domine, miſerere nobis, vt conſeneſcamus ambo pariter. *Tobiæ 8.*

Ipſaque Sara cum ante infœliciter ſepties nupſiſſet, coram Deo aſſerebat: Tu ſcis Domine quia nunquam virum concupiui, ſed mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere, & aut ego fui indigna illis, aut illi non fuerunt digni me, quia forſitan alteri viro reſeruaſti me. *Tobiæ 3.*

Quam

Quàm leuiter nunc matrimonia contrahantur, quàm parum coniuges de oratione,&precibus ſoliciti ſint,ſed ſaltationibus &vanitatibus occupētur,omnes ſcenæ loquuntur.

Quid mirum ergo, ſi tam infœlices exitus iſta coniugia ſortiantur? Romulus Rom. vrbis conditor mulieribus honorem dedit, quod earum interuentu bellum Sabinum compoſitum eſſet, vt vxori deambulanti locus à viro daretur, nihilque eis pręſentibus turpe loqui vel agere viris liceret. Zaſius ad l.2.D.de orig.iur.

Fœcunditas & ſterilitas à Deo eſt.

Fœcunditas à Deo eſt. *Geneſ.25.* Iſaac deprecatus eſt Deum pro vxore ſua ſterili Rebecca,& Deus exaudiuit illum.

Non ſtatim exauditus eſt Iſaac, ſed poſt 20. demum annos. Chryſoſt.homil.49. in Geneſim. Idē Geneſ.20.ex Rachaëlis & Liæ, & 1.reg.1. ex Annæ matris Samuelis,& 2.reg. 6. ex Michol vxoris Dauidis exemplo perſpicitur.

Geneſ 29. 30. Quia plures filios procreârat Lia, iccircò ſe Iacob marito ſuo chariorem fore putabat.

VxorSampſonis ſecretum illius problema ſcire cupiebat,cui ille reſpondit:Matri&Patri nolui indicare,& tibi indicare potero?

Iudic.14. Lacrymis tamen extorſit à Sampſone,reuelauitque æmulis ipſius: iratus ergò Sampſon diſceſſit ab ea in domum patris ſui.

Salomon Rex ſapientiſſimus à paganis&impijs *3.reg.11.* mulieribus, quas ardentiſſimo amore complectebatur, vt nihil eis negare vellet, ſeductus eſt, & grauiſſimam Dei indignationem incurrit.

3.reg.17.21. Ieſabel impia & venefica regina,Achab Regem maritum peſſimum effecit.

Ioram

Ioram regem bonum vxor deprauabat. Dalila blanditijs decepit Sampſonem, & prodidit. 2 *paralip.c. 21.* *Iudic.16.*

Herodias Herodi Regi, quod eam in decollando Ioanne Baptiſta contriſtare nollet, exitium attulit.

Vxor Iob noluit halitum illius ferre: cumque ſederet in ſterquilinio teſta radens ſcabiem ſuam, dixit illi vxor: adhuc permanes in ſimplicitate tua benedic Deo, & morere. Cui ille reſpondit, quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non ſuſtineamus? *Iob.2.*

Tobiç ęgo vxor inconditis verbis exprobabat: Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt: cognatique illius irridebant eum, ipſe verò increpabat eos, & ingemiſcēs cum lacrymis Deum orabat. *Tobiæ 2.*

Dauid Rex Michol vxorem amabat, vt mox dicetur, ſed cum eum à cultu Dei dehortaretur, atq; pſallentem ante arcam Domini derideret reprehendit illam, & perpetuam ſterilitatē illi prædixit. *2.reg.6.*

Sampſon cum vxor ſecreta ſua æmulis reuelaſſet, iratus tantiſper diſceſſit ab ea in domū patris ſui, parentes ergo vxoris illum tradiderunt alteri viro: non diu poſt reuerſus Sampſon, ad vxorem ingredi cupiebat: excludebatur, & pro ea ſoror illius iunior & pulchrior illi offerebatur. Ad quæ Sampſon: Ab hac, inquit, die non erit culpa in me contra Philiſtęos, faciam vobis mala: Statimq; eis bellum intulit, & ſegetes eorum per vulpes combuſſit. Philiſtæi ergo vxorem Sampſonis, & patrē illius, tanquam cauſam iſtorum malorū, combuſſerunt,

Earum quæ temerè nubent pœnas deſcribit Iuuenalis ſatyra ſecunda.

Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeãt parere, aut partu retinere maritos
Aut ſteriles moriuntur.

Michol filia Saulis Regis Iudæorum, vxor Dauidis ſciebat Dauidem à Deo conſtitutum eſſe regem Iudæorum, in perniciem patris & familiæ ſuæ: illa tamen contra patrem & familiam propriam adhæſit marito Dauidi, & non ſine periculo vitæ noctu dimiſit eum per feneſtram, vt inſidias effugeret. (1. reg. 19.)

Exulante Dauide, Michol alteri viro nubere cogebatur, & Dauid alias vxores duxit: alter tamen alterum coniugali amore proſecutus fuit. Nam Dauid in regnum reſtitutus, Abner de regno Iſraëlis ad illum referre cupientem, audire noluit, niſi prius Michol vxorem ſuam reſtitueret. Dauid & ſocij illius acerbiſſimè tulerunt, quod eis abſentibus Amalechitę vxores & liberos ipſorum abduxiſſent ex Sicelegh, nec requieſcere potuerunt, donec eas cum periculo vitæ recuperaſſent. (1 reg. 30. 2. reg. 3.)

Quidam Leuita vxorem duxerat de Betlehem Iudæ, quæ reliquit virum, & reuerſa eſt in domũ patris ſui. Maritus ſequebatur eam, & blandiebatur ei, vt reconciliaretur ſibi. (Iud. 19.)

Illa ſecuta quidem virum, ſed in itinere miſerè perijt.

Qui ex inconſiderato amore copulantur, pleruſque rabie ſe dimittunt. (Neuiza lib. 2. syl. nupt.)

Senes qui vxores iuuenes ducunt, feretrum & mortem ducere perhibentur.

Qui vo-

Qui vetulas ducunt, vt earum præmortuarum bona lucrentur, ferè decipiuntur, quoniam vetulæ ex tali matrimonio vegetantur. *Neui̧za l. 2.*

Mater Sampſonis apparitionem Angeli, & lætũ nuncium de conceptu filij communicat marito, eumque Angelus iterum appareret illi, cucurrit, & adduxit virum. *Iudic. 13.*

Vt exhilararet virum, & ſe ab omni ſiniſtra ſuſpicione liberaret. Quàm pernitioſum in coniugio ſit vitium Zelotopiæ, & quod ad euitandam hanc ſuſpicionem, expediat mutare domicilium, probat. *Neui̧za l. 4. nu 53. & 88.*

Lacedæmonij legem ſtatuerant, ne quis ebrius vxorem cognoſceret, ne ebrioſos filios generarẽt. Vnde Diogenes ad ebrium puerum: Adoleſcens, inquit, ebrius te ſeminauit pater. *Plutarchus*

Primi Romanorum fundatores cum vxoribus carerent, nec vicinæ gentes ipſis dare vellent, Romulus Neptuno equeſtri ludos ſe facturum ſimulabat, ſic euocatis fœminis vicinarum gentium, eas in medio ſpectaculo, & potiſſimum Sabinas, Romani rapuerũt. Tribus Beniamin vxoribus deſtituebatur, & reliquæ tribus, propter iuſiurandũ, filias ſuas ipſis dare nequibant, conſuluerunt ijs vt in vineis laterent, egredienteſque puellas ad ducendos choros ex vrbe Sylo, ſinguli vnam raperent, atque abducerent in terram Beniamin. Cumque, inquiunt, venerint patres & fratres earum, & aduerſus conqueri cœperint, dicemus eis: Miſereamini eorum: Non enim rapuerunt eas Iure bellantium ſed rogantibus vt accipe- *Iudic. cap. vlt.*

V 2 rent

rent non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt.
Io. Bib. l. 3. c. 19. Aliam legem de Matrimonijs tulit Romulus: vt mulier viro ſocia eſſet pecuniarum, & cæterarum rerum, etiam ſacrorum, & vt viueret ad mariti ſui morem, domuſque vt ille D ninus, ita & hæc domina: morienti viro ſine liberis ſuccederet, ſui cũ prole æqua ſit illi pars ſua: adulterij conuictam vir & cognati, vt vellent, necarent: ſi vinum bibiſſet domi, vt adulteram punirent. Quo inſtituto videri poteſt apud Romanos morem inualuiſſe, vt quoties viri domum ſe reciperent, filias, & vxorẽ oſcularentur, an, vt Portius Cato prodidit, olerẽt temetum. Vt enim corruptionem inſaniæ principium arbitrati ſunt: ita corruptionis ebrietatem.

QVAESTIO XLIIII.

Quomodo non deciperetur: vel ſine erratis viueret?

RESPONSIO.

Si ſingula cum ratione agas, nec calumnias tibi faciè perſuaderi patiaris, ſed tu ipſe prudenter dicta quæque & facta expendas, perficiaſque, nunquam laberis vel errabis. Hæc verò ſic expendere atque in his perſeuerari, diuinæ potentiæ opus eſt.

Prouerb. c. 25. Huc pertinet illud Salomonis: Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles.

Apollonius olim à Babiloniç rege interrogatus, quomodo tutò regnare poſſet? reſpondit:
Si multos honoraueris, paucis credideris.
Qui enim facilè credit, citò decipitur.

Quomodo autem adulatores cognoſceret quæ-

quæſtione 40. declaratum eſt. Conſiliarijs quatenus credendum ſit, quæſtione 52. videbitur: quibus amicis vtendum iudicaret. 57. reſpondit.

QVAESTIO XLV.

Quomodo quis ab ira liber & vacuus eſſe poſſet?

RESPONSIO.

Si tu rex conſideraueris, quòd cum omnium poteſtatem habeas ſi adiunxeris iram morté ſis multis allaturus. Triſte autem & pernitioſum eſſet, ſi quis ex eo, quod omnia in ſua poteſtate habeat, multos vita priuet. Deinde, ſi perpenderis quod cum omnes habeas tibi ſubiectos, neminem aduerſantem, non eſſe cur tibi ſit iraſcendum. Poſtremò, ſi & hoc perpendas, quod DEVS totum mundum cum manſuetudine gubernat, abſque omni indignatione, eumque tibi eſſe imitandum.

Quàm pernitioſa & execrabilis beſtia ſit ira, diuinis & humanis literis docetur. Cain enim per iracundiam fratrem ſuum Abelum occidit. Et Ioſeph patriarcha fratribus ſuis non fruſtra præcepit: Ne iraſcamini in via. Virum ſtultum interficit iracundia. Ira viri iuſtitiam non operatur. Ira furor breuis eſt, atque ad omnem functionem inutilis: à qua non minus exitij eſſe aiebat Chilo, vnus ex 7. ſapientibus, quàm ab hoſte. *Geneſ. 4.* *Geneſ. 49.* *Iob 5.* *Iacobi 1.*

Ioannes Chryſoſtomus ad populum Antiochenum eleganter ab ira omnes homines promiſcuè dehortatur. Ipſeq; Chriſtus Ieſus profitetur apud Matth. ca. 5. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo temerè, reus erit iudicij. B. Ambroſius: Caueatur iracundia aut, ſi caueri non poteſt, cohibeatur: mala enim il- *Homilia 29. 30. 31.* *l. 1. off. c. 21.*

lex peccati indignatio eſt, quæ ita animum perturbat, vt rationi non relinquat locum. Reſiſte iræ ſi potes, cede ſi non potes. Scriptum eſt enim: Date locum iræ.

Non mediocre eſt mitigare iracundiam, non inferius, quàm omnino non commoueri. Pulchrè ibi locum Dauidis explicat: Iraſcimini & nolite peccare.

Pſal. 4.

Refert quoque elegans Archytæ Tarentini verbum ad ſuum villicum: O te infœlicem, quàm te afflictarem, niſi iratus eſſem.

Similiter Plato cum ſeruum caſtigare vellet, ſentiretque ſe iratum, reiecit hoc in Xenocratem: Flagella tu eum, inquiens, quoniam me vides plus ſatis iratum, authore Laërtio. Et Charillus ad ſeruum: Niſi iratus eſſem, te occiderem. De Alphonſo Aragonum Rege ſcribit Panormitanus lib. 1. cap. 11. quod pincernæ iratus, pugionem abiecerit, ne committeret aliquid ſe indignum.

Iſocrates Nicocli Regi præcepit, ne quid omnino per iracundiam ageret. Auguſto Cæſari Athenodorus cõſulebat, ne quid iratus diceret faceretſue, antequam græcum Alphabetũ recitaſſet. Quod tantopere Cæſari placuit, vt quem prius in patriam redire permiſerat, integrum annum retineret. B. Ambroſius Thodoſio perſuaſit, vt ſententia capitis in literas relata ad trigeſimum diem differretur, vt narrant Calixtus & Sozomenus.

L. 1. c. 4.
L. 7. c. 24.

Ad Iuſtinianum Imperatorem reſcripſit Agapitus: Principis eſt aliquandò iraſci mediocriter, ſed huc non ſine magna cauſa veniendum: vt & malorum cupiditas compeſcatur, & bonis ſui purgandi non deſit occaſio.

Pan-

Paulus Iuriſconſultus in L. Quicquid ff. de regulis iuris, Quicquid, ait, calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quàm ſi perſeuerantia apparuerit iudicium animi fuiſſe.

Baſilius Magnus aliquando interrogatus, an fieri poſſet vt homo non iraſceretur, quęſtione 127. compendioſa, reſpondit: Si miles in conſpectu Regis ſe cohibere poteſt ne iraſcatur: poterit certè in conſpectu omnia videntis DEI ab ira abſtinere.

Si quis fortè cõmoueatur vehementius, obſeruare ſemper oportet hoc Pauli ad Epheſios. 4. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: Nolite locum dare Diabolo.

Quomodo autem Deus aliquando iraſci dicatur, pulchrè & eleganter explicat Lactantius in libro de ira Dei.

QVAESTIO LXVI.

Quid ſit benè conſulere, ſanaque capere conſilia?

RESPONSIO.

Omnia cum ratione & diligenti ponderatione agere, adhibitis quoque in conſultationem contrarijs: vt ſic inſpectis conſideratiſque ſingulis, & rectum conſilium capiatur, & quod concluſum eſt, peragatur. Sed illa demum optima conſilia ſunt, quæ diuina virtute in pijs animis reguntur.

Epictetus Enchiridij capite 33. admonet, vt quiſquis aliquid aggreſſurus eſt, eius initium primo, deinde quid inde conſequatur, conſideret, & tandem fortiter aggrediatur.

QVAESTIO XLVII.

Quid eſſet philoſophari?

RESPONSIO.

Rectè de ſingulis, quæ accidunt in vita, ſentire, nec vllis cupiditatibus de gradu moueri, conſideratiſque malis quæ ex cupiditatibus oriuntur, rectè omnia & moderatè agere. Quod vti fiat, Deus implorandus eſt.

Quia philoſophi Regem ad ſtudium ſapientiæ crebrò hortabantur, & vel philoſophos regnare, vel reges philoſophari debere affirmabant: ergò quid eſſet philoſophari, ex Hebræorum ſapientibus audire, vt videtur, cupiebat.

Plato aiebat, philoſophiam eſſe ſimilitudinem hominis cum Deo. Philoſophi enim, authore Cicerone 1. Tuſculana, animū à voluptatibus, à corpore, à re familiari auocant, atque abducunt, conſueſcuntque mori.

Sapientia eſt vitium fugere, & ſtultitia carere, atque virtutes amplecti.

Quam neceſſaria viris principibus philoſophia exiſteret, quàm præclaros illa fructus apportaret in libris officiorum ſcholaſticorum & in tractatu de ſapientia, & libro primo academiarum edifferui.

Vide q. 42. QVAESTIO XLVIII.

Quomodo apud peregrinos inueniret hoſpitales, & facilè ipſum recipientes?

RESPONSIO.

Si omnibus te æqualem præbeas, & inferiorem potius quàm ſuperiorem, apud quos peregrinaris. Nam & Deus amat eos, qui ſe humiliant: & homines quoque demiſſos humanitate proſequuntur.

QVAE-

QVAESTIO XLIX

Quomodo extruere poſſet opera, quæ eſſent diuturna?

RESPONSIO.

Si magna & honorifica perficias opera, à quibus alij abſtinere cogantur ob pulchritudinem, nec vllus ſimilia auſit incipere, aut alios curæ neceſſariæ ad ea perficienda intentos perpellere queat ſine mercede.

Sed præcipuè hoc ita aſſequeris, ſi conſideres Deum magna prouidentia gubernare & tueri genus humanum, & ipſis ſuppeditare valetudinem, integritatem ſenſuum, aliaque ſimilia: quem tu imitari debes, minimè interim neglecta iuſta malorum compenſatione. Ea namque ſolidam diuturnitatem habent, quæ per iuſtitiam fiunt.

QVAESTIO L.

Quis eſſet fructus ſapientiæ?

RESPONSIO.

Non eſſe ſibi conſcium malarum actionum ſemperque per omnem vitam veritatem colere: hinc enim ſummum gaudium, & maxima tranquillitas animi naſcitur. Rex: Spes etiam in DEO præclara tibi continget, piè regnum adminiſtranti. q. 31 & 34. & 47.

QVAESTIO LI.

Quomodo aliquis cauere queat, ne in ſuperbiam incidat?

RESPONSIO.

Si primò æqualitatem ſeruet, deinde ſemper recordetur, quòd ipſe homo ſit, & hominibus præſit: terriò ſi cogitet, Deum deprimere ſuperbos, & extollere humiles. quæſt. xi.

Quoniam Regibus maxima ſuperbiæ fomenta præbentur:potentia,opes,victoriæ,& adulatorum greges: vt 67.admirabilem vocet, qui iis non efferatur:idcirco Ptolomæus Rex contra peſtilentiſſimam hanc belluam verum remedium quæſiſſe videtur.

Duobus autem hic argumentis eam propulſari poſſe indicatur:ſi conſideretur, quàm ſuperbia homine indigna ſit, & quàm pernitioſa, Deoque ingrata lues exiſtat. De vtroque pauca quædam adſcribenda putaui: ſi prius ſuperbiæ originem vulgatis verſibus compræhenſam recitauero.

Cenſus,nobiles,vox,fama,ſcientia,virtus.
Robur,honor,ſpecies,ſucceſſus,victus,amictus,
Recta valetudo,pietas,& mentis acumen.
Hæc plerunque ſolent hominem praſtare ſuperbum.

Nihil verò in omnibus illis eſt, quare aliquis inſoleſcat. Nam:

Eccl.10. Quid ſuperbis, inquit Eccleſiaſticus terra & cinis?Rex hodie eſt,& cras morietur, hæreditabitq; ſerpentes,& beſtias,& vermes.

Initium omnis peccati eſt ſuperbia.

Pſal.101. Et Dauid:Defecerũt ſicut fumus dies mei,& oſſa mea ſicut cremium aruerunt.Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Rurſus:Recordatus eſt quia puluis ſumus,homo ſicut
Pſal.102.
Pſal.143. fœnum,dies eius ſicut flos agri efflorebit.Et:DOMINE quid eſt homo,quia innotuiſti ei, aut filius hominis quoniam viſitas eum ? Homo vanitati ſimilis factus eſt,dies eius ſicut vmbra prætereunt.

Et Eſa-

Et Eſaias: Omnis caro fœnum & omnis gloria *Cap.40* eius quaſi flos agri.

Rectè dixit S. Bernardus: Conſidera ô homo vnde veneris, & erubeſce: vbi ſis, & ingemiſce: quò vadas, & contremiſce.

Vnde ſuperbit homo, cuius conceptio culpa,
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori?
Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror.
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Tanta eſt humani generis miſeria, vt veteres putârint optimum eſſe homini non naſci, aut ſtatim emori. Prouerbioque celebratur: Homo bulla.

Ad calamitoſi nomen, aiebat Sophocles, ſatis eſt vt homo ſis.

Huc ſpectat Mantuanus:

Noſtra breuis veloxq́; ætas & plena laborum
Nil altum tentare ſinit, contermina meta eſt
Carceribus, coniuncta neci, ſubiectaq́; fato
Vita fugit, paruo occaſus diſcrimine ab ortu
Diſtat, & innumeris premitur breue cladibus æuum.
Quæ rapuit patres eadem fortuna nepotes
Inſequitur, viret æterna ſors aſpera fronde.
Totaq́; ſub curis it vita ſimillima morti.

Innocentius III. Pontifex Maximus tres libros de contemptu mundi, ſiue de miſerijs vitæ huma-

humanæ perſcripſit: vbi hunc locum egregiè perquiſiuit.

Quiſquis fortè animi, corporis, aut fortunæ bonis, à Deo præ cæteris exornatus eſt: nihil habet cur in ſuperbiam efferatur.

Omnia enim iſta Dei dona ſunt, qui ſtatim poteſt ea anferre; atque alijs maiora elargiri. Dei dona, talenta ſunt, quibus niſi rectè vtaris, ſatius erat nunquam accepiſſe. Stultaque eſt de alienis ſuperbia.

Conſiderandum quoq; erit, ſi alij talibus eſſent à Deo bonis inſtructi, quàm egregiè illis ad aliorũ ſalutem, & vtilitatem publicã vterentur. Et (quod Epictetus quoque admonet) ad cauendam ſuperbiam prodeſt, ſi cognoſcatur, quantò infiniti homines nobis præſtantiores ſint, innumeriſque donis redundent, quibus nos caremus.

Cap. 62. Quocirca veteres, non modo amentes & furioſos, verumetiam miſeros appellabant, quotquot corporis vel animi bonis efferebantur, vel opibus aut principum gratia, aut multitudinis fauore nitebantur.

Ad Iuſtinianum Imperatorem ſcripſit Agapitus: Etſi Princeps Dei imagine honoratus eſt, æquè tamen ex abiecto puluere, à quã cæteri homines, cõſtat. Quæ res eum docere debet, vt in omnes æqualitatem agnoſcat, nec immodicè ſibi placeat. Et: Sunt quos Imperij honor ſeueros ac ſuperciliosos reddat, vt qui potentiam ſuam non minus iactant, quàm cornua obuertit taurus: ſed tu carnis tuæ vtilitatem conſidera, & animi tumor facilè reſidebit. Nam & ſi terrena ditione potiris, tamen in mẽtem veniat: Principes omnes è terræ limo ducere originem

originem. Si quidem è puluere ad regia tribunalia conſcendunt, & rurſus è tam ſublimi ſolio in puluerem recidunt.

Reges quidem ac Principes in ſummo magiſtratu à Deo conſtituuntur, vt ipſius vicarij ſint in terris, pacem & tranquillitatem inter homines conſeruent, ſacratiſſimamque religionem tueantur. Conſiderare nihilominus oportet, quod & ipſi *Vide q.14.* homines ſint, & hominibus Dei filijs, Chriſtique pretioſiſſimo ſanguine redemptis, Dei loco imperent: accuratam olim Deo geſti magiſtratus rationem reddituri.

Sum quidem & ego mortalis homo, ait Sapiẽs, ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius qui *Cap.7.* prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis & delectamento ſomni conueniente: Et ego natus accepi communem aërem, & ſimiliter decidi in terram factam, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi, plorans.

In inuolumentis nutritus ſum, & magnis curis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.

Idcircò Heſter regina profitetur: Tu ſcis domi- *Cap.14.* ne neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meę: & deteſter illud quaſi pannum menſtrualem, & non portem in diebus ſilentij mei. Simile eſt huic Regis cuiuſdam ora- *L.7 c.2.* tio, apud Valerium: O nobilem magis, quàm fœlicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quã multis

multis ſolicitudinibus & periculis, & miſerijs ſit refertus, né humi quidem iacentem tollere vellet. Loquitur autem de diademate regio.

Lib.12.c.42. Nicephorus Calixtus auream Placillæ Auguſtæ ad Theodoſium Imperatorem orationem refert: Cõſiderare te ſemper, coniunx ſuauiſſime, oportet, & quis antè fueris, & in quem locum te euexerit vniuerſitatis huius Deus. Si enim perpetuam huius rei obtinueris memoriam, non prorſus te ob accepta beneficia erga eum ingratum præſtabis ſed ex præſcripto legum Dei, quod ab eo accepiſti gubernabis imperium: & ita eum qui id tibi, vt fideli miniſtro, commiſit, ritè coles. Iuſtinus Tyberio coronam imperatoriam impoſiturus, ea verba Niceph.l.17 c.vlt. diſertè ad eum eſt prolocutus, quæ memoriam omnem veterem & nouam longè excellunt: Ne te, vir optime, vmbra iſta phantaſiæ, ſiue apparatus huius, & veſtis hæc decipiat, quibus & ipſe præterquam deceret tranuerſim raptus, non ſenſi meipſum ſupremis pœnis obnoxium reddere. Noſce quis antè fueris, & quis hodie factus ſis. Si peccare non vis, ne arrogans & ſuperbus fueris: ipſe namque vides, quis ego paulò antè fuerim, & quis nũc ſim.

Tiberius Imperium Mauritio traditurus, apud eundem Nicephorum ita alloquebatur: Purpuram perinde ac vilem pannum tibi iniectam eſſe per philoſophiæ ſtudium, exiſtima: coronam autem qua caput tuum cinctum eſt, nihil a lapillis qui circa marinum littus fluctibus alluuntur, differre puta. Ipſe purpuræ flos, quod ſubtriſtior eſt, exhortari mihi principes videtur, vt moderationem animi rebus ſecundis ſeruare aſſueſcant, ne-

que

que nimium lętentur, aut luctuoſa iſta monarchię ſtola ſuperbiant. Imperij ſiquidem ſceptrum non immoderatam poteſtatem, ſed ſplendidam potius ſeruitutem exercere admonet.

Archidamus Ageſilai filius, cum poſt conflictū apud Cheroniam, à Philippo rege Macedonum literas acerbiores accepiſſet, reſcripſit: Si metieris vmbram tuam, haud quaquam reperies illam factam maiorem, quàm erat ante victoriam. Ac ipſe rex Philippus cum intelligeret, vno die multas res fœliciter eſſe geſtas, porrectis in cœlum manibus: O, inquit, fortuna, pro tot tantiſque bonis leui quopiam me malo affice. Macedones nihilominus, quia verebantur, quòd Rex propter varias inſignes victorias futurus eſſet inſolentior, voluerunt, vt iuuenis quidam crebro inclamaret: Philippe, memento quod homo ſis. Quemadmodum Eccleſia Chatolica, pia mater, in principio quadrageſimæ filijs ſuis inclamat: Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Romanorum reges propter ſuperbiam libidinemque eiecti fuerūt. Et Decemuiri, cum poteſtate ſua abuterentur, repudiati ſunt: id quod Feneſtella c. 7. & 14. Pomponius Lętus c. te 15. de magiſtratibus Romanis teſtantur.

Prudenter olim Solon Crœſum admonuit: ne nimium fortunæ florenti confideret: eſſeque dementiam ſummam, rebus ſecundis inſolenter extolli. Quod ipſe Crœſus à Cyro deuictus, & pyræ impoſitus aperta voce profitebatur.

Hæc, & his ſimilia exempla tantam omnibus hominibus cognoſcendæ conditionis ſuæ materiam præ-

am præbent, vt nullum maius dementiæ atque temeritatis indicium ſit, ſecundis rebus efferri. Quoniam nemo eſt qui ſibi queat vnum diem, vel horam potius, omni calamitate liberam polliceri. Omnes humanæ opes ſubitò euaneſcunt, & ex altiſſimo gradu Principes maximi, cum omnium mortalium admiratione ſæpè conciderunt, ingentiq; e ſeueritatis impetu Deus eorum ſtatum qui nimium ſibi præfidunt, quaſi turbine conuellit & deijcit. Vt nemini exploratum eſſe poſſit, omnia ſibi ad extremum vitæ ſpiritum fœliciter euentura: & acerbi caſus, & inopinata tempeſtas florentem ſtatum ſæpenumerò peruertere, malorumque omnium fluctibus obruere videntur.

Quocirca ſtulti atque inſani eſt, in ſecundis rebus humanæ imbecillitatis obliuiſci: nec omnia mala quæ poſſunt ſingulis diebus, & horis, atque adeò momentis incidere, antè meditari.

Daniel. c. 4 Quid ſuperbo Regi Nabuchodonoſor acciderit ſcriptura ſacra commemorat. De Antiocho lib. 2. Macch. cap. 9. & cap. vlt. de Nicanore videre eſt.

Dauid Rex quòd populum Iſraël numerauerat, à Deo punitus fuit.

Ezechias Rex ob id quod legatis Babilonijs omnes theſauros ſuperbè oſtenderat, Deum offendit, & omnibus his ſpoliatus fuit.

Dionyſius Siciliæ tyrannus potentiſſimus ex maximo Principe ludimagiſter factus, tanta mutatione maiores natu docuit, ne quis nimis fortunæ crederet. Et Siphax rex conſimilem fortunæ iniquitatem expertus fuit, quando ad Scipionem catenatus à Lælio pertractus, quem regio inſidens

ſolio

ſolio arroganter contempſerat, eius genibus ſupplex procubuit: vt de vtroque narrat Valerius. Pro- *L. 6 c. vlt.*
pter eandem cauſam Romanorum Imperatores aureum fortunæ ſimulacrum in cubiculo ſuo habebant, Alexander Sardus de moribus gentium. *L. 2. cap. 13.*
Anima, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, quoniam aduerſus dominũ rebellis fuit, peribit de populo ſuo. Verbum enim Domini contempſit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem ſuam: inquit ſcriptura. Regis cor ne eleuetur in ſuperbiam ſuper fratres ſuos. Et: Superbiã nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. *Numer. 15.* *Deut. 17.* *Tobiæ 4.*

Et Iudith: Nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi: Et Iob: Propter ſuperbiam, quaſi leænam, capies me. Et: Vir vanus in ſuperbiã erigitur. Et: Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius: ſonitus terroris ſemper in auribus illius. Et: Laus impiorũ breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicẽt: Vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. Et diſperge ſuperbos in furore tuo, & confunde eos, & reſpiciens, omnem arrogantem humilia: reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos, & contere impios in loco ſuo. *Iudith. c. 9.* *Iob. 10 & 11 & 15. & 20.* *Cap. 40.*

Similiter Regius Propheta Dauid: Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam. *Pſal. 100.*

Et: Suſcipit manſuetos Dominus, humiliat pec- *Pſal. 146.*

X catores.

Prouerb. 11. & 16. catores vſque ad terram. Et Salomō: Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia. Abominatio Domini eſt omnis arrogans. Et Eccleſiaſticus: Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu. Cadet ſuperbus, & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum. (Cap. 10.; Hier. 50.)

Si exaltatus fueris vt Aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te. De Principe Tyri horrenda prophetia extat apud Ezechielem. (Abdiæ ca. 28.)

Interrogatus aliquando Chilon: quid ageret Iupiter, reſpondit: Excelſa humiliat, & humilia extollit. Quod Chriſtus Ieſus ſic expreſſit: Omnis qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. (Lucæ 18.)

Deus enim humilia reſpicit in cœlo & in terra, ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus populi ſui, Pſal. 112. (Superbia facit homines inglorios q. 57.)

Ac, vt ſemel dicam, quod Eua per ſuperbiam perdiderat, hoc per humilitatem Maria reſtituit, Lucę namque primo capite profitetur: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuę. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

QVAESTIO LII.

Quibus conſiliarijs vtendum ſit?

RES-

RESPONSIO.

Qui multis in rebus verſati, ſynceram erga te beneuolentiam ſeruent, & moribus ſint tui ſimiles: ſed Diuina illuſtratione percipitur, qui ſint huiuſmodi.

Quoniam Ptolomęus Rex, vt ex præcedentibus apparet, magnum eſſe regni firmamentum & robur aiebat, ſi reges circa ſe haberent quàm plurimos iuſtos & prudentes viros, quorum conſilio vterentur: ergo hanc quæſtionem proponere voluit, vt Iudæorum de ea ſententiam audiret. Et omnes certè conſiliarijs indigent. Nec enim aliquis princeps vllo modo poteſt vel in bello victoriam conſequi, vel in pace digniatem tueri, vel in otio tranquillitatem retinere, vel tot hominum millibus proſpicere, qui non multis oculis, & auribus bonorumque hominum comitatu circumſeptus eſt. Quare veteres Themin deam regibus aſſidere finxerunt. Magnum Achillē, inquit Alciatus, à iuſtiſſimo illo & ſapientiſſimo centauro eruditū, optimiſque conſilijs imbutum fuiſſe, Græcorū Authores ſuis ſcriptis tradiderunt; vt hoc exemplo principes commonefacerent, nihil ipſis magis cōuenire, quàm viros probitate, prudentia, iuſtitia inſignes aſciſcere, quibuſcum arcana Imperij tutò communicarent, quorum maturo iudicio, & aſſiduo labore, diligentique opera tantam molem rectè diſponerent, feliciter regerent, & adminiſtrarent. Qua ratione ſummus poëtarum Homerus Agamemonij Regi peritiſſimum Neſtorem iugiter aſſediſſe induxit. Et Plato atq; Ariſtoteles dū monarchiā, & vnius Imperiū humano generi vtiliorē

De mag. & famil. q. 65 & 66.

eſſe probârunt,illud tamen addidêre: ſi prudentes viri in conſilium adhiberentur. Idemque Plato tradit:Iouem ipſum quendam conſiliarium habuiſſe,vt inde principes exemplū caperent. Sic quoque clariſſimus Orator Iſocrates, cum qualem oporteat eſſe Regem docere voluiſſet, illud ante omnia pręcepit: vt prudentiſſimos viros ſibi conſultores deligeret.

Act. Ap. vlt. Gentium Doctor Paulus Apoſtolus nautas ob inſtans periculum fugere prohibuit, dicens: Niſi hi,tamquam periti in arte,manſerint in naui, vos ſalui eſſe nequitis.

Multi ergo ſunt in regni adminiſtrandi ſocietatem conuocandi, qui ſint regiarum virtutum opibus illuſtrati,iuſtitia,temperantia, fortitudine, grauitate,conſtantia,liberalitate,& ea,quę laudes omnes complectitur,ſapientia.

Heſter 1. Aſſuerus Perſarum & Medorum rex prædicatur,quòd ſemper viros ſapientes adhibuerit, ſcientes leges & iura Maiorum, de quorum conſilio

Cap. 9. cuncta perageret.Et Eccleſiaſticus admonet: Cum

Cap. 8. ſapientibus & prudentibus tracta.Et: Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis.Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientum,& in prouerbijs eorum conuerſare.

Marius Maximus meliorem eſſe rempublicam & propè tutiorem referebat, in qua princeps malus eſſet, quàm in qua amici principis praui extarent. Quandoquidem vnus malus poſſit à pluribus bonis corrigi, multi autem ab vno nequaquā. Criſpinianus in Conſulibus.

Homulius ſenator Romanus optare ſolebat potius

tius malum principem,qui bonos haberet conſiliarios ac amicos, quàm bonum,qui malos haberet, quibus rerum adminiſtrationem cõmitteret.Putabat enim facilius fore, vt à multis bonis vnus malus ad ſaniora duceretur,quàm ab vno bono multi à malitia auerterentur. *Fulgoſ.l.7. c.2.*

Idem cum à Traiano Romanorum imperatore audiuiſſet,Domitianum peſſimum fuiſſe Imperatorem, amicos tamen optimos habuiſſe, dixiſſe fertur:melius erat vnum malum pati, quàm multos:multi enim mali non poſſunt ab vno,quamuis bono,vlla ratione ſuperari.Aelius Lampridius in Alexandro.

Crœſus rex Lydorum victus à Cyro Perſarum rege,illi poſtea in rebus gerendis ſemper optimè conſuluit. Itaque Cyrus contra Maſſagetas expeditionem ſuſcipiens(in qua etiam perijt) filio ſuo Cambyſi Crœſum commendauit,vtque illius cõſilio vteretur monuit,Herod.li.1.

Domitius Vlpianus iureconſ.clariſſimus,prætorio præfectus ſub Alexandro Mammeæ omniũque eius conſiliorum particeps,ſua prudẽtia principem,atque adeò totum rexit imperium.

Propterea quærenti Conſtantino Magno, quo pacto Alexander adoleſcens,& Syrus in talem euaſiſſet principem,cum Tiberij, Caligulæ, Nerones,Domitiani, Commodi, Iulianus, ante illum principes Romani ſanguinis,imperatorium nomẽ dignitatemque fœdârint?reſponſum fuit:id potiſſimum moribus ac probitati eorum accepto eſſe ferendum, quos ille princeps in cõſilio habuerat, Vlpiano,Iuliano,Paulo, Pomponio, Fabio, Sabi-

ne, iureconſultis præſtantiſſimis & V.C. Rutilius in vita Vlpiani.

Anacharſis philoſophus aſſerebat principis eſſe, ne ſolus prudens ſibi videretur, ſed aliorum conſilia libenter audiret.

Antoninus putabat expedire, vt vnus tot ſapientum conſilia ſequeretur, quã vnius tot prudentiſſimi viri, præſertim cùm pauciſſimis, authore Plutarcho, contigerit fœlices eſſe, & rectè ſapere: cùque multa ſint, quæ poſſint viros principes in perueſtigatione veri impedire.

1.reg.29. Achis rex, & ſi Dauidem virum bonum & fideliſſimum amicum eſſe ſciebat: & ſatrapas, atque conſiliarios ſuos fruſtra de illo proditionem ſuſpicari: tamen eorum potius conſilio, quã propriæ voluntati obtemperabat: Dauidemque è prælio diſcedere iubebat.

lib.18.ca.6. Tyberius Imperator ad Mauritium ait, apud Nicephorum: Minimè opinionem eam, quod prudẽtia omnibus anteeas, concipe, quã iis fortuna, quæ ſublimis tibi contigit, omnes ſuperes. Antigonus
lib.7. rex Macedonum, ad Zenonem ſcribens, apud Laërtium de placitis philoſophorum fatetur, diuitijs, fortuna, & gloria ſe Zenonem ſuperare, verùm ſapientia, ſtudijſque liberalibus longe à Zenone philoſopho ſuperari: quare amicum & conſiliariũ ſibi facere ſtudebat.

2.reg.5. Abſalon regnum inuaſurus, Achitopel ſupremum Dauidis conſiliarium ſibi reconciliabat. Rectèque in omni hominum memoria rempublicam adminiſtraſſe reperiuntur, qui, & ſi conſilio & prudentia ipſi valerent, nihilominus tamen bonis atque eruditis, prudentibuſque conſiliarijs vſi fuêre

Quan-

Quanquam in primis curandum eſt, vt principes inconſilium adhibeant pietatem, modeſtiam, liberalitatem, clementiam, iuſtitiam: caueant verò tyrannidem, crudelitatem, auaritiam, iram, cæteraſque cupiditates, quæ meritò peſſimi omnium conſiliarij appellentur.

Deinde in ſeligendis conſiliarijs maxima cura opus eſt, quoniam non modo ipſum Principem, verum etiam rempublicam conſeruare & perdere poſſunt: vt vix vlla alia in re ſit periculum maius. Deligantur autem, quantum fieri poteſt, qui tanta prudentia ſint, vt omnia diligenter explorent, quæque euentura ſint ex antecedentibus cauſis multò antè prouideant, nec ea conſulât, quorum aliquando pęnitere oporteat: qui tanta fide ſint, vt nullo quæſtu aut emolumento à veritate atque officio deducantur: quique priuato commodo publicam vtilitatem anteponant, & tanta grauitate virtuteque præditi ſint, vt nulla in re adulari, aut prauis aliorum ſententijs cedere velint, nec vllo metu, quo minus omnia quæ ſalutem adferre poſſunt apertè dicant, impediantur. Multi enim hoc tempore, quamuis rectè ſentiant, & reipublicæ conſulere cupiant, ne tamen in principum offenſionem incidant, & qualecunque damnum patiantur, vera & vtilia ſuadere non audent. Rectius multo Solon apud Laërtium præcipit: Conſule Principi non dulciora, ſed optima. Ageſilaus diligebat, qui non dubitarent in loco aduerſari atque reprehendere. Fit aliquando, vt ſicut ægroti ſæpè pharmaca ſalutaria, ſed acerba aſpernantur, & reſpuunt, earumque rerum

cupiditate capiuntur, quæ ſunt ſanitati valdè contraria: ita Principes interdum animi morbis oppreſſi & impediti, veritatis medicinam reijciunt, & elaborata concinnitate mendacij, falſaque dulcedine vanitatis alliciuntur. Ita verò fit, vt quamuis in principio voluptate aliqua afficiantur, aliquandò tandem dolore & cruciatu pœnas temeritatis & amentiæ perſoluant. Et qui horum authores fuêre, aut, quando poterāt, non impediuerunt, ſed falſis rerum imaginibus eluſi, falſos honores ambibant, bonaque inania conſectabantur: malā apud Principes, quos ſeduxerunt, & apud rempublicam, cuius bonis fruſtrà tam ſplendidè abuſi ſunt, gratiam mereantur, perpetuamq; infamiam incurrant, & aſſiduis flagitiorum & ſcelerum pœnis excrucientur.

Reg. 30. Satrapæ & conſiliarij Regis Achis quia perniciosum reipublicæ, & ſaluti Philiſtinorum videbatur futurum, ſi Dauid profugus cum ipſis contra Iudæos in prælium deſcenderet, etiam irato Regi audacter reſtiterunt: donec Dauidem cum ſocijs domum redire iuberet.

Etſi (proh dolor) tales cōſiliarij difficulter inueniri poſſunt. Catalanis optimum fore cēſentibus, ſi Alphonſo Aragonum Regi adoleſcentulo ſeptē viri ad gubernandas reſpublicas adiungerentur, qui Deum timerent, iuſtitiam colerent, cupiditates refrenarent, neque donis, neque muneribus caperentur: ipſe Rex reſpondiſſe fertur: Si tales nō ſeptem, ſed vel vnum dederitis, continuò illi & regnum & regimen conceſſero Lacædemoniorum.

Lacedæmoniorum conſilijs ſemper augures intererant.

tererant, & apud veteres in paganiſmo Romanos præcipui conſiliorum moderatores erant ſacerdotes: vt ex Cornelio Tacito, in eorum academijs declaraui.

Ita propter cauſarum diuerſitatem, ſeculares & eccleſiaſtici viri adhibeantur in conſilium, ne de rebus ignotis iudicare quiſquam, cum reipublicæ detrimento cogatur. De his qui de rebus ſacris laicos, Grammatelloſque ſententiam dicere iubent, in libris officiorum ſcholaſticorum, & monachi cap. vlt. pluribus verbis diſſerui. Alexander Seuerus, teſte Lampridio, Theologos, Iuriſperitos, Medicos, Hiſtoricos, Milites in conſilium adhibebat, & illa quemque interrogabat, quæ ad ſuam profeſſionem pertinerent: dato ſingulis ſpatio ad diſquirendum, ne grauiſſimis de rebus temerè & incogitatè dicerent. Præfectos autem prætorio voluit eſſe ſenatores Romanos, ne quis non ſenator de ſenatore iudicaret.

Vtinam hoc eccleſiaſtici Principes obſeruarẽt, qui in negotijs eccleſiaſticis, conſiliarijs laicis vtuntur: quorũ aliqui res ſacras parum intelligunt, aliqui etiam non admodum curare videntur, quidam fortaſſis euertere ſtudent.

Quare Io. Caſus lib. 4. ſpheræ ciuitatum cap. 15. Clerici, ait, & ſacri homines ad principũ conſilia, ad tribunalia, comitia, muniaque adhibentur, vt cum alijs in theatris reip. ſedentes, oculatiſſimè attendant, obſeruentque ne ciuitas humana à ciuitate Dei, nec gladius politicus à gladio verbi, hoc eſt, ne conſilia, leges, mores, edicta hominum à diuinis oraculis vnquam declinent.

Senes plerumque conſilio valere, quemadmo-

dum iuuenes viribus, perhibentur: quod vehementer iudicium hominis confirmet experientia: vt Ciceronis Cato probat. Roboam filius Salomonis, quia contempto prudentiſſimorum ſenũ conſilio, temerarios & inexpertes iuuenes audiebat: præcipuam regni partem amiſit. Quo exemplo vtitur B. Ambroſius. Romanumque Imperium iuuenile conſilium perdidiſſe ferunt.

3. reg 12.

Lib. 2. offic. 18.

Quod crudeles & auari non eſſent in conſilium adhibendi, ſed miſericordes atque benigni qu. 14. dictum eſt.

Fredericus Imperator optimè adminiſtrari rẽpublicam aiebat, ſi conſiliarij atque ſenatores ante curiam odium, inuidiam, ſimulationẽ, diſſimulationemque deponerent. Sigiſmundus verò hypocritas & adulatores velut exitioſiſſimam peſtẽ Principibus cauendos aſſerebat: De vtroq; refert Syluius ad librum tertium Panormitani de geſtis Alphonſi regis. Agapitus Iuſtinianum Cæſarem admonebat: Auerſare adulatorum non minus fraudulentos, quàm blandos ſermones, perinde ac coruorum rapacitatem. Etenim vt hi corporis oculos effodiunt, ita illi animi iudicium occæcare ſolent, nec veram rerum faciem intueri ſinunt: dũ vel vituperanda laudant, vel laudanda ſæpe vituperant. M. Cicero in libro de amicitia: moleſtam fatetur exiſtere veritatem, ſed obſequium adhuc multò moleſtius, quod peccato indulgens, præcipitem animum ferri ſinit, iudiciumque veri tollit atque adulterat.

De cognoſcendis adulatoribus Vi q. 40.

De Heraclamone refert in Aureliano Vopiſcus, quòd eum Aurelianus occidi permiſerit, poſtquã illi patriam prodidiſſet, quod nequaquã ſibi fidelem

lem fore arbitraretur, qui patriæ infidelis extiterat. Similiter veteres Chriſtiani Principes adulatores & hæreticos, atque Apoſtatas, longiſſimè à familiaritate repellebant, nec ſibi fidem ſeruaturos credebant, quam Deo & Eccleſiæ Catholicæ non ſeruârant. Vt Conſtantinum Magnum, Theodoſium, cæteroſque Principes Catholicos feciſſe, hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores commemorant.

Conſilium ſemper à ſapiente requires. Cum fatuis conſilium non habeas: nec coram extraneo facias conſilium, neſcis enim quid pariet. A conſiliario malo ſerua animam tuam, Nulla enim fera poteſt in terris immanior & truculentior excogitari. Nam quicquid Principes cupiunt, quamuis id ſit nefarium, flagitioſum, & impium, neque ſolùm reipublicæ pernicioſum, ſed etiã omnibus ſanctitatibus aduerſarium: id continuó per improbos conſiliarios eſt officium iuſtum, & laudabile, & religioſum, & Deo gratiſſimum. Sed malũ conſilium ſemper eſt conſultori peſſimum. Veteres Athenienſes taxat Iſocrates in oratione de pace, quòd eorum conſilia ſequerentur, quos omnes ſapientes aſpernabantur, quique blãda potius loquerentur quàm honeſta, & ſalutaria. Poſtea tamẽ huius temeritatis ſuę grauiſſimas pœnas dederũt, & Cyrſilum quòd malum conſilium dediſſet, lapidibus obruerunt: vt author eſt Cicero, libro 3. officiorum. Et Conſtantinus Imperator non minùs acerbè in eos animaduertit, quos Maximus in conſilium adhibuerat, quàm in ipſum tyrannum: apud Euſebium. Nicephorus Caliſtus lib. 9. cap. vlt. poſt Nazianzenum, malis conſilia-

Tobiæ 4.

Eccleſ. 8, & 37.

Conſiliarij mali puniuntur.

l. 19. cap. 11. & in vita Conſtant. Vi. cap.

rijs

aure pen- rijs tribuit, quod Conſtantius in fide hallucenare-
deſr. 26. tur.

Aurelianus, authore Vopiſco, Zenochiæ reginę poſt victoriam pepercit: occiſis illis, de quorum conſilio bellum mouerat: interemptoque Longino philoſopho, quòd ſuperbam reginæ ad Aure. epiſtolam dictaſſet. Iuſtinus Imperator Tyberio Imperium traditurus: Minimè, inquit, iſtis (Principes atque conſiliarios indicans) omnino parendũ eſt; & ipſi me in eas quas cernis ærumnas coniecerunt. Multique Principes propter malos conſiliarios in grauiſſima animi & corporis pericula inciderunt.

Niceph. l. 17. c. 10.

Quidam Princeps, cum regno eijceretur, deplorabat, quod conſiliarij, quando grauiores cauſæ pertractandæ erant, ſibi venationes adornaſſent.

Heſter. c. 3. 7. 17. Principes qui nimium conſiliarijs confidunt, omnemque poteſtatem attribuunt: & conſiliarij qui auctoritate ſua, & principum lenitate indulgentiaque abutuntur, confiderent, quid maximo regi Aſſuero, & Aman acciderit. Ptolomæus etiam rex Aegypti, poſtquam intelligebat, quòd amici & cõſiliarij ſui Iudæos ex odio & inuidia perdere laborarēt. Rege, inquit, abutimini, & tyrãnos tranſgreſſi eſtis crudelitate, & me ipſum veſtrum benefactorem conamini à principatu iã & anima ſubmouere, clàm machinantes quę non expediunt regno.

Lib. 3. Machab.

Ezechiæ Regi Iſraëlis exitium attulit, quod cõſiliarijs & principibus vrgentibus mortem Hieremiæ prophetæ reſponderat: Non eſſe fas regem ipſis quicquã negare, Hiere. 36. & 38. Malè etiam

ceſſit

ceſſit centurioni, quod magis crederet Nautis de nauigatione, quàm Paulo Apoſtolo, ex Angeli reuelatione diſſuadenti Act. Apoſt. 27.

Saul Rex caſtigatur à Samuele, quod populo, conſiliarijs, atque principibus obtemperaſſet potius, quam Deo. 1. reg. 15.

Iudæos in reſtituendo templo gentes magiſtratus Regij per calumnias impedire conabantur, ſed Rex Iudæos audiri, & veritatem inquiri iubebat. Lib. 1. Eſdr. c. 4.

Improbi enim homines auctoritatem aliquam conſecuti, bonos & reipublicæ vtiliſſimos viros opprimere conantur, varijs eos mendacijs atque calumnijs onerant: patriam quantum in ipſis eſt, euertũt: & Principes in extremã miſeriam perducunt. Quando tales, honoribus & auctoritate indigni, in maximo honore, ſummaque auctoritate apud Principes ſunt, boni autem viri negliguntur: fit, vt principes infœlices, reſpublica planè miſera appareat. Inde etiam perſpicitur, quàm amentes ſint illi principes, qui neglectis bonis, opes, & honores ad improbos deferunt, eorumque fidei ſuam dignitatem & rempublicam committunt: & illos ſecum conſiliorum & officiorum ſocietate coniungunt. Vide lib. 2. Regum cap. 10.

Quicunque ergo ſalutem atque dignitatem ſuam tueri cupiunt, improborum hominum conſuetudinem familiaritatemque vitent: & repudiatis improbis, bonos viros, qui nihil mentiũtur, nihil ſimulant, nullas opes veræ virtutis opibus anteferunt, vitamque ſapientia atque probitate moderantur, ex abditis etiam ſedibus, ſi latitant, eruant atque adſciſcant: qui ipſis in gubernanda republica vſui

ca vſui & ornamento ſint. Vt enim nihil eſt, quod maiore dedecore Principes afficiat, quàm flagitioſorum hominum familiaritas & conſuetudo: ita bonorum amicitia plurimum illis dignitatis &
L. 18. cap. 3. honeſtatis adiungit. Narrat Gellius quòd conſultantibus de re quadam Lacedæmonijs, homo quidam diſertus & eloquens, & anteactæ vitæ turpitudine defamatiſſimus cõſilium ſuggeſſerit, quod omnes probarent. Tunc vnus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonij tanquam magiſtros diſciplinæ publicę verebantur, dixerit: Quęnã ratio, aut quæ tandem ſpes erit, vrbem hanc, & hanc rempublicam ſaluam eſſe diutius poſſe, ſi huiuſmodi anteactæ vitæ conſiliarijs vtemur? Quod ſi proba iſtæc honeſtaque ſententia eſt, quæſo vos, non ſinamus eandẽ dehoneſtari turpiſſimi authoris contagione. Elegerit quoque virum fortitudine atque iuſtitia præſtantem, ſed inopi lingua, & infacundum, qui, conſenſu omnium, eandẽ ſententiam proferret. Sic bona ſententia manſit, turpis author mutatus eſt.

Bonus conſiliarius optima regis poſſeſſio eſt: & non aliter quã pater amandus atque honorandus. Liberè vbi talis loquitur, & ſapienter conſulit, ſentiat ſe gratiam inire, ne deterreatur ab officio, & nemo poſthac verum dicere Principi velit.
Panor. l. 1. c. 22. Non ſemper maior, ſed melior ſententia probetur. Alphonſus enim Rex obiurgatus, quòd contra omnium fere patrum ſententiam egiſſet, reſpondit: Multa dicere principem, quæ conſiliarij pecunia corrupti, non probarent.

Nec enim magnopere curandum, ſitne ciuis, an externus, diues an pauper, nobilis an plebeus is, qui

qui conſilium dat:ſed quo animo ad hoc officium accedat. Vnde illud apud Plutarchum:

Mendicus vtinam ſit mihi, vel ſi libet,
Mendicum & infra, qui mihi volens benè,
Timore poſito, poßit ex animo loqui.

Alexander Seuerus Imp. Vetronium quendam ad ſtipitem ligatum fumo necari præcepit, dicente Prçcone: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Solebat enim fingere, maximam ſeſe apud Imperatorem authoritatem habere: multaque ſe clientibus ab Imperatore impetraturũ pollicebatur. Cumq; ingentia munera reciperet, nec tamen Imperatori verbum pro ijs loqueretur: quæcunque per alios impetrabant, ſe ipſis impetraſſe fingebat. Vtinam huiuſmodi inanes fumi hactenus in aulis principum nuſquam venderentur. Qui ciues difficulter ad Principem adire permittunt, nec libellos ſupplices porrigunt, obſeruent, quod Cyrus Perſarum Rex à Saca prohibitus, ne pro ſua voluntate Aſtyagem auum ſuum adiret, trium ſolummodò dierũ Imperium in Sacan ab Auo petierit: eoque tempore ipſum ad prandium ingredi cupientem, ſe varijs argumentis prohibiturum præſtaturumque aiebat, apud Xenophontem libro primo de inſtitutione Cyri.

Achitopel prudentia & eruditione clariſſimi viri conſilia pro diuino oraculo, quam diu apud Dauidem regem erat, habebantur: ſed poſtquam 2.reg.15 & ad Abſalonem tyrannum defecit, proditor Domi- 16. ni atque regni factus, diſſipauit Deus omnia conſilia eius.

Notatu dignum eſt, quod Peſcennius Niger, teſte Spar-

Spartiano, auxit conſiliarijs ſalaria ne grauarent rempublicam,& quibus aſſidebant.

Antoninus verò Pius, otioſis & ineptis ſalaria ſubtraxit:ne rempublicam arroderent, qui nihil illi prodeſſent, authore Iulio Capitolino. Idem Alexandrum quoque Seuerum iudicaſſe,in vita ipſius teſtatur Lampridius.

Non tam multi conſiliarij adhibeantur, quàm optimi & præſtantiſſimi quique.

Erga hos ita ſe gerat Princeps, vt ipſi ſoli & diligenter ſeruiant.

Poſtremò veteribus placuit, vt nullas literas Princeps ſuo nomine ſcribi patiatur,quas non antè perlegerit, ſigillumque ſuum ipſe circumferat. Veſpaſianus,quando mane ſurgebat, libellos ſupplices pridie exhibitos ipſe legebat, teſte Suetonio.Magna hic ſæpè fraus committitur.

Quæque rectè deliberata ſunt, Principes fieri curent, quęq; alijs imperata fuêre, exquirant ſubinde, an fiant quoque. Multi enim ſæpè corrumpuntur, vt in eos quadret hoc Naum Prophetæ,
cap.3. Dormitauerunt paſtores tui Rex Aſſur.

Inter illos familiares & amicos,de quibus quęſtione 40. & 58. diſſertum eſt, præcipuum meritò locum obtinent Conſiliarij, qui regibus perquàm neceſſarij ſunt.Cum enim nullum negotium magnum ſine multorum hominum auxilio confici poſſit, profectò rex omnium maximum,difficillimumque munus ſolus tueri, & tam multa grauiſſima negotia ſine multorum hominum prudentia conſilio, virtute, fidelitate, conficere nequibit. Quamuis ingenij acumine, animi magnitudine præcellat,multiſque opibus inſtructus ſit,difficillimè

limè tamen imperium gerat, niſi ſit ſapientum & fidelium hominum copia munitus. Qui ingenij ſui confidentia ita ſubnixus ambulat, vt nullius ſapientis auxilium requirat, nec monitis eorum præſcriptis obtemperet, ſummam ſibi ſapientiam arrogat,& ſibi ſoli plus ſatis confidit, ſua temeritate vniuerſam remp.perdet.

Sapiens ergo princeps homines virtute, & doctrina,& honeſtate claros, ſecum ſancto & inuiolabili familiaritatis & amicitiæ vinculo ſibi coniunget.Sapientum namque familiaritas principes ſapientes efficit: & alleuamentum oneris, atque laborum ſuppeditat.

Vt olim reges Iudæorum ſibi in conſilium prophetas adhibebant, ſic Chriſtiani principes viros huiuſmodi, quos nomine pietatis & ſapientiæ excellere ſciebant, in rebus difficilioribus conſulebant, quorum monitis & conſilijs fulcirentur.

Moſes legiſlator etſi erat ſapientiſſimus, & Dux Iſraëlis,tamen Iethro longè inferiois conſilia ſecutus fuit. *Exodi 18*

Saul ſequitur conſilium pueri ſui. *1.reg 9.*

Interdum & olitor eſt oportuna locutus. *Baſilius qu. 114.comp.*

Vlpianus fuit Alexandri Cæſaris conſiliarius. Tribonianus pandectarum Architectus eruditiſſimus quidem in iure,ſed Chriſtianæ religionis cõtemptor erat,Iuſtinianoque Imperatori perſuadere conabatur, quod cum carne in cœlum auolaret. *Zaſ. l. 2 ff. de orig. iur.*

Conſiliariorum ergo prior culpa eſt, qui perniicioſa,turpia,indigna ſuggerunt: altera illorum, qui tametſi patriæ totius ſalus agatur, nihil loqui

cupiditate capiuntur, quæ ſunt ſanitati valdè contraria: ita Principes interdum animi morbis oppreſſi & impediti, veritatis medicinam reijciunt, & elaborata concinnitate mendacij, falſaque dulcedine vanitatis alliciuntur. Ita verò fit, vt quamuis in principio voluptate aliqua afficiantur, aliquandò tandem dolore & cruciatu pœnas temeritatis & amentiæ perſoluant. Et qui horum authores fuêre, aut, quando poterāt, non impediuerunt, ſed falſis rerum imaginibus eluſi, falſos honores ambibant, bonaque inania conſectabantur: malā apud Principes, quos ſeduxerunt, & apud rempublicam, cuius bonis fruſtrà tam ſplendidè abuſi ſunt, gratiam mereantur, perpetuamq; infamiam incurrant, & aſſiduis flagitiorum & ſcelerum pœnis excrucientur.

1. reg. 30. Satrapæ & conſiliarij Regis Achis quia pernicioſum reipublicæ, & ſaluti Philiſtinorum videbatur futurum, ſi Dauid profugus cum ipſis contra Iudæos in prælium deſcenderet, etiam irato Regi audacter reſtiterunt: donec Dauidem cum ſocijs domum redire iuberet.

Etſi (proh dolor) tales cōſiliarij difficulter inueniri poſſunt. Catalanis optimum fore cēſentibus, ſi Alphonſo Aragonum Regi adoleſcentulo ſeptē viri ad gubernandas reſpublicas adiungerentur, qui Deum timerent, iuſtitiam colerent, cupiditates refrenarent, neque donis, neque muneribus caperentur: ipſe Rex reſpondiſſe fertur: Si tales nō ſeptem, ſed vel vnum dederitis, continuò illi & regnum & regimen conceſſero Lacædemoniorum.

Lacedæmoniorum conſilijs ſemper augures intererant.

tererant, & apud veteres in paganiſmo Romanos præcipui conſiliorum moderatores erant ſacerdotes: vt ex Cornelio Tacito, in eorum academijs declaraui.

Ita propter cauſarum diuerſitatem, ſeculares & eccleſiaſtici viri adhibeantur in conſilium, ne de rebus ignotis iudicare quiſquam, cum reipublicæ detrimento cogatur. De his qui de rebus ſacris laicos, Grammatelloſque ſententiam dicere iubent, in libris officiorum ſcholaſticorum, & monachi cap. vlt. pluribus verbis differui. Alexander Seuerus, teſte Lampridio, Theologos, Iuriſperitos, Medicos, Hiſtoricos, Milites in conſilium adhibebat, & illa quemque interrogabat, quæ ad ſuam profeſſionem pertinerent: dato ſingulis ſpatio ad diſquirendum, ne grauiſſimis de rebus temerè & incogitatè dicerent. Præfectos autem prætorio voluit eſſe ſenatores Romanos, ne quis non ſenator de ſenatore iudicaret.

Vtinam hoc eccleſiaſtici Principes obſeruarẽt, qui in negotijs eccleſiaſticis, conſiliarijs laicis vtuntur: quorũ aliqui res ſacras parum intelligunt, aliqui etiam non admodum curare videntur, quidam fortaſſis euertere ſtudent.

Quare Io. Caſus lib. 4. ſpheræ ciuitatum cap. 15. Clerici, ait, & ſacri homines ad principũ conſilia, ad tribunalia, comitia, muniaque adhibentur, vt cum alijs in theatris reip. ſedentes, oculatiſſimè attendant, obſeruentque ne ciuitas humana à ciuitate Dei, nec gladius politicus à gladio verbi, hoc eſt, ne conſilia, leges, mores, edicta hominum à diuinis oraculis vnquam declinent.

Senes plerumque conſilio valere, quemadmo-

dum iuuenes viribus,perhibentur: quod vehemẽter iudicium hominis confirmet experientia: vt Ciceronis Cato probat. Roboam filius Salomonis,quia contempto prudentiſſimorum ſenũ conſilio,temerarios & inexpertes iuuenes audiebat: præcipuam regni partem amiſit. Quo exemplo vtitur B. Ambroſius. Romanumque Imperium iuuenile conſilium perdidiſſe ferunt.

3. reg 12.

Lib. 2. offic. 18.

Quod crudeles & auari non eſſent in conſilium adhibendi,ſed miſericordes atque benigni qu. 14. dictum eſt.

Fredericus Imperator optimè adminiſtrari rẽpublicam aiebat, ſi conſiliarij atque ſenatores ante curiam odium,inuidiam, ſimulationẽ,diſſimulationemque deponerent. Sigiſmundus verò hypocritas & adulatores velut exitioſiſſimam peſtẽ Principibus cauendos aſſerebat: De vtroq; refert Syluius ad librum tertium Panormitani de geſtis Alphonſi regis. Agapitus Iuſtinianum Cæſarem admonebat: Auerſare adulatorum non minus fraudulentos, quàm blandos ſermones, perinde ac coruorum rapacitatem. Etenim vt hi corporis oculos effodiunt,ita illi animi indicium occæcare ſolent,nec veram rerum faciem intueri ſinunt: dũ vel vituperanda laudant, vel laudanda ſæpe vituperant. M. Cicero in libro de amicitia: moleſtam fatetur exiſtere veritatem, ſed obſequium adhuc multò moleſtius, quod peccato indulgens, præcipitem animum ferri ſinit,iudiciumque veri tollit atque adulterat.

De cognoſcendis adulatoribus Viq. 40.

De Heraclamone refert in Aureliano Vopiſcus, quòd eum Aurelianus occidi permiſerit, poſtquã illi patriam prodidiſſet, quod nequaquã ſibi fide-

lem

lem fore arbitraretur, qui patriæ infidelis extiterat. Similiter veteres Chriſtiani Principes adulatores & hæreticos, atque Apoſtatas, longiſſimè à familiaritate repellebant, nec ſibi fidem ſeruaturos credebant, quam Deo & Eccleſiæ Catholicæ non ſeruârant. Vt Conſtantinum Magnum, Theodoſium, cæteroſque Principes Catholicos feciſſe, hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores commemorant.

Conſilium ſemper à ſapiente requires. Cum fatuis conſilium non habeas: nec coram extraneo facias conſilium, neſcis enim quid pariet. A conſiliario malo ſerua animam tuam, Nulla enim fera poteſt in terris immanior & truculentior excogitari. Nam quicquid Principes cupiunt, quamuis id ſit nefarium, flagitioſum, & impium, neque ſolùm reipublicæ pernitioſum, ſed etiã omnibus ſanctitatibus aduerſarium: id continuò per improbos conſiliarios eſt officium iuſtum, & laudabile, & religioſum, & Deo gratiſſimum. Sed malũ conſilium ſemper eſt conſultori peſſimum. Veteres Athenienſes taxat Iſocrates in oratione de pace, quòd eorum conſilia ſequerentur, quos omnes ſapientes aſpernabantur, quique blãda potius loquerentur quàm honeſta, & ſalutaria. Poſtea tamẽ huius temeritatis ſuę grauiſſimas pœnas dederũt, & Cyrſilum quòd malum conſilium dediſſet, lapidibus obruerunt: vt author eſt Cicero, libro 3. officiorum. Et Conſtantinus Imperator non minus acerbè in eos animaduertit, quos Maximus in conſilium adhibuerat, quàm in ipſum tyrannum: apud Euſebium. Nicephorus Caliſtus lib. 9. cap. vlt. poſt Nazianzenum, malis conſilia-

Tobiæ 4.

Eccleſ. 8. & 37.

Conſiliarij mali puniuntur.

L. 19. cap. 11. & in vita Conſtant. Vi. cap.

rijs

ante pen- ult. r. 26. rijs tribuit, quod Conſtantius in fide hallucenaretur.

Aurelianus, authore Vopiſco, Zenochiæ reginę poſt victoriam pepercit: occiſis illis, de quorum conſilio bellum mouerat: interemptoque Longino philoſopho, quòd ſuperbam reginæ ad Aure. epiſtolam dictaſſet. Iuſtinus Imperator Tyberio Imperium traditurus: Minimè, inquit, iſtis (Principes atque conſiliarios indicans) omnino parendū eſt; & ipſi me in eas quas cernis ærumnas coniecerunt. Multique Principes propter malos conſiliarios in grauiſſima animi & corporis pericula inciderunt. *Niceph. l. 17. c. vlt.*

Quidam Princeps, cum regno eijceretur, deplorabat, quod conſiliarij, quando grauiores cauſæ pertractandæ erant, ſibi venationes adornaſſent.

Heſteræ. 3. 7. 17. Principes qui nimium conſiliarijs confidunt, omnemque poteſtatem attribuunt: & conſiliarij qui auctoritate ſua, & principum lenitate indulgentiaque abutuntur, conſiderent, quid maximo regi Aſſuero, & Aman acciderit. Ptolomæus etiam rex Aegypti, poſtquam intelligebat, quòd amici & cōſiliarij ſui Iudæos ex odio & inuidia perdere laborarēt. Rege, inquit, abutimini, & tyrānos tranſgreſſi eſtis crudelitate, & me ipſum veſtrum benefactorem conamini à principatu iā & anima ſubmouere, clàm machinantes quę non expediunt regno. *Lib. 3. Machab.*

Ezechiæ Regi Iſraëlis exitium attulit, quod cōſiliarijs & principibus vrgentibus mortem Hieremiæ prophetæ reſponderat: Non eſſe fas regem ipſis quicquā negare, Hiere. 36. & 38. Malè etiam

ceſſit

ceſſit centurioni, quod magis crederet Nautis de nauigatione, quàm Paulo Apoſtolo, ex Angeli reuelatione diſſuadenti Act. Apoſt. 27.

Saul Rex caſtigatur à Samuele, quod populo, *1. reg. ca. 15.* conſiliarijs, atque principibus obtemperaſſet potius, quam Deo.

Iudæos in reſtituendo templo gentes magiſtra- *Lib. 1. Eſdr. c. 4.* tus Regij per calumnias impedire conabantur, ſed Rex Iudæos audiri, & veritatem inquiri iubebat.

Improbi enim homines auctoritatem aliquam conſecuti, bonos & reipublicæ vtiliſſimos viros opprimere conantur, varijs eos mendacijs atque calumnijs onerant: patriam quantum in ipſis eſt, euertũt: & Principes in extremã miſeriam perdu- *Vide lib. 2.* cunt. Quando tales, honoribus & auctoritate in- *Regum cap.* digni, in maximo honore, ſummaque auctoritate *10.* apud Principes ſunt, boni autem viri negliguntur: fit, vt principes infœlices, reſpublica planè miſera appareat. Inde etiam perſpicitur, quàm amentes ſint illi principes, qui neglectis bonis, opes, & honores ad improbos deferunt, eorumque fidei ſuam dignitatem & rempublicam committunt: & illos ſecum conſiliorum & officiorum ſocietate coniungunt.

Quicunque ergo ſalutem atque dignitatem ſuam tueri cupiunt, improborum hominum conſuetudinem familiaritatemque vitent: & repudiatis improbis, bonos viros, qui nihil mentiũtur, nihil ſimulant, nullas opes veræ virtutis opibus anteferunt, vitamque ſapientia atque probitate moderantur, ex abditis etiam ſedibus, ſi latitant, eruant atque adſciſcant: qui ipſis in gubernanda republi-

ca vſui

ca vſui & ornamento ſint. Vt enim nihil eſt, quod maiore dedecore Principes afficiat, quàm flagitioſorum hominum familiaritas & conſuetudo: ita bonorum amicitia plurimum illis dignitatis &
L. 18. cap. 3. honeſtatis adiungit. Narrat Gellius quòd conſultantibus de re quadam Lacedæmonijs, homo quidam diſertus & eloquens, & anteactæ vitæ turpitudine defamatiſſimus cōſilium ſuggeſſerit, quod omnes probarent. Tunc vnus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonij tanquam magiſtros diſciplinæ publicę verebantur, dixerit: Quęnā ratio, aut quæ tandem ſpes erit, vrbem hanc, & hanc rempublicam ſaluam eſſe diutius poſſe, ſi huiuſmodi anteactæ vitæ conſiliarijs vtemur? Quod ſi proba iſtæc honeſtaque ſententia eſt, quæſo vos, non ſinamus eandē dehoneſtari turpiſſimi authoris contagione. Elegerit quoque virum fortitudine atque iuſtitia præſtantem, ſed inopi lingua, & infacundum, qui, conſenſu omnium, eandē ſententiam proferret. Sic bona ſententia manſit, turpis author mutatus eſt.

Bonus conſiliarius optima regis poſſeſſio eſt: & non aliter quā n pater amandus atque honorandus. Liberè vbi talis loquitur, & ſapienter conſulit, ſentiat ſe gratiam inire, ne deterreatur ab officio, & nemo poſthac verum dicere Principi velit.
Panor. l. 1. c. 22. Non ſemper maior, ſed melior ſententia probetur. Alphonſus enim Rex obiurgatus, quòd contra omnium fere patrum ſententiam egiſſet, reſpondit: Multa dicere principem, quæ conſiliarij pecunia corrupti, non probarent.

Nec enim magnoperè curandum, ſitne ciuis, an externus, diues an pauper, nobilis an plebeus is, qui

qui conſilium dat: ſed quo animo ad hoc officium accedat. Vnde illud apud Plutarchum:

Mendicus vtinam ſit mihi, vel ſi libet,
Mendicum & infra, qui mihi volens bene,
Timore poſito, poſſit ex animo loqui.

Alexander Seuerus Imp. Vetronium quendam ad ſtipitem ligatum fumo necari præcepit, dicente Pręcone: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Solebat enim fingere, maximam ſeſe apud Imperatorem authoritatem habere: multaque ſe clientibus ab Imperatore impetraturū pollicebatur. Cumq; ingentia munera reciperet, nec tamen Imperatori verbum pro iјs loqueretur: quæcunque per alios impetrabant, ſe ipſis impetraſſe fingebat. Vtinam huiuſmodi inanes fumi hactenus in aulis principum nuſquam venderentur. Qui ciues difficulter ad Principem adire permittunt, nec libellos ſupplices porrigunt, obſeruent, quod Cyrus Perſarum Rex à Saca prohibitus, ne pro ſua voluntate Aſtyagem auum ſuum adiret, trium ſolummodò dierū Imperium in Sacan ab Auo petierit: eoque tempore ipſum ad prandium ingredi cupientem, ſe varijs argumentis prohibiturum præſtaturumque aiebat, apud Xenophontem libro primo de inſtitutione Cyri.

Achitopel prudentia & eruditione clariſſimi viri conſilia pro diuino oraculo, quam diu apud Dauidem regem erat, habebantur: ſed poſtquam 2. reg. 15 &
ad Abſalonem tyrannum defecit, proditor Domi- 16.
ni atque regni factus, diſſipauit Deus omnia conſilia eius.

Notatu dignum eſt, quod Peſcenius Niger, teſte

Spar-

limè tamen imperium gerat, niſi ſit ſapientum & fidelium hominum copia munitus. Qui ingenij ſui confidentia ita ſubnixus ambulat, vt nullius ſapientis auxilium requirat, nec monitis eorum præſcriptis obtemperet, ſummam ſibi ſapientiam arrogat,& ſibi ſ li plus ſatis confidit, ſua temeritate vniuerſam remp. perdet.

Sapiens ergo princeps homines virtute, & doctrina,& honeſtate claros, ſecum ſancto & inuiolabili familiaritatis & amicitiæ vinculo ſibi coniunget. Sapientum namque familiaritas principes ſapientes efficit: & alleuamentum oneris, atque laborum ſuppeditat.

Vt olim reges Iudæorum ſibi in conſilium prophetas adhibebant, ſic Chriſtiani principes viros huiuſmodi, quos nomine pietatis & ſapientiæ excellere ſciebant, in rebus difficilioribus conſulebant, quorum monitis & conſilijs fulcirentur.

Moſes legiſlator etſi erat ſapientiſſimus, & Dux Iſraëlis, tamen Iethro longè inferiois conſilia ſecutus fuit. *Exodi 18*

Saul ſequitur conſilium pueri ſui. *1. reg 9.*

Interdum & olitor eſt oportuna locutus. *Baſilius q. 114. comp.*

Vlpianus fuit Alexandri Cæſaris conſiliarius. Tribonianus pandectarum Architectus eruditiſſimus quidem in iure, ſed Chriſtianæ religionis contemptor erat, Iuſtinianoque Imperatori perſuadere conabatur, quod cum carne in cœlum auolaret. *Zaſ. l. 2 ff. de orig. iur.*

Conſiliariorum ergo prior culpa eſt, qui perniitioſa, turpia, indigna ſuggerunt: altera illorum, qui tametſi patriæ totius ſalus agatur, nihil loqui

dent, quod auribus principum iniucundum acci-
dat.

1.reg.26. Adulatores & Conſiliarij mali authores fuerunt, vt Saul Rex Iudæorum, Dauidem iniuſtè perſequeretur.

Conſiliarij Regis Ammon illum ſeduxerunt, & optimam Dauidis Regis voluntatem in conſolan-
2.reg.10. do ipſo, propter obitum patris, nequiter deprauа-
1.paralip.19 bant, & malè interpretabâtur, efficiebantq́; vt Ammon Dauidis legatos indigna contumelia afficeret, in reip. ſuæ ruinã. Impius ille Achitopel ſuggeſſit Abſoloni, vt patris ſui Dauidis cubile conſcenderet, & macularet, indeque ſibi fidem & fa-
2.reg.16. uorem populi conciliaret: Sed malum conſilium vtrique pernitioſum fuit.

Filius Saulis Regis opinabatur, quod Abner
2.reg.3. Conſiliarius fideliſſimus ſuus promotor ad regnũ Iſraël eſſe futurus, ſed quod illum ob nefandum ſcelus leuiter obiurgaſſet, proditorem ſenſit.

2.paral. 22. Ochoziam Regem conſiliarij peruerterunt, vt Achab Regis impietatem & ſcelera imitaretur, ſed tam Regi, quàm matri, & conſiliarijs exitium attulit.

Haud temerè igitur Conſiliarij principum in conſilium & ſecretorum communionem adhibẽdi ſunt. Regijs virtutibus præſtare, magno ingenio prędìti, bonis artibus exculti, longo rerum vſu periti eſſe debent, vt prudentia ſua non præſentia tantùm rectè intelligant, ſed longè in poſterum, quid vtile futurum ſit reipub. coniectura prouidere queant: quiq́ue ſingulari fide, & integritate excellant, patriamq́ue ipſam amore, & pietate proſequantur.

Erat

Erat olim apud Athenienſes lege ſancitum: vt quoties populus de repub. conſultabat, Pręco maxima voce diram cladem & exitium illi, & poſteritati illius imprecaretur, qui reip. inutile conſilium daret, ne ipſe incommodum aliquod ſubiret. Sapienter ille legiſlator intellexit, nihil eſſe magno & acuto ingenio, ſine fide, & patriæ charitate pernitioſius.

Cauendum ergo eſt, ne princeps eos qui falſo ſapientiæ nomine gloriantur, cum bonis inconſideratè coniungat. Aut fallax ſapientiæ nomen cũ vera ſapientia confundat. Si fuerint eruditi, & ingenioſi, ſed improbi, maiorem reipublicæ pernitiem important, & in adulandi artificio callidiores ſunt, ſi magiſtratibus præficiantur, aut conſilijs interſint.

Conſiliarij qui non conſulunt Principi quod bonum & honeſtum eſt, & priuatum commodum publicę vtilitati præferunt, non conſiliarij, ſed deceptores ſunt. *Schurff cõs. 2. Conſ. 60.*

Arrogans, & tumidum ſophiſtarum genus à regis familiaritate repellatur, homines qui veræ ſapientiæ dediti ſunt è tenebris eruantur. Illi enim principes ſapientes & bonos efficient, & in eorum prudentia Rex in vtraque fortuna firmiſſimum præſidium, & laboris ſui alleuamentum experietur, quorum monitis & exemplis ſtudio immortalis nominis incitetur.

Temerarium iudicatur cùm ſunt aliqui in muneris alicuius ſocietatem conuocandi nõ peritos ſed imperitos accerſiri, veluti ſi bellũ aliquod difficile ſuſceptur⁹, nõ veteres Duces, ſed mercatores in cõſiliũ adhibeat, aut mercator ad ſuas rationes

decidendas non alios peritos mercatores, ſed milites accerſat, vel qui in agricultura, non agricolas ſed ab re ruſtica abhorrentes conſulat, mentis expers habendus eſt.

Multò magis princeps abſq; bonis, & fidelibus conſiliarijs fruſtra ſuum ſtudium, induſtriam, vitam in regno tuendo conſumet.

Silentij tenaces ſint. Prima ergo deliberatio ſit, vt ſtatus principis, hominum ſapientum, & bonorum, atque fidelium opera muniatur. Eſt autem in conſilijs & hoc præcipuum munus, vt non tantum ſyncerus ſit, & integer, ſed etiam quicquid ſerio ſtatutum vel concluſum fuerit, ſilentio & taciturnitate comprimere nôrit. Si enim qui amici alicuius conſilium aperit, odio dignus iudicatur, totius namque coniunctionis rationem tollit è vita, qui amici conſilia prodit: quo tandem ſcelere ille alligabitur, qui principis conſilium de reipub. ſalute, de propria dignitate, de publico officio, & de religione, contra datam fidem, cum alio, qui non ſit particeps cõſilij eiuſdem, communicat? Ea namque perfidia Principis maieſtatem minuit, illiuſque ſalutem prodit, ordinem reip. perturbat, ciuiũ animos frãgit, hoſtium vires & audaciam confirmat. Ideoque *Proditores ſuſpẽdendi.* iſtos proditores ſuſpendi debere probat Guido papæ deciſ. 589.

Tobiæ 12. Pulcherrimè dixit Raphaël Archangelus: Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autẽ Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Quiſquis ergo principis conſilia enunciat, eſt Regis proditor, & patriæ euerſor exiſtimandus. Nec ſufficit ſapientia & fide præditum eſſe, qui Principis conſiliarius eſt, niſi etiam animo prẹdịtus ſit; ne in

con-

conſulendo offenſionem pertimeſcat,& ita magis quod eſt auribus gratum,& iucundum,quàm vtile & honeſtum ſuadere conetur. Animumque puſillum & demiſſum hæc etiam tria vitia conſequuntur,quæ ſi fuerint in conſilium principis admiſſa, Regias opes & publicam ſalutem euertent: Nempe vt per timorem,aut laborem fugiat,aut vitæ pericula reformidet, aut pecuniæ ſumptus extimeſcat. Laboris illa fuga facit, vt res de die in diem differantur,atque omnia procraſtinentur, aut hominibus perditis omnia expediēda relinquantur. Iſta autem ſecordia princeps delicatus nihil aliud aſſequitur, quàm vt negotijs negotia accumulentur,infinitiſque laboribus opprimatur, & tandem deſperet. *Magnanimitas.* *Diligentia.*

Periculorum omnium formido infinita mala conflare ſolet. Nam virtute franguntur hoſtiū vires,neque de pernitie alijs inferenda,ſed de ſalute ſua tuenda cogitare compelluntur. *Timiditas.*

At qui nimis belli pericula formidat,& præ metu ſtudium armorum abijcit:ille hoſtium audaciam,& vires confirmat,furentemque impetum minimè ſuſtinebit.

Improuidè auari qui ſunt,ſępè hortantur,vt arces præſidijs nudentur, militeſque ad tutelam patriæ neceſſarij dimittātur: vt vrbes & munitiones, quibus hoſtium impetus cohibetur,ſi non fuerint opibus augendis vtiles,omnino deſerantur. Vt ſic demum ſumptibus imminutis ingens pecunia coaceruari poſsit. Ex tali autem conſilio ille fructus percipitur: vt hoſtes metu ſoluti, multòque ferociores effecti, omnia latiſsimè depopulentur: vel ſaltem,non niſi maximis ſumptibus,omniumque *Auaritia in conſiliarijs eſt deteſtanda. De auaris Petr. Roiſſus Lituanica deciſ. 5.*

que pecuniarum diſpendio repellantur. Dum tolerabiles ſumptus facere recuſantur, omnes opes regiæ, totiuſque regni facultates temerè effundũtur. Homines ergo pigri, aut timidi, aut auari à conſilio principum arcendi ſunt. Nemoque ad illorum conſilium adhibendus, qui non ſit animo magno & excelſo præditus: quique omnia pręhoneſtatis ſtudio contemnere nôrit. Honeſtas enim continet veras opes, nihil eſt honeſtate vtilius. Quare Athenienſes Themiſtoclis conſilium de exurendis nauibus Lacedæmoniorum, vtile quidem, ſed parum honeſtum, tanquam inutile, reiecerunt.

Honeſtas præferenda vtilitati.

Omnes reſpublicæ in quibus maior honeſtatis ratio, quàm vtilitatis habita fuit, non tantùm rerũ geſtarum gloria, ſed opibus & potentia floruerũt, & tam diu opibus excreuerunt, quamdiu honeſtatem coluerunt.

At vbi ſeſe ſtudio honeſtatis omiſſo ad ſolam vtilitatem contulêre, cum honeſtatis interitu omnes earum opes euerſę ſunt, neglectoque honeſtatis ſtudio, opes etiam repentè & dignitatem atque Imperium amiſerunt.

Humana namque ex diuinis colligata pendent, humanaque prudentia diuino conſilio deſtituta, non prudentia, ſed temeritas potius appellanda eſt.

Sicut igitur nullo modo poteſt vtilitas ab honeſtate ſeiungi, ita nec honeſtas à pura religione diuelli poterit. Quo fit vt principum Conſiliarij vera religione imbuti eſſe cogantur, deique numen cultu ſanctiſſimo & pietatis pleniſſimo venerentur. Nec enim conſiliũ de rebus magnis inire poterint,

Religio Conſiliariorum.

terint, niſi mentem habeant caſtam & puram, diuinoque ſplendore collucentem, & ſtudio immortalitatis accenſam. Quicunq; diuina luce carent, quò ſunt ingenio acriore, eò vehementiùs amentia rapiuntur, funeſtiuſq́ue exitiũ patriæ machinantur. Eloquentia etiam & dicendi facultas in Conſiliarijs Principum attendenda eſt: Sæpenumerò enim fit, vt melior ſẽtẽtia ob illius infantiã qui id quod optimè ſentit commodè explicare & rationibus confirmare nequit, ab alio qui malè & pernitioſè rebus conſulit, & tamen diſertus eſt, cum magno reipub. malo ſuperetur. Eloquentia

In Regum igitur conſilijs primus locus eſſe debet religionis & pietatis atque ſanctimoniæ: Secundus dignitatis ſiue honeſtatis. Tertius vtilitatis. Ad quæ Conſiliarios cogitationes & ſentẽtias ſuas dirigere oportet: Tales Conſiliarij boni principum dignitatem & reipub. ſalutem conſeruant, amplificant, promouent: quando mali conſiliarij vtrique perniciem important.

Semiramis habitu virili ſumpto, ſe regium filiũ ſimulauit, & conſiliariorum prudentia fœliciter Aſſyrijs imperauit.

Idem plurimi alij omnium gentium Reges, & principes in omni memoria feciſſe leguntur, vt principes & magiſtratus ſanis conſilijs acquieſcẽtes, mirificè florerẽt, quando illi principes, qui vel nullos in conſilium adhibere volebant, vel ſana conſilia aſpernabãtur, infelices & inglorij fuerũt.

Rectè facere principes, qui Iuriſconſultos conſulunt & ſequuntur, probat. Menoch. reſponſ. 4. fin. Diocletiani & Max. exemplo in l. Dubium nõ eſt C. de repud. quod omnia quæ conſilio teſte ge-

runtur, Iure merito effectu & firmitate nitantur.

Cambyſes Cyri Perſarũ monarchæ filius Cræſum Regẽ ſapientiſſimũ, cæteroſq; Conſiliarios, quos Cyrus pater in maximo honore tenuerat, & filio vt idem faceret cõſuluerat, audire noluit, ſed malè tractauit. Ergo inter primum annum regni turpiter perijt. Quod omnes principes pro exemplo capiant, qui fideles patris vel deceſſoris ſui conſiliarios perſequuntur, & negligunt.

Antiochus Rex ſalutaria conſilia Hannibalis ſpreuit, & adulatores & gloriæ cupidos ſecutus, infelicem exitum expertus pœnituit, & Hannibalem renocauit. Iuſtinus lib. 31. hiſtoriarum.

2. paralip. c. 17. Aſa Rex Iſraël virum Dei, quod rectum, ſed ipſi ingratum conſilium daret coniecit in carcerem.

Ezechias rex Iuda per Hieremiam prophetam admonitus de captiuitate ſua, contempſit, & coniecit in vincula: vrgẽtibuſque conſiliarijs & principibus, in mortem conſenſit, nec contradicentes audiuit, cum maximo ſuo malo. Hiere. 36.

2. paral. 18 Idem fecit Achab Rex Micheæ Prophetæ & Ho-
Iudith 6. lofernes Achiori, ſed vterque miſerè perijt.
Daniel. c. 4 & 5. Daniel propheta tam Nabuchodonoſori, quàm Balthaſaro verè ſed acerbè reſpondit, tamen vterque libenter audiuit.

Athenienſium δυσβουλία & mala conſultatio in prouerbium abijt, de qua in Athenienſium Academia perſcripſi.

Mulieres etiam in conſilium Athenienſes adhibebant ſed cum illę ſuffragiorum numero viros aliquan-

aliquandò ſuperaſſent, malaque & repentina fœminarum conſilia malum exitum haberent, mos ille abrogatus fuit. *Auguſti. l. 18. c. 9. Ciuitat Dei.*

Lactant. Firmian. Malignos ſpiritus inter alias fraudes quibus homines deciperent, & hanc vſurpaſſe, ait: Quod cum diſpenſationes Dei præſentirent, quęcunque Deus bona vel mala hominibus vel vrbibus facturus erat, ipſi ea feciſſe iactarent, vt inde ſibi authoritatem apud homines colligerent. Vtinam non eſſent Conſiliarij Principũ, qui compendij & quæſtus ſui cauſa, eodem artificio apud ſubditos vterentur. *L. 2. c. 17.*

De Ioanne Burgundiorum duce refert Meierus lib. 15. annaliũ Flandriæ, quod ex conſiliarijs quæſierit, & acceperit commodam rationem occidendi cognati ſui, vnde tot bella ſecuta ſunt.

Conſilium qui dat delinquentibus, etiamſi illi abſque conſilio delicturi erant, punitur. Hippol. Marſ. ſing. 665. Duennas reg. iur. 149. Didac. Couar. ad Clemen. furioſus de Homicid. part. 2. §. 2. Menoch. de arbit. iud. lib. 2. caſu 351.

Magnanimos eſſe oportet, qui odia & inuidias contemnant. Nam principum negotia ſine odio ſubditorum tractare impoſsibile eſt. Ioan. Neuizanus lib. 4. ſyl. nupt. nu. 155.

Quo plures ſunt Conſiliarij, eo melius gubernant. L. Mandoſ. ad Cancell. reg. 17. q. 12. Et integrũ hoc eſt iudicium, quod plurimorum ſententijs confirmatur, Menoch. reſponſ. 4. Finar. per Can. Extra conſcientiam diſtinct. 64.

Eſt autem conſiliarium eſſe principis, dignitas, quæ etiam in eo manet, dum à conſilijs eſſe deſijt, Hippol. Marſ. 107.

Habenturque pro nobilibus, & gaudent priuilegio nobilium. Guid. Pap. deciſ. 388.

Ideoque Principis conſiliarij omnes alios Doctores precedunt, cum illuſtres ſint, & pari gradu cum Senatoribus, L. quiſquis C. ad L. Iuliam Maieſtat. Menoch. de arbit. Iudic. caſu 68. Benius Iuriſconſ. priuileg. 55.

Sunt enim pars, imò pectus principis, cap. 1. de Conſtit. 6. Boër. deciſ. 17. Ideoq; à prouincialibus honorandi & defendendi, Menoch. de arbit. Iudic. caſu. 68. Boër. tractatu de authoritate magni conſilij, & ſunt immunes ab oneribus Guido papę deciſ. 388. Lancellot. in Decurione, VVeſenb. conſ. 40.

Machinans in eorum mortem læſæ Maieſtatis crimen incurrit. d. L. quiſquis. C. ad L. Iuliam & gloſſ. cap. 1. de Conſtit. in 6. Imò offendens illos, Anchor. conſ. 439. Hippolit. ſing. 575. Boërius de authorit. magni conſilij. Nec torqueri poſſunt, etſi non ſint amplius à conſilijs, Hippolitus ſing. 107.

Io. 12. Minimè contẽnẽda conſiliarijs principũ doctrina eſt, quod Io. Apoſtolus commemorat: Gentiles quidam cupiebant Ieſum videre, & alloquebantur Philippum, quem melius nôrant: ille noluit rem arduam & nouam ſolus in ſe ſuſcipere, ſed aſſumpſit Andream, & ambo retulerunt ad Ieſum.

Tenentur verò conſiliarij, officiales, & miniſtri ſuos dominos qui malè agant admonere, vt deſiſtant, & ipſis, quantum poſſunt, reſiſtere, vel ſuperiori ſignificare, alioqui eadem pœna plectuntur qua delinquentes, Anchora. clement. Nolentes, de hæret. & clement. de exceſſib. prælator.

Sixtus Senenſ. lib. 2. Bibliothec. Ioab in deſcribendis ſubditis Regis ſui Dauidis mandatum non libenter impleſſe, & quanquam

vera

vera ſcripſerat, minorem tamen ſummam Regi obtuliſſe aiunt, vt eius elatum animũ reprimeret.

Maximinus tyrannus videns ſe à ſuis conſiliarijs ſeductum iram ſuam in ipſos conuertit,& ſtrangulauit. *Niceph l.7. c.36.*

Sic impios & perfidos conſiliarios malum ſemper exitum habuiſſe,ſacræ & profanæ hiſtoriæ teſtantur,& ſuprà eſt declaratum.

Achitophel ex conſiliario Dauidis Regis proditor factus,videns perfida & nefaria ſua conſilia contra regem eſſe detecta,laqueo ſe ſuſpendit. *2.reg c. 17.*

Et Iulius Cæſar in malorum conſiliorũ authores ſeueriùs animaduertere ſolebat.

Principibus chari maximè ſunt & ſapientiores habentur,qui ad eorum voluntatẽ & ſenſum magis accedunt,& loquuntur. Morumque humilitas & candor principibus gratos conſiliarios efficit. Vt Ioſephus lib.12.antiquitatũ,de rege Ptolomæo & Ariſtæa probat. *Cap 2.*

Laudat Ariſtæas illum morem Ptolomæi Regis, ꝙ in cõuiuijs,conſilijſq;, & negotia quæ agebãtur ſcriptores annotarent,& poſtridie ante omnia relegerẽtur,& parũ rectè dicta, geſtaq; emẽdarẽtur.

Adrianus VI Põtifex: ꝙ ſolos Belgas in cõſiliũ adhiberet, eoſque præclara fide eſſe aiebat,duplex malũ incurrit:Nam patres ob id offẽdebãtur ꝙ ſe cõtemni, & exteros præferri putarẽt,& ipſi Belgæ odio atque inuidia laborabãt.Onuphri⁹. Etſi minimè inuidẽdũ eſſe putat Frãciſcus Patriti⁹ Seneſis lib.9.de regno c.7.quib⁹principes præ alijs ſua arcana cõmittũt.Hoc enim principũ genius ita fert, & his cum maximo periculo coniunctum eſt.

Pompeius Iunior, Magni Pompei filius Theodorum libertum ſuum miſerabiliter intere-

mit, veritus duntaxat ne commiſſa ei ſecreta proderet. Tales enim timendos verendoſque putant homines, quos ſcire ſciunt omnes maculas, notaſque. Philippides comicus poëta à Lyſimacho, cui gratiſsimus erat, admonitus, vt aliquid à ſe peteret Nihil, inquit, aliud à te peto Rex, niſi vt nihil ſecretorum tuorum mihi credas. Indicans quanto cum periculo ſecreta principum ſeruentur, quæ etiam ab alijs ſæpè reuelantur, & innocentibus exitium important.

Perſpicitur ex his, tam opus eſſe principi bonis conſiliarijs, quàm pane, quo veſcitur. Per hos enim prę̨teritorũ meminit, prę̨ſentia cernit, futura prę̨uidet, ſuarum cogitationum felicem ſucceſſum conſequitur, incommoda effugit, vel ſaltem viam qua leniantur inuenit. Ex conſiliarijs denique honos, vtilitas, infamia, ſalus vel ruina ſua & reip. dependet. Prudentes conſiliarios ſi habet ipſe prudens cenſetur, alioqui ex eorum moribus principis exiſtimatio labefactatur. Intereſt ergò plurimum, vt non temerè, nec præcipitanter quiuis in conſiliarium aſſumãtur, ſed docti, certæ exploratæque virtutis, exercitati, & prudentes: deligantur que ex omnibus regionibus quibus imperat, non fauore, ſed virtute.

Cumque duo hominum & rerum genera in republica habeantur, duplex quoque conſilium habeatur oportet: Eccleſiaſticum & Seculare. Seculare in ſeptem claſſes diſtribuunt.

Conſilium ſiue Concilium Quæſtorum; quod ærarij, & publicæ pecuniæ, redituumque ordinariorum curam gerat.

Togatum, quod rebus ciuilibus præſit. In quæſtores

ſtores, Duces, Comites, Vicarios animaduertendi facultatem habeat, de ſuſcipiendo gerendoque bello, de pace ineunda, de fœderibus, de annona & neruo ſtatuat.

Militare, quomodo ciuitates muniendæ qui limites, qui equites, qui duces conſtituendi, potentiam ſuorum, & confœderatorum, atque hoſtium vires conſideret: quæque ad bellum fœliciter gerendum pertinent, procuret.

Frumentarium, quod pacis & belli tempore reipublicæ de annona proſpiciat, quantum ſingulæ ciuitates comeatus habeant, quid deſit, quid redundet, vnde commodius inuehatur. Legale, quod iuſtitiam conſeruet, vt omnibus ex æquo ius dicatur, propulſentur iniuriæ, regnique & patriæ priuilegia conſeruentur.

Criminale, pœnis & multis deſtinatum.

Cenſorium, quod ſingulorum vitam & mores inquirat, beneficia maleficiaque inſpiciat, vnicuique digna præmia reponat.

Hiſtorici exemplis adductis demonſtrant: Amotis ſublatiſue Conſiliarijs, principes ferè mutari. Ioas Rex pius ſatis & iuſtus fuit, donec conſilijs Ioadæ regebatur: ſed illo mortuo, mores ipſius mutati fuerunt. *Richt. Axiomate 67.* *2. reg. cap. 2.*

Alexander Magnus, ſublatis conſiliarijs, Clito, Parmenone, & ſimilibus, degenerauit.

QVAESTIO LIII.

Quæ ſit regi maximè neceſſaria poſſeſſio?

RESPONSIO.

Subditorum amor & humanitas. Per hæc enim indiſſolubile beneuolentiæ vinculum texitur, ſed Dei eſt perficere ex animi ſententia.

Digitized by Google

QVAESTIO LIIII.

Quid ſit orationis finis?

RESPONSIO.

Propoſitum, de quo dicendum eſt, aduerſario perſuadere, refutando contraria, eaque inepta eſſe demonſtrando: ſic enim conciliantur auditores, ſi & rationes adferantur, & aduerſarij confeſſio accedat. Sed Deus perſuaſionem gubernat ad debitum finem.

Rempublicam adminiſtraturo in primis neceſſaria ſunt, ſapientia & oratio: de ſapientia quinquageſimum interrogauit: hic de oratione inquirit. Quam Demetrius Phalereus tantum in republica valere aiebat, quantum in bello ferrum: vt caſtiget improbos, conſoletur afflictos, hortetur ad decus & gloriam, reuocet à flagitijs, laudet claros viros.

Vide q. 41.

Oratio autem principis erit breuis, dilucida, iucunda, cum verborum pondere, & ſententiarum grauitate. Quæ virtutes in Cæſare cernuntur, quę imitari poterint. Menelaum Homerus inducit, dulcem in dicendo, ſed pauca loquentem. Breuitas in laude habetur principibus, & qui præſunt. Facetus ſermo multos commendauit. ἀποφθέγματα & ἀμφιβολίαι etiam prædicantur.

Fr. patr. l. 2 ca. 11. & 12. *Vide q. 54.*

Reſponſio autem hęc cum dialecticorum atque rhetorum ſchola egregiè conſentit: quæ artis ſuæ finem in eo poſuerunt: vt doceat, fidem faciat, perſuadeatúe auditori.

Vide Cicer. 1. de legibus

QVAESTIO LV.

Quomodo multis in regno populis ſe accommodaret?

RES-

RESPONSIO.

Si decenter ſuum cuique diſtribueris, iuſtitiamque, vti facis, ducem ſequaris: præbente tibi Deo ſanitatem rectitudinemque iudicij. *Vide q. 17. & 42.*

QVAESTIO LVI.

Quibus in rebus contriſtari conueniat?

RESPONSIO.

In amicorum rebus aduerſis, quæ diuturnæ & ineuitabiles apparent: ſed ob defunctos & malis liberatos, ratio non permittit contriſtari. Sed & in illis quæ multum doloris, nihil vtilitatis continent, omnes mortales contriſtantur. Malum vero omninò effugere, diuina potentia tantùm datur.

Pernitioſa quidem res eſt triſtitia: nec tamen ea ſemper homines carere poſſunt, vt q. 29. docebatur: cognationiſque & affinitatis iura [illegible] requirūt, vt amicorum proſperis aduerſiſque rebus amici permoueantur, ſicut 36. reſpondit.

Acerba quidem amicorum mors eſt viuentibus: Sed rectè admonet eccleſiaſticus c. 22. plora modicum ſuper mortuum, quoniam requieuit.

QVAESTIO LVII.

Quamobrem aliquis inglorius fiat, & contemnatur?

RESPONSIO.

Si ſuperbia efferatur: tunc contemptus vituperationeſque ſequuntur, & gloriæ priuatio: ſed Deus, omnis gloriæ author, quòcunque vult, eam inclinat. *Vide qu. 21 & 51.*

QVAESTIO LVIII.

Quibus ſeipſum credere oporteat?

RESPONSIO.

Veri amici. His, qui tecum ex beneuolentia verſantur non ex metu potentiæ tuæ, vel ob ſuam lucrum. Nam illud argumentum amoris eſt, hoc maleuolentiæ callidæque captationis oportunitatem fallendi. Quiſquis lucro & diuitiis ſolùm intendit ferè proditor eſt.

Sed tu omnes beneuolos habes, Deo tibi ſuggerente rectum conſilium.

Socrates dicere ſolebat: vt nemo ſibi ſtatuas fieri cupit, à quibus non viderit aliquot ſtatuas eleganter fabricari: ita non ſunt in amicitiam recipiendi, niſi quos cognouerimus erga alios fideles extitiſſe. Ariſtippus mirabatur, quòd homines vaſa non emerent niſi diligenter inſpecta: vitam illorum qui in amicitiam reciperentur, non prius inſpicerent. Diogeni Cynico indignum videbatur, quod nemo ollam vel operculum emeret ſine tinnitu & experimento: in ſeligendis amicis ſatis haberent aſpicere.

Vide q. 49. & 44. Huc pertinent illa, quæ de conſiliarijs quæſtione 52. dicta ſunt, & quæ de familia atque magiſtratibus & ducibus quæſt. 65. & quæſtio. 66. adferentur.

Non omni homini cor tuum manifeſtes, inquit Eccleſiaſticus capite 8. & coram extraneo ne facias conſilium, nec cum fatuis conſilium habeas.

Et c. 6. Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum, & ne facilè credas ei teipſum.

Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & nõ permanebit in die tribulationis: & eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam: & eſt amicus qui o-

dium,

odium,& rixam,& conuitia denudabit:eſt & amicus ſocius menſę,& non permanebit in die neceſſitatis. Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis. Amicus fidelis protectio fortis: qui inuenit illum,inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio,& non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ,& immortalitatis:qui metuunt dominum,inuenient illum. Qui timet DEVM, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundum illum erit amicus illius. Rurſus capite 9.

Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veteraſcet, & cum ſuauitate bibas illud.

Etſi multi credebant in Ieſum, tamen Ieſus non credebat ſe ijs,ipſe enim ſciebat,quod eſſet in homine,Ioan.2.

Et Apoſtolos iuſſit eſſe prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices vt columbas Matt.10.

Qui verò lucri& quæſtus tantùm cauſa in Principum familiaritatem ſe inſinuant, ferè proditores ſunt:dum vtile ab honeſto ſeparantes, amici tunc eſſe deſinunt, quando commodum amplius non ſperant:& ab alijs vt conſequantur, Principū ſecreta reuelant.

Tales homines Alphonſus rex auibus comparare ſolebat, quæ ad nauim circumuolitantes beneficium expectant:quicquid proijcitur, certatim cum pugna quadam abripiunt:&quæ præripuerit, ſtatim aufugit,teſte Panormitano lib. 1. de geſtis Alphonſi c.4.

QVAESTIO LIX.

Quid potiſſimum regnum conſeruet?

RESPONSIO.

Cura & ſolicitudo, ne quid à rerum præfectis malè agatur, committaturque in ſubditos: quemadmodum tu facis, cum tibi Deus egregias animi cogitationes ſubminiſtret.

Qualiter regnum conſeruetur, multoque florétius, & firmius, ornatiuſque ad poſteros tranſmittatur, quæſt. 1. 8. 15. 17. 21. 53. 55. dictum eſt: de magiſtratibus, atque familia principum, q. 65. & 66. diſſeretur.

QVAESTIO LX.

Qua potiſſimum re gratia & honor ſeruetur.

RESPONSIO.

Virtute. Ea enim pulcherrimorum operum effectrix, malorũ expultrix eſt: ſicut tu erga omnes excellentem bonitatem obſeruas, quod diuino tibi munere præſtatur.

QVAESTIO LXI.

Vide q. 24. & 30. Quomodo in bellis animo tranquillo eſſet?

RESPONSIO.

Si tibi perſuadeas nihil à te temerè aut negligenter agi, tuoſq; duces de facinoribus atq; virtute inter ſe certare: quod eam ſpem animo ſuo fixam habeant, te ſuarum rerum curam geſturum, ſi è vita ipſos diſcedere contingat. Tu verò fœlices ſucceſſus Dei auxilio nactus, omnes tuos erigis & promoues.

Quod iuſtis honoribus atque præmijs boni viri ad præclarè merendum de republica, excitarentur. q. 1. dictum eſt.

Ideo-

Ideoque veteres, ſi quis fortiter pugnando occubuiſſet, eius liberos ex ęrario alebant, variaſque ſtatuas atque imagines, honoris ergo, ponebant. Qualiter verò bella ſuſcipienda, gerendaq; eſſent, q.5. declaraui.

QVAESTIO LXII.

Quomodo non ſeduceretur aut deciperetur verbis?

RESPONSIO.

Si conſideres & dicta ipſa, & à quo dicantur, & qua quiſque de re loquatur: eademque poſt diu & multum perquiras: Ingenij autem acumen ad diſcernenda quæque (ſicut tu rex habes) Dei pulcherrimum donum eſt.

QVAESTIO LXIII.

Quare multi virtutem non amplexentur?

RESPONSIO.

Quoniam omnes homines natura incontinentes & ad voluptates proni ſunt, vnde iniuſtitiæ & auaritiæ cumulus gignitur. Virtus autem maximè retrahit & prohibet à voluptatibus: continentiam verò & iuſtitiam colendam præcipit, quarum largitor Deus eſt.

Quantum libido, & intemperantia, atque ingluuies ſapientiæ ac virtutum ſtudio repugnaret, libro. 2. officiorum ſcholaſticorum perſcripſi: Nec eſt quiſquam, ait Cicero libro primo de Legibus, gentis vllius, qui ducem naturam nactus ad virtutem peruenire non poſſit: ſed tanta eſt corruptela malæ conſuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria. Et libro 3. Tuſculanarum quæſtionum: Natura paruulos *Ca 2. & 20.*

nobis igniculos dedit, quos celeriter malis moribus opinionibuſque deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret: nunc autem ſimul atque æditi in lucē, ſuſceptique ſumus, in omni continuò prauitate, in ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur.

Multos quoque addit ad honores, imperia, opes animum adijcere, vt à virtutis ſtudio deſciſcant, & in ſumma inanitate verſentur, conſectenturq; nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ.

Alij venationibus, aucupijs, luſibus, conuiuijs ætatem perdunt, vt ad virtutem & ſapientiam emergere non poſſint: quod Virgilius litera Pythagoræ Y, eleganter expreſſit.

L.4.c.2. Ezdræ Angelus reſpondit: Gramen ſeminis mali ſeminatum eſt in corde Adam ab initio, & quātum impietatis generauit vſque huc, & generat

Gen.ſ.8. vſque cum veniat area? Et ipſe Deus profitetur: Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua.

Multi verò cum ſua natura luctari, & cupiditatibus fortiter reſiſtere nolunt: quod iucundior ipſis voluptatum, quàm virtutis via exiſtere videatur.

QVAESTIO LXIIII.

Quibus Reges inſiſtere potiſſimum debeant?

RESPONSIO.

Legibus, vt iuſtis operationibus demereantur

omnium famam:quemadmodum tu faciens, perēnem tui memoriam relinques diuina præcepta ſequendo.

Solon, vnus è ſeptem ſapientibus Græciæ, tuc demum ſaluam fore rempublicam aiebat, ſi principes atque magiſtratus iuxta leges viuerent,& populus magiſtratui, magiſtratus legibus obtemperaret:authore Laërtio. Quod Cicero ita expreſſit: Videtis,magiſtratus hanc eſſe vim, vt præſit, præſcribatque recta & cōiuncta cum legibus. Vt enim magiſtratib⁹ leges,ita populo præſunt magiſtrat⁹: vereq; dici poteſt, magiſtratum legem eſſe loquentem,legem autem mutum magiſtratum. Et libr. 1. officiorum:Eſt proprium magiſtratus, intelligere,ſe gerere perſonam ciuitatis,debereque eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges,& iura deſcribere,& ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. *Vide q.14.* *Lib.3.de legibus.*

Percunctanti Crœſo,quod eſſent maximum Imperium,reſpondit Pittacus ποῖκιλον ξύλον, varij ligni:leges innuens: quoniam in tabulis ligneis olim leges inſcribebantur,authore Laërtio.

Pauſanias aiebat: Legibus conuenit auctoritas in homines,non hominibus in leges.

Archidamus roganti, quinam eſſent Spartanæ ciuitatis præfecti?leges, inquit, ac legitimi magiſtratus. In benè conſtituta republica ſupremam auctoritatem eſſe Legibus deferendam,debereque magiſtratum iuxta leges viuere ſignificans.

Demaratus percunctanti cuidam, cur exularet Sparta,cū rex eſſet?quoniam, ait, leges in ea potētiores ſunt, quàm reges

Ageſilaus rex etſi magnam rei benè gerendę oc-

caſionem habebat, ab Ephoris tamen reuocatus, paruit,dicens: Bonum Imperatorem legum imperatis parere oportere. Agis vltimus Laconicorum rex rogantibus parentibus, vt ſibi in re quadam iniuſta adeſſet, nec vllum rogandi vrgendique finem facerent, reſpondit: Quia me patriæ tradidiſtis,patriæque legibus, inſuper & iuſtitiam & honeſtatem pro viribus docuiſtis, conabor huic magis obtemperare,quàm vobis. Et quandoque hæc eſt veſtra voluntas,vt quæ ſunt optima faciam:optima verò ſunt quæ iuſta: quæ vultis faciam, quæ nunc dicitis negabo. Putans tunc ſe magis obtemperare parentibus, ſi faceret quod illorum perpetua voluntas optabat,quodque ſemper eſſent probaturi, quàm ſi præſenti corrupto affectui indulgeret.

Cyri Regis patrem laudat Xenophon, libro primo, quod non ſuam voluntatem, atque libidinem,ſed leges ſequeretur: Filiumque diceret oportere & iuſtiſſimum eſſe, & legum obſeruantiſſimum.

Huc alluſit Iuuenalis ſatyra 8.

Reſpice quid moneant leges,quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant.

Quatenus autem Principes legibus obtemperare cogantur: canonumque conſtitutiones ab omnibus promiſcuè hominibus, tamquam eccleſiæ Catholicæ filijs,obſeruandæ ſint, Iuris Canonici Doctores ad cap. 1. extra de conſtitutionibus pulcherrimè docuerunt. Eundéque locum eleganter tractat Didacus Couarruuias variarum reſolutionum libro 3.c.6.Num.8.

Zaleuci

Zaleuci filius adulterij crimine damnatus, ſecundum ius à patre conſtitutum, vtroque oculo carere debebat: verum tota ciuitas, in honorē patris, neceſſitatem pœnę adoleſcentulo remittebat: pater aliquandiu renuit: ſed populi precibus euictus, ſuo prius, deinde filij oculo eruto, vſum vtrique videndi reliquit: debitumque ſupplicij modū legi reddidit: admirabili æquitatis temperamento ſe inter miſericordem patrem, & iuſtum legiſlatorem partitus.

Charondas verò cum legem tuliſſet, vt ſi quis conciones cum ferro intraret, continuò interficeretur: & aliquanto poſt, ex rure gladio accinctus domum repetens, ſubito indicta concione, ſicut erat, in eam proceſſiſſet: ſolutæ à ſe legis ſuæ admonitus: Idem ego illam, inquit, ſanciam: ac protinus ferro, quod habebat, diſtricto incubuit. Cumque liceret culpam vel diſsimulare, vel errorem defendere, pœnam tamen repræſentare maluit, ne qua fraus iuſtitiæ fieret. De vtroque narrat Valerius. Traianus cuidam præfecto gladium tradens: Enſem, ait, accipe, quem pro me ita demum ſtrinxeris, ſi iuſtè imperauero: ſi perperam quid commiſero, in meam perniciem vtaris velim. Dion in vita Traiani. Et Nicephorus Calixtus. *Valerius l. 6. c. 5.* *Niceph. l. 5. c. 23.*

Antiochus 3. ciuitatibus ſcripſit, ſi quid mandaret per literas, quod legibus repugnaret, id ne curarent, perinde quaſi ipſo neſcio ſcriptū eſſet. Similiter Alphonſus Aragonum rex iudices, & Prouinciarū præſides præmonuerat, vt nullū decretū aut reſcriptum ſuum ſeruarent, niſi hoc iure & honeſtate niteretur. Fieri enim poſſe aiebat, vt

per importunam ſollicitationem, aut ignorantiâ rei, aliquid contra iuris ſanctionem mandaretur. Illud verò ſe ratum habiturum aſſerebat, quod legibus probaretur: primamq́ue eam ſibi legem eſſe, ne quid contra legem, id eſt, contra rationem atq; iuſtitiam fieret.

Panor. l. 2. 1. 46.

Veri profectò illa Principis vox eſt: tyrannus autem contra inclamat,

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Nullam æquitatis, & iuſtitiæ, honeſtatiſque publicæ, aut diuini & humani iuris rationem habet.

Lib. 1. ca. 2. politic.

Ariſtoteles affirmat, nullum quidem homine animal eſſe melius, quando ſuum officium facit: ſi verò à lege & officio aberret, nullum eſſe peius.

L. 3. c. 12.

Et, Optabilius, inquit, eſt legem, quàm vnum hominem ciuibus imperare: ſi tamen viros præeſſe melius eſt, ij conſtituendi ſunt cuſtodes & adminiſtri legum.

Seneca dicebat: Patere legem, quam ipſe tuleris.

In eandem Sententiam B. Ambroſius ad Valentinianum Imperatorem epiſtola 32. Quod præſcripſiſti alijs, præſcripſiſti & tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat. Eòdem refertur Clementis Alexandrini ſententia libro primo ſtromatum: Rex is eſt, qui imperat ex legibus, & qui eſt præditus ſcientia imperandi. Agapitus ad Iuſtinianum ſcripſit: Cum ſuper terram qui te cogere poſſit, habeas neminem, ipſe tibi obſeruandarum Legum neceſſitatem impone: ſic enim fiet, vt dum ipſe eas præ cæteris reuereris, & maieſtas

illa-

illarum exiſtat clarior,& neglectus acerbioris pœnæ periculum ſubditis intentet. Conſentit huic canon.2.diſtinct.9.apud Gratianum.

Theodo. & Valent. ad Voluſianum præfect. præt. in L. digna vox, C.de Legib. & cõſtit. Princip.reſcripſerunt, Digna vox eſt maieſtate regnãtis:legibus alligatum ſe principem profiteri: adeó de authoritate iuris noſtra pendet authoritas, & reuera maius imperio eſt, ſubmittere legibꝰ principatum. Et oraculo præſentis edicti quod nobis licere non patimur, alijs iudicamus. Contrà verò quotquot voluntate vtuntur pro Legibus, Pilatum imitantur, qui ad Chriſtum dicere non erubuit: Neſcis quod poteſtatem habeo dimittendi, vel ad crucifigendum te?

Si Principis voluntati non ſemper obtemperet Senatus, aut capitulum: obſeruent Taciti imperatoris verbum: Sit Senatus quem principem fecerit. *Vopiſcus in Tacito.* Petebat verò Imperator pro fratre ſuo magiſtratum, quem magnis de cauſis ipſi Senatus recuſabat.

In primis verò leges diuinas atque conſtitutiones eccleſiaſticas, principes obſeruare oportet: quod Gratianus demonſtrat. Et Dauid ſe feciſſe ait: *Diſt.10.* Memor fui nocte nominis tui Domine,& cuſtodiui legem tuam. Portio mea Domine dixi, cuſtodire legem tuam. *Pſal.118.*

Audite reges,& intelligite, diſcite iudices finiũ terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines,& placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt vobis poteſtas à Domino,& virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri reg- *Sap.6.*

 ni il-

ni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legē iuſtitiæ, nec ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.

Principis officium eſt, omnia quæ rempub. conſeruant ſummo ſtudio, cura, & diligentia tueri. Nihil autem magis rempubl. conſeruat, quàm leges. Nam lex honeſta atque ſalutaria præſcribit, & prohibet contraria, iniquitatis violentiam coërcet, fraudibus obſiſtit, honeſtatis diſciplinā continet, turpitudini, & flagitio repugnat, diſcordiarum materiam amputat, pacis & otij dignitatem conſtituit, totamque rempubl. multis opibus & ornamentis afficit.

Princeps ergò legum cuſtos & vindex, publicique Iuris adminiſter eſſe debet. Quas ſi violat, rempubl. labefactat, Deique in ſe iram incendit.

Cum enim omnes principem intueantur, & imitari ſtudeant, fit vt ſi viderint leges ab illo contemni, illæ ab omnibus quoque contemnantur: ſin eas ſanctè ab illo obſeruari perſpexerint, nemo earum ſanctitatem violare audebit. Qui opibus & gratia in repub. pollent, plerique oderunt ſe legibus aſtringi, vulgus eas timet: ſi ergo princeps ipſe leges neglexerit, hanc Iuris violandi occaſionem egregiè amplectentur, vnde totius reip. ſtatus, Principis culpa, & malo exemplo diſſipabitur.

Leges igitur conuellere, tyranni non principes facere conſueuerunt. Quocirca Theodoſius Imperator oſtenſurus quàm longe à tyranni moribus abeſſet, ſe legibus allegatum eſſe profeſſus eſt.

Ideò princeps qui leges contemnit, ſuæ dignitati maculam turpitudinis inurit, reipubl. vires labe factat, ſcelerum ſcholam aperit, ſuique ipſius ſtatus præſidia conuellit, potentiæ ſuæ neruos elidit, cum leges quibus illius ſalus & dignitas & imperium nititur, euertit.

Idem de moribus publicè receptis, & approbatis conſuetudinibus non ſcriptis, quæ eandem cum lege ſcripta vim habent, intelligendum eſt.

Leges conſuetudineſque, ſi ita tempus & ratio poſtulat, emendari, aut ęqua interpretatione molliri poſſunt, ſi duriores viſæ fuerint: negligi verò aut violari, aut contemni, ſine principis ignominia, & ſine reip. pernitie non poſſunt.

Quod leges facilè enim mutari non debeant, niſi magna neceſsitas vel euidens vtilitas poſtulauerit, in apologia Iuriſprudentiæ aſtruxi.

Alioqui enim ſi facile mutentur, facillimè contemnuntur. Legibus autem contemptis, vitæ perturbatio ſequitur, & fœda morum confuſio, reipublicæque totius exitium.

Qui contra ſuadent: Parui & anguſti eſſe animi leges vereri, non eſſe regium habere voluntatem alligatam, miſerum eſſe non facere omnia, quę velis: illi adulatores cenſendi ſunt.

Nam profligati atque perditi eſt animi, leges deſpicere, & contemnere. Nihil magis regium eſt, quàm vinculis & reuerentia legum arcere libidinē, & prauas cupiditates. Vereque miſerū eſt, velle facere, quod non licet, & poſſe facere quod ita velis. Qui legum obſeruantiā principibus commendant, re vera illius libertatem atque dignitatem tuen-

tuentur:qui legibus illos planè ſolutos eſſe vociferantur,aſſentatione ſua efficiunt eum libidinis effrænatæ mancipium.

Lacedæmonij non omninò liberi eſſe dicebantur,eò quod legibus ſeruirent, nec dubitarent pro earum ſanctitate vitam profundere. Omneſque reſpublicæ, quæ olim legibus rectè conſtitutæ fuerunt,tam diu floruerũt,donec leges apud eas dominabantur:atque poſtquam leges conuulſę ſunt, vix veſtigium aliquod priſtinæ dignitatis & imperij in aliqua earum permanſit.

Quoniam ergo reipub.ſalus, dignitas,& ornamentum,& principum maieſtas atque amplitudo, regni ſecuritas,pax,libertas.omniumque bonorũ affluentia in legibus conſiſtit ,prudenter & ſanctè fecerit princeps,ſi nihil quicquam plus in rep.valere patiatur,quàm leges.

Illud ſanè conſtat,omnes reſpublicas,quæ legibus ſe aſtrinxerunt,& à quibus Ius æquabile cultũ fuit, ſummas opes conſecutas, & latiſſimè ſuum Imperium propagaſſe, atque tantiſper opibus & Imperiò floruiſſe, dum leges atque iudicia ſanctè conſeruârunt.

Vbi primum leges conculcari, Iura perfringi, iudicia reſcindi cœperunt, imperium ipſum labi cœpit,atque tandem extinctum deletumque fuit.

1.paralip.c. 22. Dauid ad filium ſuum Salomonem ait: proficere poteris,ſi cuſtodieris, quæ præcepit in lege Moſes. Legum diuinarum libros, iterum tunc repertos, 2.paralip.c. 34. iuſſit ſacerdos Regi Ioſiæ offerri. Quando Moſes leges àDeo acceptas promulgare debebat,propter illarum ſanctitatem Iudæi pedes prius lauare, atq; Exodi 19. ab vxoribus abſtinere iubebantur.

prin-

Princeps etſi non eſt ſubiectus legibus ciuilibus, tamen non eſt ſolutus dictamine rationis, nec vlla gens poteſt facere, vt princeps non ſit animal rationale, vel vt ſit ſolutus legibus naturæ. *Felyn. ca. 1. de conſtitut.*

Ipſeque Pontifex, ſi non aſtringitur lege poſitiua, tamen aſtringitur mente legis. Felyn. d. loco num. 34.

Tunc maximè leges ſequi poterit, ſi cogitet eas à Deo profluxiſſe, & quòd in eis hominum ſalus conſiſtat, 35. & 63.

Quod leges partim ab ipſo Deo, partim à diuino Numine afflatis hominibus prodierint, deque illarum natura, & incredibili fructu, atque neceſſitate, data opera in tractatu de iuſtitia demonſtraui.

Memorabilis ſententia eſt Horatij, libro 3. carminum: *Ode 24.*

Quid leges ſine moribus vana proficiunt?

QVAESTIO LXV.

Qui magiſtratibus præficiendi ſint?

RESPONSIO.

Qui improbitatem odio habent, & æquos imitantur mores & affectus, laudiſque dulcedine tracti, iuſta ſemper ad gloriam adipiſcendam operantur. Quod tu profectò rex facis, quia diuinitus conceſſam coronam iuſtitiæ habes.

Ariſtoteles libro 3. Politicorum, Qui ſoli, ait, regnant, multos ſibi oculos, & aures, & manus, & pedes adiungunt. Ipſeque Iethro ſapientiſſimum Moſen reprehendit, quod omnia ſolus reipublicæ negotia curaret. Proinde autem, inquit, de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex ijs tri- *Cap. 12.* *Exodi 18.*

ijs tribunos,& centuriones, & quinquagenarios, & decanos,qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, ipſi minora iudicent,leuiuſque ſit tibi partito in alios opere.Hoc in biblia relatum eſt, vt poſteriores Principes exemplum haberent,nec terere operam in minutis,nec maiora negligere, nec conſiliarios & adminiſtrationis & Iuris dicendi ſocios cõtemnere,vt author eſt Philo,in libro de creatione Principis.Vbi & maiora vocat, non quæ inter diuites & claros viros aguntur, ſed quæ vniuerſam rempublicam concernunt.

De conſil.q. 52. Et hinc omnes Principes, magiſtratus atque cõſiliarios aſſumpſerunt:de quorum officio varia in corpore iuris ciuilis & canonici ex profeſſo diſſeruntur.

Cap.5. Nehemiæ c.7.eliguntur magiſtratus,veraces,& timentes deum,atque optimi.Tyranni, & oppreſſores populi caſtigantur: eorumque malè acta *Cap.vlt.* Princeps corrigit.Vt multa contra ſuam voluntatem accidiſſe, magiſtratumque ea egiſſe, varijs *2.reg.3.* apertiſque indicijs declarabat Dauid.

Secundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius & qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes *Eccleſ.10.* in ea.Quoniam verò plurimum refert, bonos ciues habere,ergo boni magiſtratu s conſtituantur.

Socrates perquàm abſurdum eſſe iudicabat, quod cum nemo requirat à ſedentario, quæ non didicerit: publici magiſtratus deferrentur his,qui nunquam diſciplinis operam dediſſent,ſine quib' illi geri non poſſunt. Sic Metius Falconius apud Vopiſcum iu Tacito:Quæ,malum,inquit, ratio eſt habere Imperatorem, qui eos faciat conſules, duces,

ces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, geſta non nôrit?

Iamblichus æquè periculoſum fore arbitrabatur, furioſo gladium, & improbo viro magiſtratū tradere. Quocirca eleganter Iuſtinianum Imperatorem Agapitus admonuit: Cum à Deo optimo maximo tantum imperium tibi concreditum ſit, caue optime princeps, ne ad publicorum negotiorum adminiſtrationē malis hominibus vtaris. Hic enim quicquid ab ijs peccatur, pro hoc rationem Deo reddes: vtpotè qui hanc ijs auctoritatem dederis. Itaque boni principis eſt, acerrimum habere delectum eorum, qui ad præfecturas & magiſtratus ſunt admittendi. Regina Heſter aſſeuerat, quod Aman crudelitas redundaret in regem Abner, totū Iſraëliticum populum Dauidi conciliârat. Ioab verò rurſus alienaſſet, niſi Dauid ſingulari prudentia Abner ſua culpa cæſum non fuiſſe demonſtraſſet. *Heſter. 7.* *2. reg. 2.*

Doctiſſimus Aufrerius ex veterum Iuriſconſultorum doctrina probat ad Capellam Tholoſanam, Principem teneri ex delicto ſuorum magiſtratuum, niſi poſtquam reſciuit, corrigat. *Quæſt. 29.*

Multique optimi principes maximum odium & grauiſſima pericula incurrerunt, propter magiſtratuum ſuorum ſcelera. Hinc Philippus Macedonum rex iudicem, qui capillos & barbam ſuā tingebat, ſtatim remouiſſe fertur: putans eum, qui in capillis fuco vteretur, in publicis negotijs multò magis vſurum. Et ALEXANDER Seuerus, authore Lampridio, prouinciarum rectores daturus, nomina eorum proponebat, hortans

tans populum vt ſi quis aliquid criminis haberet diceret, probaretque manifeſtis rebus. Senatores non niſi ad ſummorum in palatio virorum ſuffragium fecit, dicens: magnum virum eſſe oportere, qui faceret ſenatorem. Præſides verò, Procõſules, & Legatos nunquam fecit ad beneficium, ſed ad iudicium vel ſuum, vel ſenatus. Tacitus Imperator cum audiret fratrem ſuum non accepiſſe magiſtratum, quem pro eo petierat, gaudebat ob ſenatus libertatem, dicens: ſcit ſenatus quem Principẽ fecerit, Vopiſcus in vita.

Quàm veteres Romani diligentes fuerint, in mandandis magiſtratibus, & quibus ratibus eos in officio retinuerint, in illorum academia comprobaui. In qua re cum aliquando per fauores & negligẽtiam peccaretur, Cicero illos excitabat: Difficile dictu eſt, Quirites, quãto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eos hoc anno cum imperio miſimus, iniurias ac libidines. Qualiter ſuos legatos creârint, indicat Carus apud Vopiſcum: Maiores noſtri, Romani illi Principes, in legatis creandis hac vſi ſunt conſuetudine, vt morum ſuorum ſpecimen per eos oſtenderent, quibus rempublicam delegabant.

Quantum Athenienſibus nocuerit, quòd in ſenatoribus atque magiſtratibus eligendis negligẽtes exiſterent, in ipſorum quoque Academia declaraui. De Montiſpeſſulanis teſtatur Rebuffus, quòd dum mercatoribus & illiteratis rempublicam committerent, totam propemodum euerterint. Vtinam hæc omnes aliæ ciuitates pro exemplo caperent.

Priuilegio ſtud. 48.

L. 6. ca. 4.

Valerius Maximus ſcriptum reliquit: Scipionẽ Aemilia-

Aemilianus Senatui Romano conſuluiſſe, vt neque pauperes, neque auaros in prouincias mitterent

Et Syluius ad Panormitanum de vita Alphonſi regis annotauit: quod cum Ioannes Varundinenſis Epiſcopus, regnique Hungariæ cancellarius intelligeret, magiſtratus ad homines nouos atque ignotos deferri, dixerit: Ego probatos quàm probandos mallem. *Ad l. 3 c. 8. Panormit.*

Præclara in Iuſtinianeo Codice Theodoſij conſtitutio extat, L. vlt. C. ad Legem Iuliam repetundarum: vt magiſtratibus præficiantur, non ambitione vel pretio, ſed probitate vitæ ac morum.

Prudenter dixit Theopompus, ſummoperè neceſſarium eſſe Pricipibus, vti curarent, ne per malos magiſtratus ciues afficerentur iniuria.

De familia

Porro, hæc etiam ad familiam Principum referuntur. Nam ex magiſtratu & familia populus ipſos ferè Principes æſtimare ſolet.

Et ſicut nihil eſt, quod maiore dedecore Principes afficiat, quàm turpium & ſceleratorum hominum familiaritas: ita bonorum conſuetudo ipſis auxilio & ornamento eſt.

Talem namque de illis opinionem homines concipiunt, quales ij ſunt, quibus eos deditos animaduertunt. Vnde Iſocrates ad Demonicum: Magiſtratum adeptus, nullius improbi miniſterio vtitor: nam quicquid ille deliquerit, tibi imputabitur. Rurſus Nicoclem hortatur, vt in ſuos familiares diligenter inquirat, perſuadeatque ſibi, talem ſe à vitæ ſuæ ignaris iudicari, quales ipſi cernerentur, quibuscũ viueret. M. etiã Cicero ad Q. Fratrẽ Sint, inquit, hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua

primum integritas,& continentia, deinde omniũ qui tecum ſunt pudor. Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio,indignos per gratiam & præmium allectos Senatores,poſt mortem Iulij Cæſaris,quos abortiuos vulgus vocabat, depoſuit:& ſenatorum affluentem numerum deformi & incondita turba, ad modum priſtinum, atque ſplendorem redegit. Alexandrum Seuerum Imperatorem prædicat Lãpridius,quòd ſtatim arrepto Imperio, iudices omnes à republica, & miniſterijs, muneribuſque amouerit, quos impurus Heliogabalus ex genere hominum turpiſſimo prouexerat. Deinde Senatũ & equeſtrem ordinem,cunctaſque tribus, & palatium ſuum purgârit: abiectis ex aulico miniſterio cunctis obſcœnis & infamibus, atque otioſis, & non neceſſarijs: malum eſſe imperatorem dicens, qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios,nec reipublicæ vtiles paſceret.

Atque adeò niſi honeſtos, & bonæ famæ homines ad ſalutationem admiſit: iuſſitque, vt nemo ingrederetur,niſi qui ſe innocentem noſſet.

A mulieribus quoque famoſis matrem &vxorẽ ſuam ſalutari vetuit. Quod hic de eiectis otioſis atque ineptis hominibus ab Alexãdro Seuero narrat Lampridius, idem de Antonio Vio teſtatur Iulius Capitolinus. Et in annalibus Francorum cõmendatur Ludouicus rex Sanctus, quod paraſitos, mimos,& otioſos in aula non tulerit. Huc referatur & illud: Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.

Maxima quæq; domus ſeruis eſt plena ſuperbis.

Adrianus Imperator ſeruo ſuo inter duos ſenatores

tores ambulanti, colaphum impingi iuſsit: Noli, inquiens, inter eos ambulare, quorum eſſe adhuc ſeruus potes.

Clemens Alexandrinus Ego quidem, ait, cenſeo ne ancillas quidem, quæ probas ſequuntur fœminas, oportere turpia dicere aut facere: ſed ipſas debere caſtigari à dominis. In dominam enim retorquetur ancillæ intemperantia, & præ ſe fert eam ſe non damnare: non ſuccenſere enim ijs, qui ſe dedunt libidini, eſt indicium animi ad ſimilia propenſi. *L.3.pedag. c.11.*

Qualis enim domina, talis eſt, vt dicitur in prouerbio, catella. Et B. Ambroſius: Laus dominæ, vbi munda poſſeſſio, & innocens familiæ diſciplina. Capite autem 18. teſtatur, quod adoleſcentem propter fluxos mores in Clerum recipere noluerit: & alterum, quem in Clero repererat, propter eandē cauſam, noluerit ſibi miniſtrare. *Lib.1. offic. c.50. Vi.lib.2.officiorum ſchol.c.21.*

De Beſſarione Cardinale refert in panegyrico Platina, quod cum Nicolai V. Pontificis Maximi Bononiæ magiſtratus eſſet, ipſe integer & continens fuerit, ſuorumque cupiditates diligentiſsimè refrenârit, petulantiam repreſſerit, coërcuerit audaciam: ne ſuorum licentia & cupiditas, ſuæ integritatis & ſapientiæ laudem commacularet. Quinimò, Nicolai V. deceſſorem Eugenium IIII. qui Beſſarionem Cardinalem fecerat, prædicat Platina, quod familiares habuerit paucos, ſed viros doctos, & quorum opera in grauibus rebus vti poſſet, quoſque tanquam ſuæ modeſtiæ teſtes in cubiculum cœnaturus adhibuerit, cogniturus ex ijs, quid de ſe, atque

de ſuis homines iudicarent. Pius V. Romanam curiam grauiſſimis calumnijs, quibus propter curialium corruptos mores laborabat, liberaturus, primò omniũ in ſuos familiares animaduertit, quod reliquorum eccleſiaſticorum familias inde exemplum petituras arbitraretur. Talemque ſeſe familiã velle dixit, quæ vita, moribus, veſtitu reliquos ad virtutem excitaret. Vtinam id hoc periculoſiſſimo tempore aliquandò tandem obſeruaretur, quando ex familia ipſi Principes, atque adeò ſacratiſſima religio æſtimatur.

Quidam Pontifices in eo taxantur apud Platinã & Onuphriũ, quod cognatis ſuis nimium indulſerint. Cõtrà Adrianus VI prædicatur, quod dixerit: Deo potius quàm carni & ſanguini obtemperabo. Nec dignus Petri ſucceſſor eſt, qui plus cognationi, quàm Chriſto tribuit.

Quantum verò Epiſcopi & prælati qua forma ſuis cognatis elargiri & tribuere poſſint, declarauit concilium Trident. ſeſſ. 25. can. 1. reform.

Dionyſius Siciliæ tyrannus egregios atque doctiſſimos viros alere ſolebat, vt inde virtutis & ſapientiæ nomen colligeret, ac ciuibus ſuis admirabilior euaderet.

QVAESTIO LXVI.

Quales ſint duces belli eligendi?

RESPONSIO.

Qui fortitudine & iuſtitia excellunt, quique hominum ſalutem cruentæ victoriæ anteponunt. nam & Deus eſt erga omnes beneficus, quem tu ſecutus, bonis afficis ſubditos tuos.

Quia regiam maieſtatem non ſolùm legibus armatam, ſed etiam armis oportet eſſe decoratam, vt vtrum;

vt vtrumque tempus pacis & bellorum rectè poſſit gubernare: de gubernanda republica, de conſiliarijs, de magiſtratibus, legibuſque Iudæorum ſententiam audiuit: de belli ducibus hunc interrogat.

Matathias, Iudæorum reipublicæ Iudam Machabæum fortem præfecit, cui Simonem iuſtum ſapientemque addidit. 1. Mach. c. 2.

Veteres philoſophi ſolum ſapientem eſſe bonũ belli ducem aſſerebant. Quantum enim militiæ L. 1. c. 5. profit eruditio & ſapientia lib. 1. academiæ demóſtraui. Ideoque Romani, qui virtute bellica inſignes extiterunt, fortes, iuſtos, & diligentes, atque ſobrios legionis & militiæ præfectos inſtituebant.

Et M. Cicero in oratione pro lege Manilia in bono duce ac perfecto Imperatore quatuor hac res ineſſe oportere exiſtimat: ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & fœlicitatem. Antigonus rex optimum ducem iudicabat, qui expertiſſimus eſſet.

Pauſanias percunctanti, quo pacto Thraces debellarentur, reſpondit: Si qui optimus vir eſt, dux belli deligatur.

Philippus Macedonum rex beatos prædicabat Athenienſes, qui quotannis decẽ inuenirent, quos belli duces crearent: cum ipſe annis multis vix vnum verum belli ducem reperiſſet. Multoque pręſtantiorem aiebat ceruorum exercitum, duce leone, quam leonum, duce ceruo. Tantum in vero duce poſitum eſt.

Alphonſus rex apud Panormitanum, lib. 4. c. 11. optimos belli duces fore arbitrabatur, qui egregij

ciuibus ad virtutem duces extitiſſent. Phocion verò boni ducis affirmabat, non cruentā victoriā reportare, verùm ſic adminiſtrare rem militarem, vt pauciſſimi ciues perirent.

Et Pelopidas hortanti vxori: vt ſe ipſum in prælio ſeruaret, Princeps, inquit, & dux hortandus potius eſt, vt ſeruet ciues. Alexander Seuerus, teſte Lampridio, non ciues tantùm, ſed milites etiā diligentiſſimè conſeruare ſtudebat: Dicens, milites ſe magis conſeruare quàm ſeipſum, quod ſalus publica in his eſſet. Aegros viſitabat per tentoria, multos carpentis vexit, omnibuſq; neceſſarijs adiuuit: & ſi fortè grauius laboraſſent, per ciuitates & agros patribus familias, & ſanctioribus matronis eos diſtribuebat, reddens impendia.

Quantoperè principi neceſſarium ſit, bonos, & ſapientes, atque integros familiares, miniſtros, & magiſtratus habere, quodque non facile vni plura munera committenda ſint, maximaque perturbatio ex confuſione magiſtratuum & officiorum naſcatur.

Quodque ex omnibus ordinibus, qui virtute & ſapientia præſtant, magiſtratus eligendi eſſent, & in mandandis magiſtratibus maior virtutis, quàm ſanguinis & propinquitatis ratio habenda ſit, ad q. 40. & 58. annotaui.

Alexander Magnus etſi Herculem filium, & fratrem Aridæum, & Roxanem vxorem prægnantem relinqueret: tamen illúm Imperij hæredem futurum amicis reſpondit, qui digniſſimus eſſet. Nefas eſſe ratus, viro forti alium, quàm fortem & probū, ſuccedere.

Aurea oratio M. Falconij ad Tacitum Imperatorem

torem extat apud Vopiſcum,in vita Taciti: Ingens eſt gloria Principis, rempub. magis amare, quàm filios.

Qua hortatur illum,ne Imperium ad filios pueros deferat:pluriſque faciat remp. quàm villā ſuā, quàm colonos,quàm ſeruos ſuos.

Darius Rex Perſarum ad Zorobabel ait: quia tu inuentus es ſapientior proximis meis, proximus mihi ſedebis,& cognatus meus vocaberis. *3.Ezd.4.*

Hieron.ſuper epiſtol.D.Pauli ad Titum:Moſes, inquit,amicus Dei potuit vtique ſucceſſores principatus filios facere, & poſteris propriā relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu eligitur Ioſuæ: vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe,ſed vitæ: at nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt quærant eos in eccleſia colūnas erigere non quos plus cognoſcant eccleſiæ prodeſſe,ſed quos vel ipſi amant,vel quorum ſunt obſequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit, vel,vt deteriora taceam,qui vt clerici fierent,muneribus impetrârunt. *Can. Moſes 8 q.1.*

Ideoque poſteriores canones prohibuerunt, ne Epiſcopi, ſub excommunicationis & ſuſpenſionis pœna,ſuis propinquis & cognatis, præſertim Laicis,nimium in hac parte tribuant. *Can.Iudicatū can.de center diſt. 89.*

Haud fruſtrà in hiſtoriam ſacram relatum eſt: quod ob nequitiam,& ſcelera filiorum Heli & Samuelis,ſacerdotium de familia vna in alteram,deinde in regnum, aliamque reip. formam mutatum fuit. *1.reg. 2. 3. & 8.*

In conferendis beneficijs & magiſtratibus eccleſiaſticis propinquos reliquis præferri poſſe, ſi

digni ſint, affirmat Didacus Couarruuias lib. 1. variar. reſolut. c. 5. Rochus de Curte. de Iurep. §. honorificum. Io. Delphi Citadi: de Iurep. parte 6. art. 3. nu. 96. Curtius de feud. part. 2. q. 7. Et ante illos Thomas Aquinas quodlubeto. 4. artic. 15.

Iudic. 1. Iudas Iſraëlitici populi Dux fratrem ſuum Simonem virum fortem & ſtrenuum ad labores, & ad bellum aſſumpſit.

Idem fecit Iudas Machabæus.

3. reg. 4. Sapientiſsimus Rex Salomon Taphet & Achinam filiarum ſuarum maritos annonæ Regiæ præfecit.

Nehe. 7. Ezdras reſtitutæ vrbi & templo præpoſuit fratrem ſuum & Hananian qui erat verax, & timens Deum prætulit cæteris.

Iudic. 2. Sub bonis magiſtratibus & Iudicibus reſpubl. Iudæorum floruit, ſub malis afflicta fuit & miſera.

Iudic. 17. Cum non eſſet Rex, neque Dux in Iſraël, vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur hoc faciebat.

Non habere bonum magiſtratum reip. perniocioſiſſimum eſt, Oſeæ 3. Mandoſ. ad reg. Cancell. 32. quæſt. 8.

Magiſtratuum integritas & cura diligentiaque regnum conſeruat hic, q. 59.

Magiſtratus virtutibus debiti, ne ad libidinum miniſtros deferantur. Heliogabalus Imperator impuriſſimum monſtrum, omnes lenones, vrbis præfectos facere deſtinârat. Zaſius ad l. 2. D. de orig. iur. ex Lampridio & alijs hiſtoricis.

Qui Alexandrum Seuerum prædicant, quod indignos

dignos magiſtratus quos Heliogabalus promouerat, à rep. abiecerit.

Daniel propter ſuam ſapientiam conſtitutus fuit à Rege magiſter, & præfectus ſuper omnes ſapientes, atque prouincias Babylonis. Interceſsit ergò pro ſocijs ſuis, vt etiam illi honorarentur. *Daniel. 2.*

Singulis annis pecuniæ publicæ & adminiſtrationis ſuæ accuratam rationem reddant, in conſilio Pariſienſi conſtitutum eſt anno 1272. Iacobus Meierus lib. 9. annalium Fland.

Omnes igitur munerum & curationum miniſtri certis legibus aſtricti ſint, & intelligant, ſecundum eas leges ſingulis annis rationem ſibi eſſe reddendam illis, quibus ea prouincia delegata fuerit.

Qui munere ſuo rectè perfuncti fuerint, honoribus augeantur, qui verò in officio deliquerint, & honore priuentur, & pœnam luant.

Excitat illorum induſtriam, ſi nôrint quod meritorum ſuorum ratio habebitur poſt mortem, qu. 61.

Magiſtratus ordine & gradatim conferantur, ne ſit neceſſe ei, qui rempub. capeſſit, ſtatim ſummis atque difficillimis muneribus implicari, ſed præfecti quidam alijs præfectis ſubiecti ſint, & ab aliquo rudimento reip. gerendæ ſe exerceant, oſtendantque an digni ſint, quibus maiora ordinatim committantur. Nemo repentè ſummis honoribus augeatur, ne ſe intemperantiùs gerat, inſolentiaque præceps à mente deficiat. Nec qui rebus grauioribus intenti eſſe debent, minoribus negotijs impediri cogantur.

Princeps ſuam auctoritatem tueri & retinere,

nec vltrà, quàm par eſt, Magiſtratibus concedere debet.

Nonnunquam tamen expedit, ex magiſtratuum conſilio de ſua ſententia diſcedere.

1.reg.29. Achis Rex Philiſtinorum ad Dauidem exulem aiebat: Rectus tu quidem es, & bonus in conſpectu meo, ſed ſatrapis meis non places, reuertere ergò in pace, ne offendas oculos ſatraparum.

Heſter.2. Aſſuerus quoque Rex cum Vaſti vxorem, ex publico decreto repudiatam, recepturus videretur, ceſſit magiſtratuum & conſiliariorum iudicio, qui ſalutem publicã regni, vnius fœminæ amori præferendam aſſerebant.

Si quos fortè magiſtratus aut miniſtros malos habet, quos propter potentiam vel fauorem populi offendere non auſit, declaret ſaltem mala eorũ acta ſibi non placere.

2.reg.3. & 3.reg.ca.2. Sicut Dauid Ioab & fratres illius duros ſibi eſſe cõquerebatur, & quod authoritate ſua abuterẽtur, ſed diſsimulare tunc õportuit, vindictam verò Salomoni filio commiſit.

2.reg.16.& 3.reg.2. Et ab alio quodã Semei, Saulis miniſtro, indignã iniuriam tunc patienter tulit, ſed Salomoni illam quoque vltionem reliquit.

Flaminius conſul Romanus à Senatu reuocatus optimam rei benè gerendæ occaſionem videns, literas Senatus non aperuit, priuſquam hoſtes in fugam vertiſſet. Sed victori cum opimis ſpolijs populus Romanus non proceſsit obuiam, quòd reuocatus continuò non paruiſſet. Plutarch. Haud inutile ſtatutum erat, vt Magiſtratus ex omnibus præfecturis & prouincijs omnia notatu digna ad

Cæſa-

Cæſarem referrent, vt nihil ipſum lateret : Sicut Piſtus res Chriſti IESV ad Cæſarem perſcripſit. *Niceph. l. 11. cap. 8.*

Poſt finitum tempus 50. diebus in loco adminiſtrationis ſtare cogebantur, omnibus reſponſuri. Annonas è publico accipiebant, donec ſucceſſor amicè ſignificaret aduentum ſuum, & quod poſt biduum vellet adminiſtrare, tunc enim ſalarium ipſi debebatur. Authent. de adminiſtratoribus, collat. 7.

Magiſtratus qui benè præſunt, Deo, Legi, principi grati ſunt, & diu in officio cótinuantur. authẽt. de Mand. princip. §. vlt.

QVAESTIO LXVII.

Quis potiſſimum eſſet admiratione dignus?

RESPONSIO.

Qui etſi gloria, diuitijs, potentia excellat, æquã tamen mentem retinet: ſicut tu, Deo adiuuante, dignitate, opibus, & potentia exornatus æqualem te erga omnes ſeruas: ideóque omnes meritò te admirantur.

QVAESTIO LXVIII.

In quibus potiſſimum rebus verſari Reges debeant?

RESPONSI... ar...

... itur, & ar

In lectione, & in com... egationum, ... impendentes rei...

quę extant per... de percipitur

ve... pulſari queant, pertra...

Magna prudentia quæ principi... ablicam guber-

ne magno vſu non comparatu... tu ò rex, Deo co-

breuis vitæ humanæ curric... alijſque inacceſſi-

poteſt: ita fit, vt quamuis h... s.

... erſit, & ad ſummam ſene... Principi hiſtoriarum, at-

... cognitio, quæſt. 31. & 34. & lib.

primum integritas,& continentia, deinde omniū qui tecum ſunt pudor. Auguſtus Cæſar, teſte Suetonio, indignos per gratiam & præmium allectos Senatores, poſt mortem Iulij Cæſaris, quos abortiuos vulgus vocabat, depoſuit:& ſenatorum affluentem numerum deformi & incondita turba, ad modum priſtinum, atque ſplendorem redegit. Alexandrum Seuerum Imperatorem prædicat Lāpridius, quòd ſtatim arrepto Imperio, iudices omnes à republica, & miniſterijs, muneribuſque amouerit, quos impurus Heliogabalus ex genere hominum turpiſſimo prouexerat. Deinde Senatū & equeſtrem ordinem, cunctaſque tribus, & palatium ſuum purgârit: abiectis ex aulico miniſterio cunctis obſcœnis & infamibus, atque otioſis, & non neceſſarijs: malum eſſe imperatorem dicens, qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios, nec reipublicæ vtiles paſceret.

Atque adeò niſi honeſtos, & bonæ famæ hominesad ſalutationem admiſit: iuſſitque, vt nemo ingrederetur, niſi qui ſe innocentem noſſet.

A mulieribus quoque famoſis matrem & vxorē ſuam ſalutari vetuit. Quod hic de eiectis otioſis atque ineptis hominibus ab Alexādro Seuero narrat Lampridius, idem de Antonio Vio teſtatur Iulius Capitolinus. Et in annalibus Francorum cōmendatur Ludouicus rex Sanctus, quod paraſitos, mimos,& otioſos in aula non tulerit. Huc referatur & illud: Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.

Maxima quæq; domus ſeruis eſt plena ſuperbis.

Adrianus Imperator ſeruo ſuo inter duos ſenatores

tores ambulanti, colaphum impingi iuſsit: Noli, inquiens, inter eos ambulare, quorum eſſe adhuc ſeruus potes.

Clemens Alexandrinus Ego quidem, ait, cenſeo ne ancillas quidem, quæ probas ſequuntur fœminas, oportere turpia dicere aut facere: ſed ipſas debere caſtigari à dominis. In dominam enim retorquetur ancillæ intemperantia, & præ ſe fert eam ſe non damnare: non ſuccenſere enim ijs, qui ſe dedunt libidini, eſt indicium animi ad ſimilia propenſi.

L.3.pædag. c.11.

Qualis enim domina, talis eſt, vt dicitur in prouerbio, catella. Et B. Ambroſius: Laus dominæ, vbi munda poſſeſſio, & innocens familiæ diſciplina. Capite autem 18. teſtatur, quod adoleſcentem propter fluxos mores in Clerum recipere noluerit: & alterum, quem in Clero repererat, propter eandē cauſam, noluerit ſibi miniſtrare.

Lib.1. offici. c.50. Vi. lib.2. officiorum ſchol. c.21.

De Beſſarione Cardinale refert in panegyrico Platina, quod cum Nicolai V. Pontificis Maximi Bononiæ magiſtratus eſſet, ipſe integer & continens fuerit, ſuorumque cupiditates diligentiſsimè refrenârit, petulantiam repreſſerit, coërcuerit audaciam: ne ſuorum licentia & cupiditas, ſuæ integritatis & ſapientiæ laudem commacularet. Quinimò, Nicolai V. deceſſorem Eugenium IIII. qui Beſſarionem Cardinalem fecerat, prædicat Platina, quod familiares habuerit paucos, ſed viros doctos, & quorum opera in grauibus rebus vti poſſet, quoſque tanquam ſuæ modeſtiæ teſtes in cubiculum cœnaturus adhibuerit, cogniturus ex ijs, quid de ſe, atque

de ſuis homines iudicarent. Pius V. Romanam curiam grauiſſimis calumnijs, quibus propter curialium corruptos mores laborabat, liberaturus, primò omniũ in ſuos familiares animaduertit, quod reliquorum eccleſiaſticorum familias inde exemplum petituras arbitraretur. Talemque ſeſe familiã velle dixit, quæ vita, moribus, veſtitu reliquos ad virtutem excitaret. Vtinam id hoc periculoſiſſimo tempore aliquandò tandem obſeruaretur, quando ex familia ipſi Principes, atque adeò ſacratiſſima religio æſtimatur.

Quidam Pontifices in eo taxantur apud Platinã & Onuphriũ, quod cognatis ſuis nimium indulſerint. Cõtrà Adrianus VI prædicatur, quod dixerit: Deo potius quàm carni & ſanguini obtemperabo. Nec dignus Petri ſucceſſor eſt, qui plus cognationi, quàm Chriſto tribuit.

Quantum verò Epiſcopi & prælati qua forma ſuis cognatis elargiri & tribuere poſſint, declarauit concilium Trident. ſeſſ. 25. can. 1. reform.

Dionyſius Siciliæ tyrannus egregios atque doctiſſimos viros alere ſolebat, vt inde virtutis & ſapientiæ nomen colligeret, ác ciuibus ſuis admirabilior euaderet.

QVAESTIO LXVI.

Quales ſint duces belli eligendi?

RESPONSIO.

Qui fortitudine & iuſtitia excellunt, quique hominum ſalutem cruentæ victoriæ anteponunt. nam & Deus eſt erga omnes beneficus, quem tu ſecutus, bonis afficis ſubditos tuos.

Quia regiam maieſtatem non ſolùm legibus armatam, ſed etiam armis oportet eſſe decoratam,

vt vtrum;

Digitized by Google

vt vtrumque tempus pacis & bellorum rectè poſſit gubernare: de gubernanda republica, de conſiliarijs, de magiſtratibus, legibuſque Iudæorum ſententiam audiuit: de belli ducibus hunc interrogat.

Matathias, Iudæorum reipublicæ Iudam Machabæum fortem præfecit, cui Simonem iuſtum ſapientemque addidit. 1. Mach. c. 2.

Veteres philoſophi ſolum ſapientem eſſe bonū belli ducem aſſerebant. Quantum enim militiæ L. 1. c. 5. proſit eruditio & ſapientia lib. 1. academiæ demōſtraui. Ideoque Romani, qui virtute bellica inſignes extiterunt, fortes, iuſtos, & diligentes, atque ſobrios legionis & militiæ præfectos inſtituebant.

Et M. Cicero in oratione pro lege Manilia in bono duce ac perfecto Imperatore quatuor hæc res ineſſe oportere exiſtimat: ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, & fœlicitatem. Antigonus rex optimum ducem iudicabat, qui expertiſſimus eſſet.

Pauſanias percunctanti, quo pacto Thraces debellarentur, reſpondit: Si qui optimus vir eſt, dux belli deligatur.

Philippus Macedonum rex beatos prædicabat Athenienſes, qui quotannis decē inuenirent, quos belli duces crearent: cum ipſe annis multis vix vnum verum belli ducem reperiſſet. Multoque præſtantiorem aiebat ceruorum exercitum, duce leone, quam leonum, duce ceruo. Tantum in vero duce poſitum eſt.

Alphonſus rex apud Panormitanum, lib. 4. c. 11. optimos belli duces fore arbitrabatur, qui egregij

ciuibus ad virtutem duces extitiſſent. Phocion verò boni ducis affirmabat, non cruentā victoriā reportare, verùm ſic adminiſtrare rem militarem, vt pauciſſimi ciues perirent.

Et Pelopidas hortanti vxori: vt ſe ipſum in prælio ſeruaret, Princeps, inquit, & dux hortandus potius eſt, vt ſeruet ciues. Alexander Seuerus, teſte Lampridio, non ciues tantùm, ſed milites etiā diligentiſſimè conſeruare ſtudebat: Dicens, milites ſe magis conſeruare quàm ſeipſum, quod ſalus publica in his eſſet. Aegros viſitabat per tentoria, multos carpentis vexit, omnibuſq; neceſſarijs adiuuit: & ſi fortè grauius laboraſſent, per ciuitates & agros patribus familias, & ſanctioribus matronis eos diſtribuebat, reddens impendia.

Quantoperè principi neceſſarium ſit, bonos, & ſapientes, atque integros familiares, miniſtros, & magiſtratus habere, quodque non facile vni plura munera committenda ſint, maximaque perturbatio ex confuſione magiſtratuum & officiorum naſcatur.

Quodque ex omnibus ordinibus, qui virtute & ſapientia præſtant, magiſtratus eligendi eſſent, & in mandandis magiſtratibus maior virtutis, quàm ſanguinis & propinquitatis ratio habenda ſit, ad q.40. & 58. annotaui.

Alexander Magnus etſi Herculem filium, & fratrem Aridæum, & Roxanem vxorem prægnantem relinqueret: tamen illum Imperij hæredem futurum amicis reſpondit, qui digniſſimus eſſet. Nefas eſſe ratus, viro forti alium, quàm fortem & probū, ſuccedere.

Aurea oratio M. Falconij ad Tacitum Imperatorem

torem extat apud Vopiſcum, in vita Taciti: Ingens eſt gloria Principis, rempub. magis amare, quàm filios.

Qua hortatur illum, ne Imperium ad filios pueros deferat: pluriſque faciat remp. quàm villã ſuã, quàm colonos, quàm ſeruos ſuos.

Darius Rex Perſarum ad Zorobabel ait: quia tu inuentus es ſapientior proximis meis, proximus mihi ſedebis, & cognatus meus vocaberis. *3. Ezd. 4.*

Hieron. ſuper epiſtol. D. Pauli ad Titum: Moſes, inquit, amicus Dei potuit vtique ſucceſſores principatus filios facere, & poſteris propriã relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu eligitur Ioſuæ: vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ: at nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt quærant eos in eccleſia colũnas erigere non quos plus cognoſcant eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit, vel, vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrârunt. *Can. Moſes 8 q. 1.*

Ideoque poſteriores canones prohibuerunt, ne Epiſcopi, ſub excommunicationis & ſuſpenſionis pœna, ſuis propinquis & cognatis, præſertim Laicis, nimium in hac parte tribuant. *Can. Iudicatũ can. de center diſt. 89.*

Haud fruſtrà in hiſtoriam ſacram relatum eſt: quod ob nequitiam, & ſcelera filiorum Heli & Samuelis, ſacerdotium de familia vna in alteram, deinde in regnum, aliamque reip. formam mutatum fuit. *1. reg. 2. 3. & 8.*

In conferendis beneficijs & magiſtratibus eccleſiaſticis propinquos reliquis præferri poſſe, ſi

digni ſint, affirmat Didacus Couarruuias lib. 1. variar. reſolut. c. 5. Rochus de Curte. de Iurep. §. honorificum. Io. Delphi Citadi: de Iurep. parte 6. art. 3. nu. 96. Curtius de feud. part. 2. q. 7. Et ante illos Thomas Aquinas quodlubeto. 4. artic. 15.

Iudic. 1. Iudas Iſraelitici populi Dux fratrem ſuum Simonem virum fortem & ſtrenuum ad labores, & ad bellum aſſumpſit.

Idem fecit Iudas Machabæus.

3. reg. 4. Sapientiſsimus Rex Salomon Taphet & Achinam filiarum ſuarum maritos annonæ Regiæ præfecit.

Nehe. 7. Ezdras reſtitutæ vrbi & templo præpoſuit fratrem ſuum & Hananian qui erat verax, & timens Deum prætulit cæteris.

Iudic. 2. Sub bonis magiſtratibus & Iudicibus reſpubl. Iudæorum floruit, ſub malis afflicta fuit & miſera.

Iudic. 17. Cum non eſſet Rex, neque Dux in Iſraël, vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur hoc faciebat.

Non habere bonum magiſtratum reip. perniciosiſſimum eſt, Oſeæ 3. Mandoſ. ad reg. Cancell. 32. quæſt. 8.

Magiſtratuum integritas & cura diligentiaque regnum conſeruat hic, q. 59.

Magiſtratus virtutibus debiti, ne ad libidinum miniſtros deferantur. Heliogabalus Imperator impuriſſimum monſtrum, omnes lenones, vrbis præfectos facere deſtinârat. Zaſius ad l. 2. D. de orig. iur. ex Lampridio & alijs hiſtoricis.

Qui Alexandrum Seuerum prædicant, quod indignos

dignos magiſtratus quos Heliogabalus promouerat,à rep. abiecerit.

Daniel propter ſuam ſapientiam conſtitutus fuit à Rege magiſter, & præfectus ſuper omnes ſapientes, atque prouincias Babylonis. Interceſsit ergò pro ſocijs ſuis, vt etiam illi honorarentur. *Daniel.2.*

Singulis annis pecuniæ publicæ & adminiſtrationis ſuæ accuratam rationem reddant, in conſilio Pariſienſi conſtitutum eſt anno 1272. Iacobus Meierus lib.9. annalium Fland.

Omnes igitur munerum & curationum miniſtri certis legibus aſtricti ſint, & intelligant, ſecundum eas leges ſingulis annis rationem ſibi eſſe reddendam illis; quibus ea prouincia delegata fuerit.

Qui munere ſuo rectè perfuncti fuerint, honoribus augeantur, qui verò in officio deliquerint, & honore priuentur, & pœnam luant.

Excitat illorum induſtriam, ſi nôrint quod meritorum ſuorum ratio habebitur poſt mortem, qu. 61.

Magiſtratus ordine & gradatim conferantur, ne ſit neceſſe ei, qui rempub. capeſſit, ſtatim ſummis atque difficillimis muneribus implicari, ſed præfecti quidam alijs præfectis ſubiecti ſint, & ab aliquo rudimento reip. gerendæ ſe exerceant, oſtendantque an digni ſint, quibus maiora ordinatim committantur. Nemo repentè ſummis honoribus augeatur, ne ſe intemperantiùs gerat, inſolentiaque præceps à mente deficiat. Nec qui rebus grauioribus intenti eſſe debent, minoribus negotijs impediri cogantur.

Princeps ſuam auctoritatem tueri & retinere,

nec vltrà, quàm par eſt, Magiſtratibus concedere debet.

Nonnunquam tamen expedit, ex magiſtratuum conſilio de ſua ſententia diſcedere.

1 reg. 29. Achis Rex Philiſtinorum ad Dauidem exulem aiebat: Rectus tu quidem es, & bonus in conſpectu meo, ſed ſatrapis meis non places, reuertere ergò in pace, ne offendas oculos ſatraparum.

Heſter. 2. Aſſuerus quoque Rex cum Vaſti vxorem, ex publico decreto repudiatam, recepturus videretur, ceſſit magiſtratuum & conſiliariorum iudicio, qui ſalutem publicā regni, vnius fœminæ amori præferendam aſſerebant.

Si quos fortè magiſtratus aut miniſtros malos habet, quos propter potentiam vel fauorem populi offendere non auſit, declaret ſaltem mala eorū acta ſibi non placere.

2. reg. 3. & Sicut Dauid Ioab & fratres illius duros ſibi eſſe *3. reg. ca. 2.* cōquerebatur, & quod authoritate ſua abuterētur, ſed diſsimulare tunc oportuit, vindictam verò Salomoni filio commiſit.

2. reg. 16. & Et ab alio quodā Semei, Saulis miniſtro, indignā *3. reg. 2.* iniuriam tunc patienter tulit, ſed Salomoni illam quoque vltionem reliquit.

Flaminius conſul Romanus à Senatu reuocatus optimam rei benè gerendæ occaſionem videns, literas Senatus non aperuit, priuſquam hoſtes in fugam vertiſſet. Sed victori cum opimis ſpolijs populus Romanus non proceſsit obuiam, quòd reuocatus continuò non paruiſſet. Plutarch. Haud inutile ſtatutum erat, vt Magiſtratus ex omnibus præfecturis & prouincijs omnia notatu digna ad

Cæſa-

Cæſarem referrent, vt nihil ipſum lateret: Sicut Piſatus res Chriſti IESV ad Cæſarem perſcripſit. Niceph. l. . cap. 8.

Poſt finitum tempus 50. diebus in loco adminiſtrationis ſtare cogebantur, omnibus reſponſuri. Annonas è publico accipiebant, donec ſucceſſor amicè ſignificaret aduentum ſuum, & quod poſt biduum vellet adminiſtrare, tunc enim ſalarium ipſi debebatur. Authent. de adminiſtratoribus, collat. 7.

Magiſtratus qui benè pręſunt, Deo, Legi, principi grati ſunt, & diu in officio cõtinuantur. authẽt. de Mand. princip. §. vlt.

QVAESTIO LXVII.

Quis potiſſimum eſſet admiratione dignus?

RESPONSIO.

Qui etſi gloria, diuitijs, potentia excellat, æquã tamen mentem retinet: ſicut tu, Deo adiuuante, dignitate, opibus, & potentia exornatus æqualem te erga omnes ſeruas: ideoque omnes meritò te admirantur.

QVAESTIO LXVIII.

In quibus potiſſimum rebus verſari Reges debeant?

RESPONSI[O.]

In lectione, & in com[...] [...]egationum, quę extant per[...] [...]de percipitur v[...] [...]ablicam guber[...] [...] tu ò rex, Deo co[...] [...]n alijſque inacceſſi[...] [...]s.

[...] Principi hiſtoriarum, at[...] [...]cognitio, quæſt. 31. & 34. & lib.

& lib.2.officiorum ſcholaſticorum c.5.& libris academiarum comprobaui. Demetrius Phalerius idcirco Regi magna ex parte perſuaſiſſe videtur, vt libros compararet, de regno & gubernanda republica tractantes: quod ea de quibus amici non audent admonere principem, in libris ſcripta reperiantur: nec ab alio quoquã audiatur verum ſyncerius, & minori pudore, quàm à libris. Quocirca Alphonſus rex apud Panormitanum optimos conſiliarios eſſe ait, mortuos libros: quippe, à quibus ſine metu, ſine gratia, ſine adulatione veritatem diſcere licet. Et T. Liuij hiſtoriam diligenter lectitaſſe dicitur. Iſocrates quia reges, qui omnium maximè admonitoribus indigerent, nemo tamen admoneret, propterea ſe Nicocli certam benè viuendi normam literis comprehenſam tranſmittere ſcribit.

L.3.c.1. *L.1.c.16.*

Hinc eſt quod Moſes pręcepit: Rex deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque omnibus diebus vitæ ſuæ vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed me[illegible]ris in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias, [illegible]ia, quæ ſcripta ſunt in eo. Id quod Da[illegible]ofitetur: Lex tua meditatio me[illegible] ur libri ſacri reper[illegible] annales atque hiſt[illegible] nocte, cum obdorm[illegible] annales ſibi pręlegi cu[illegible] Principes, qui parum in[illegible]

Deut.17. *Ioſue 1.* *Pſal.118.* *2.paral.34.*

ctorum hominum familiaritatem quærant, vnde fiant & meliores & prudentiores.

De Dauidis & Salomonis ſcribis atque commẽtarijs ſcriptura ſacra teſtatur. Sub magno Duce & Principe Symone Machabæo cœpit populus Iſraël ſcribere in tabulis & geſtis publicis. *2.reg.20. & 3.reg.4. Carion. & alij chron. 1.Mach.14.*

In æneis tabulis illa ſcribebantur quæ erant magni momenti, vt fœdera cum alijs principibus & populis.

Alexander Seuerus Imperator à Lampridio prædicatur: Quod actibus publicis ante lucem ſæpè operam dederit.

Quod multis præſidijs opus eſſet Principi ad munus rectè obeundum quæſtio.40. & 52. dictum eſt.

Si ergo hominum qui nunc viuunt ſapientia & conſilio Principis animus neceſſario fulciendus eſt: multo certè eorum, qui diu antè vixerunt prudentia inſtruendus erit. Illi enim, quod magno ingenio & doctrina præditi, & antiquorum ſcriptis adiuti, multiſque rerum euentis edocti, & longo vſu vitæ confirmati erant, ea literis conſignârunt, quæ poſteris magnas vtilitates allaturas putabãt. Ideoq; de rerump. generibus, de populi totius regendi moderandique ſapientia, de artibus quibus Imperia pariuntur, conſeruantur, & amplificantur deque vitijs quibus impendentes reip. calamitates auerti & propulſari queant, pertractârunt.

Magna prudentia quæ principi neceſſaria eſt, ſine magno vſu non comparatur, vſus autem in tam breuis vitæ humanæ curriculo magnus eſſe non poteſt: ita fit, vt quamuis homo multis negotijs interſit, & ad ſummam ſenectutem perueniat, ſi nihil

aliud

nihil aliud nouit, quã quod ipſe vidit, atque tranſegit, ſemper adoleſcens & penè puer habendus erit. Hoc igitur quod vitæ breuitas negat, ac in conſiliariorum ſynceritate deſideratur, hiſtoriæ largiuntur illorum ſcriptorum, qui ex hac vita exceſſerunt, ideoque inuidia, odio, ambitione, adulatione, metu, alijſq; moribus amici carent, vt eorũ decreta & conſilia ſuſpecta eſſe non poſſint.

Quapropter Cicero hiſtoriam vocat teſtem tẽporum, veritatis lucem, vitam memoriæ, magiſtrã vitæ, nuntiam vetuſtatis.

Vide q. 41. Totius enim vetuſtatis memoriam replicat, infinita rerum memorabilium, exempla, caſuſque varios, & euentus ancipites exponit: Prudentum conſilia, fortiumque hominum præclara facta cõmemorat, temeritatis & amentiæ exitus infelices & diros enarrat: pleneque demonſtrat, quibus artibus Imperia à paruis initijs excitata, ad ſummum faſtigium peruenerint, quibus inſtitutis & legibus diu floruerint, quibus deinde vitijs paulatim lapſa ſint, atque tandem funditus euerſa corruerint: plurimaque læta & triſtia exempla aliorum principũ ſuppeditat: quorum admonitu, vitam & mores ſuos inſtituere queant. Nam variarum gentium, diuerſorumque ſeculorum res geſtas complectitur, totamque antiquitatis memoriam eruit.

Campofulgoſus Genuæ rerum potitus, cum ſeditioſis ciuium factionibus patria pelleretur, hiſtoriarum lectioni ſe totum dedit, & in hoc ſcribendi genere eam nauauit operam, vt exemplorum copia & ſtudio alios ſuperaret. Ita vt quod alijs calamitoſum eſſe ſolet exilium,

illi ad nominis gloriam plurimum contulerit.

QVAESTIO LXIX.

Quid agendum ſit in otio & animorum remiſſione?

RESPONSIO.

Contemplanda ſunt illa, quæ ſobriè, & rectè in mentem venire hominibus ſolent: eaque ob oculos ponenda, quæ honeſtè & moderatè in vita fiũt aguntur que, vt moderatè ſemper, & honeſtè, continenterque viuas. Nam in minimis ſæpe ineſt aliquid dignum quod ſeligatur. Tu autem quod vſu & experientia polleas, in perfectæ virtutis & ſapientiæ ſtudio verſaris, DEO adiuuante.

Si ea Principes expendere voluerint, quæ 15. & 39. quæſtione dicta ſunt, profectò otium ſuum rectè collocare poterint. Rectè veteres Scipionem laudauerunt, quod aſſereret: Nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum eſſet in otio. A grauioribus enim rebus vacuus, ſemper ſecum cogitabat aliquid, quod ad reipublicæ ſalutẽ dignitatemque pertineret: ac tempore pacis, cura ipſi erat de bello. Decet namque bonum & Chriſtianum Principem omnes cogitationes, omnes conatus, omniaque ſtudia ſua huc referre, vt creditas ſibi à DEO Prouincias ſic adminiſtret, vt Chriſto, rationem geſti magiſtratus exacturo probetur, & honeſtiſſimam ſui apud poſteros memoriam relinquat. Quando animum recreare libitum eſt, rebus id honeſtis fiat, quas aliis liceat imitari. Luſibus atque iocis liberalibus, hiſtoriarum lectione, aut doctorum hominum colloquijs. *Vide q. 0.*

QVAESTIO LXX.

Quomodo conuiuia tranſigenda ſint?

RESPONSIO.

Aſſumendi ſunt diſcendi cupidi, & qui regni negotia & ſubditorum mores atque vitam enarrare queant: quibus nihil ſuauius, neque iucundius inuenias: quoniam hi eruditione pulcherrimiſq; rebus inſtructi, Deo chari ſint. Quod tu facis, quare & Deus tibi cuncta fortunat.

Qui vocandi conuiuæ. Quàm vetus mos ſit, amicos interdum conuiuari, & epularis amicorum accubatio: ex omnium gentium hiſtorijs, & ex Abrahæ, Tobiæ, atque filiorum Iob conuiuijs apparet. Ipſeque mundi ſaluator Chriſtus, non modò nuptijs interfuiſſe legitur, verum etiam crebrò ad conuiuia vocatus iuit. Gregorius Nazianzenus ad Amphilochium ſcribens, quæ inter Baſilij epiſtolas 106. eſt: Dignare, inquit, holera nobis mittere, plurima & optima, etenim Magnum Baſilium hoſpitio excipiemus.

Conuiuium verò ex quatuor rebus M. Varro conſtare dicebat: ſi belli homines legerentur, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. Conuiuarumq; numerum incipere oportere addebat à numero Gratiarum, & progredi ad *Numerus conuiuarũ.* Muſarum: id eſt, proficiſci à tribus, ne pauciores ſint, & conſiſtere in nouem, ne plures: quod turba plerumque eſt turbulenta. Nec loquaces legi voluit conuiuas, nec mutos: quod eloquentia foro, *L.13.cap.11.* ſilentium cubiculo conueniret. Vt refert Gellius Repetit Eraſmus Chiliad.1.cent.3.adag.97.

Alexander quoque Seuerus Imperator, conuiuarum multitudine offendebatur, dicens ſe in theatro

atro & circo manducare: teſte Lampridio.

Iudæorum tamen & Aethiopum reges, triginta homines menſa communicant: vt annotat Alexander Sardus, de moribus gentium. *L.2.cap.11.*

Sed honeſta conuiuia honeſtè tranſigunto.

Tobias cum die Feſto conuiuium adornaſſet, vocauit aliquos de tribus ſua, timentes Deum. Et capite 9. cum timore domini nuptiarum conuiuiũ exercebant. Eccleſiaſticus etiam hortatur, Viri iuſti ſint tibi conuiuæ. Salomon in Prouerbijs. Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos illius: quoniam in ſimilitudinem harioli, & coniectoris, exiſtimat quod ignorat. Comede, & bibe dicet tibi, & mens eius eſt tecum. Cibos quos comederis, euomes, & perdes pulchros ſermones tuos. Noli eſſe in conuiuijs potatorum, & in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola, conſumentur, & veſtietur pānis dormitatio. Quod de his intelligit D. Hieronymus, qui detrahunt alijs, & de aliorum vitijs cum voluptate loquendo audiendoque inebriantur. De quibus Dauid: Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar, Superbo oculo & inſatiabili corde cum hoc nō edebam. Huc pertinet Epicteti præceptum enchiridij: Conuiuia cum extraneis reſpue, ſciens neceſſarium eſſe, qui cum inquinato conflictetur, ipſum inquinari. Si fortè cum ijs viuere oportet: cura, ne in vulgarem ſtatum defluas.

Tob.2. *Cap 9.* *Cap.23.* *Ad quos deundum vocatis.* *Pſal.100.* *Cap.41.*

Quò pertinet adagium: Boni ad bonorum conuiuia vltrò accedunt.

Sed cum illis viuere expedit, quorum vita & moribus recreemur, doceamurque, & quorum cō-

ſuetudo nobis voluptati & ornamento, atque vſui ſit. Vt hic eleganter Ptolomæo reſpondetur. De Opilio Macrino narrat Iulius Capitolinus, quod conuiuio adhibuerit literatos, & bonos viros, vt de ſtudijs liberalibus loquēs, alijs neceſſario abſtineret. Alexander Seuerus, authore Lampridio, cum inter ſuos conuiuaretur, Vlpianum, & doctos homines aſſumebat, vt haberet fabulas literatas, quibus ſe recreari dicebat & paſci. Habebat, cum priuatim cœnaret, librum in menſa, & legebat.

Ptolomæus Rex conuiuio ſuo hos ſapientiſſimos Iudæos aduocauit, atque iſtas quęſtiones percunctatus eſt. *L.1.c.16.* Alphonſus Rex apud Panormitanū profitetur T. Liuij hiſtoriam longè ſibi iucundiorem ſuauioremque eſſe, & doctorum virorum ſermones magis placere, quàm peritiſſimorum muſicorum harmoniam. Quod Carolus Magnus B. Auguſtini libros de ciuitate Dei in mēſa ſibi prælegi curârit, multorum hiſtorijs celebratur.

Preces ante & poſt conuiuium. Retulit Ariſtæas, Iudæis præceptum fuiſſe, vt ante cibum precarentur, & in menſa nihil fabularentur, quod Dei memoriā obliteraret. Idque Ieſſeos, & primos ex Iudæis Chriſtianos, cum ſumma grauitate, ſtantes, antequam diſcumberent, decenter ſublatis ad cælum oculis, & manibus, factitaſſe refert Philo, in Libro de Ieſſeis, vel de vita contēplatiua.

Non edebant Iudæi, priuſquam Samuel propheta benedixiſſet menſæ.

Omnibuſque Chriſtianis vſitatiſſimum fuiſſe, meritoque obſeruandum, vt tam ante, quàm poſt cibum, & ſub prandio, hymni atq; preces & ſacræ lectio-

lectiones adhiberentur, Clemens Alexandrinus libro 7. ſtromatum, Baſilius Magnus epiſtola 1. ad Nazianzenum. Euſebius lib. 9. præparationis Euãgelicæ c. 1. probant.

Quæ ad clericorum & monachorum conuiuia inprimis referenda ſunt: vt diſtinctione 44. & extra de vita & honeſtate clericorum docetur.

Ne longi temporis victum, hora vna conſumat præcepit Clemens V. Clement. 1. de cenſibus, & Benedictus 12. extrauaganti communi de cenſibus.

Veteres in paganiſmo Romani, & reliquæ gentes, in principio & in fine conuiuij, Ioui, Veſtæ, Mercurio, cæteriſque dijs vinum libabant: & ſublata menſa, manus abluebant, ad lyram cantantes: vt poſt alios authores Alexander Sardus de moribus gentium annotauit. Edentes celebrabant Deos, & hymnos canebant. Vbi accumbendum fuerit: Ne glorioſus appareas corã Rege, ait Salomõ, & in loco magnorum ne ſteteris: melius eſt enim, vt dicatur tibi, aſcende huc, quam vt humilieris coram Principe. Idem Chriſtus repetijt. *L. 1. c. 21. L. 3. c. 15. Locus & mores in menſa. Prouerb. 25 Luca 14.*

Libro Heſter docetur, quod Aſſuerus Rex maximum & ſplendidiſſimum conuiuium inſtruxerit, vbi præſtantiſſima vina, & excellentiſsimæ dapes apponebantur: nemo tamen ad edendum bibendumq; cogebatur. Similiter Ptolomæus rex hoſce 70. viros conuiuio excepturus, varia exquiſitiſsimorum ferculorum genera appoſuit, & ad hilariter viuendum adhortabatur, pro ſua tamen quemque valetudine agere permittebat. Diligentes, inquit Eccleſiaſticus, in vino noli prouocare, mul- *Heſt 1. Ebrietas ca uenda.*

tos enim exterminauit vinum. Quæ eſt vita, quæ
Eccleſ. minuitur vino? Quid defraudat vitam? mors.
Vinum in iucundum creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & corporis vinũ moderatè potatum. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Si coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. In conuiuio vini non arguas proximum, & non deſpicias eum in iucunditate illius.
Eccleſ.37 Et: Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad coleram. Propter crapulã multi perierũt, qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam. Et ante il-
Prouerb.23 lum Salomon: Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, mordet vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, cor tuum loquetur peruerſa, & eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo.
Enchyrid. c. 20. Eleganter præcipit Epictetus: In conuiuio ſi fercula ad te perueniunt, extenta manu modeſtè carpe: ſi tranſit qui fert, ne eum detine: ſi nondũ peruenit, ne procul appetitum extendas, ſed expecta, dum ad te veniat: eriſque aliquando dignus conuiuio Deorum. Si verò quæ appoſita fuerint, non capies, ſed contemnes: tunc non modo Deorum
Idem c. 42 & 51. conuiua, ſed collega eris. Quod ad corpus attinet, ad purum vſque vſum ſume: quod ad gulam aut delitias, planè circumſcribe. Rurſus: Si quando cũ aliquo conuiuaris, memento, ne ad eorum, quæ
appo-

appoſita ſunt, dignitatem aduerſus corpus aſpicias, ſed aduerſus animum quoque, qualem decet conuiuantem ſerua. Similiter Cato apud Ciceronem, in lib. de ſenectute: Epulabar cum ſodalibus omnino modicè. Neque enim ipſorum conuiuiorum delectationem, corporis voluptatibus magis quàm cœtu amicorum, & ſermonibus metiebar. Benè enim maiores noſtri accubationem epularẽ amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, cõuiuiũ nominârunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concænationem vocant: vt quod in eo genere minimum eſt, id maximè probare videantur. Ego verò propter ſermonis delectationem, tempeſtiuis colloquijs delector. Iſocrates quoque Dæmonicum admonebat, vt ante ebrietatem ex conuiuio ſurgeret: quod vino mens corrupta, idem quod currus auriga deſtitutus, pateretur, vt in infinita mala incurreret. Xenophon libro primo de pædia Cyri author eſt, quod ab Aſtyage auo ſuo ſplendidiſsima cœna exceptus Cyrus reſponderit: Quot negotia habes, caue, ſi tibi neceſſariũ eſt in omnia hæc fercula manus extendere, & deguſtare tam varias epulas. Cumque addidiſſet, per multas moleſtias atque varios errores ad ſaturitatem vix eos peruenire, quò ſimpliciter cœnantes citò & facilè perueniunt. Hi, inquit auus, errores nobis moleſti non ſunt. Cyrus vero moleſtos eſſe inde colligebat, quod pane veſcentes manus non detergerent: epulis autem fruentes, non modo in os ingerẽdo, ſed manus quoque tergendo abluendoque laborem ſubirent. Se igitur dare operam aiebat, ne vnquam ſatur eſſet: amiſſaque per laborem conſumeret.

Homilia 21 in Io. Beatus quoque Chryſoſtomus probat, ebrietatem & dubias cœnas, omnium morborum procreatrices eſſe: vilem verò, & ſimplicem, ſobriamq; menſam virtutis & valetudinis matrem exiſtere. Et ho. 2. de decollatione Ioannis, de annuo Herodis conuiuio loquens: Natalium veſtrorum ſolemnitas teneat in exultatione menſuram: epulis veſtris Chriſtus interſit: in facie prandeatur authoris, luxus abſit, fugetur voluptatum fomenta, ventris onera, ſaltatricum peſtis. Lætitia menſæ veſtræ pertingat ad pauperes. Vt hoc gaudium perueniat ad lętitiam ſempiternam. In c. Crapula, extra De vita & honeſtate clericorum, docetur: vt nemo ad bibendum incitetur: cum ebritas & mentis inducat exitium, & libidinis prouocet incentiuum.

Hinc de cauenda ebrietate, ac ingluuie, & ſacrę, & humanæ literæ grauiſſimis argumentis præceperunt. Eamq; omnes gentes, omneſque legumlatores ſeuerißimè prohibuerunt. Et hæc vti caueretur, veteres iucundos & honeſtos ſermones in conuiuijs aſpergebant, & oportunæ quæſtiones proponebantur, de quibus conuiuæ differerent: ſicut iam ante de Macrino, Alexan. Seuero, Ptolo- *Gellius l. 11 c. 14.* mæo, & Alphonſo enarraui. Romulus 1. Ro. Rex ad cęnam vocatus, non multum bibit, quod poſtri die negotium haberet. Alij dicebât: Romule, ſi iſthuc omnes homines faciant, viliusvinum ſit. Is reſpondit: Imo verò carum, ſi quantum quiſque volet, bibat: nam ego bibi quantum volui.

Plato paulò largiorem vini inuitationem, ſub quibuſdam quaſi arbitris & magiſtris conuiuiorũ ſobrijs, non improbauit, ſic enim animos refici, & errores concelatos vino detegi, & ad corrigendũ

fieri

fieri aptiores:modicique vini ſumptiones, plures vtilitates afferre aſſerebat, ebrietatē vero,quæ labefacere & minuere mentes hominum ſolet, improbabat.

De Arceſilao ſcribit Laërtius li.4. de vitis Philoſophorum,quòd rogatus,vt inter pocula de graui quadam re diſſereret, reſponderit: Philoſophum decet cuiuſque rei tempus ſcire. Geminius Romanorum ad Antonium legatus, in conuiuio admonitus,vt cauſam ſuā diceret: quæ tibi, reſpōdit,dicere miſſus ſum,cum ſobrio, ac alio tractanda erunt.

Varijs equidem artibus legatos tentari expertus ſum, vt legationis cauſa ante conſilium cognoſcatur:quo alterius Principis, ad quem emittūtur, conſiliarij deliberati ſtatim reſpondere queant. De Carolo quodam Virulo,Louanij in Lilio regēte, narrat Ludouicus Viues. libro 4. de tradendis diſciplinis:quod,ſi quando diſcipulorum parentes atque amici ad conuiuium venturi eſſent, ipſe prius aliquid de illa arte perquiſierit,quam futuri conuiuæ callerent: vt tam eos oblectaret, quam ipſe veram earum rerum cognitionem perciperet. Quod magnam illi authoritatem & prudentiam peperiſſe teſtatur.Haud pauci incredibilem variarum rerum cognitionis opinionem, auctoritatēque collegerunt,quod ad conuiuia profecturi pręmeditarentur,quę diei,loco,perſonis,& rebus apta,cum liberali voluptate & beneuolentia depromerent.

Athenis inter cæteros magiſtratus,qui domi rēpublicam curabant, ὀινόπ]αι erant, qui conuiuia

inſpicerent, conuiuiorumque arbitri, atque magiſtri habebantur: quod ex libro 4. Sigonij de republica Athenienſi, & Gellij lib. 15. cap. 2. percipitur.

Alex. Sard. l. 1. c. 21.

Lacedæmonij ad conuiuia ſua, tanquam ad diſciplinæ morumque ſcholam pueros adducebant, quę φειδίτια vocabantur; Cretenſes ἀνδρια & συσίτια appellabant, à Minoë Legiſlatorę inſtituta.

Crebrô temulentos homines in ea conuiuia immittebant, vt Iuuenes conſpecta ebrioſorum turpitudine, à temulentia abhorrerent. Primi Lacedęmonij cum baculis ad conuiuia publica ventitabant, ſed poſtquam Lycurgo Legumlatori baculo oculos eruiſſent, mos ille abrogatus fuit. Cōuiuia iſta publica Lycurgus inſtituerat, vt omnem è ciuitate luxum tolleret, Ideo diuites & inopes vni conuiuio adhibebantur, ijſdemque omnes epulis veſcebantur: ac ne lautorum quiſquam cænatus in publicum veniret, qui minus cupidè aut hilariter ſumeret illos cibos vulgares, vt parum frugi à proximè aſſidentibus obiurgabatur. Quo ſanè inſtituto omnis vetus è medio ſublata luxuria eſt. Quem conuiuandi ritum philias dixerunt, à publicæ amicitiæ & familiaritatis argumēto: frequētabantque iſta conuiuia pueri, velut temperantiæ omniſque ſapientiæ gymnaſium. Diſcebantque ibi aſſueſcere vrbanis ſermonibus, & comiter atq; ſine ſcurrilitate iocari.

Io. Bohem. l. 3. ca. 3.

Philo Iudæus libro de Ioſeph patriarcha conuiuium Ioſeph cum fratribus deſcribens: Tractatio, inquit, erat iuxta morem patriæ, quod durum videre-

videretur diſcedere à conſuetis moribus in conuio. Vbi maximè hilaritas perſpicitur, cibi non valdè lauti apponuntur, quod conuiuatori non libêret vti delitijs in publica penuria. Et hoc ipſum homines prudentes in laudem vertebant, vitari luxum intempeſtiuum & inuidioſum. Quod deerat ſupplebatur hoſpitali comitate, propinantibus fauſtis ominationibus, ad hilaritatem hortationibus, & id genus iucũdis alloquijs, quæ ingenuis & liberaliter educatis gratiora ſunt, quã cibi, potuſque lætitiæ.

Scitum eſt hoc:

Si dat oluſcula
Menſa minuſcula,
Pace referta:
Ne pete grandia,
Lautaq; prandia,
Lite repleta.

Samuel optimam partem bouis reſeruabat Sauli: & poſuit eum ſupremo loco. *1.reg.9.*

Nemoque ad conuiuium Regis veniebat, niſi vocatus.

Helias Propheta bis in die à Deo, per coruum paſcebatur carnibus, & aqua. *3.reg.17.*

Mneſtheus apud Gellium aſſeuerat: vinum nigrum efficere vires, album vrinam, nouum refrigerare, vetus calefacere. *L.3.ca.vlt.*

Antoninus Geta iuxta literas & alphabetum in conuiuio fercula apponebat. *Spart. in vita.*

A Romanis ſumptum eſſe ait Polydorus Virgilius, vt Eccleſiaſtici & ſeculares diebus feſtis conuiuia non ternis aut ſenis ferculis, ſed vicenis quã

Digitized by Google

doq; præbeant amicis. Nec cenſeatur eſſe celebritas, niſi ſit opiparo comitata conuiuio. Vbi etiam ex vetuſtiſsimo more ſacerdotes quando primum ſacrum celebrant, conuiuium exhibere aſſerit, eundemque diem non minus religioſe quam ſuum natalem colere. Qui Natalis ſacrorum appelletur.

Plinius hiſtoriæ lib. 21. *Polydor. l 2.c.17.* Antiquiſsimus etiam mos eſt, quod principes cibum potumque (veneni vitandi cauſa) prægustari curant. Etſi non oportet eos hac in re nimiū fidere. Nam ex Plinio refert Polydorus: Quod M. Antonius metu Cleopatræ non niſi prægustatos cibos ſumpſerit. Illa verò coronæ ſuæ extremos flores veneno infecerit: quos cum hilarior factus Antonius decerpſiſſet, & coronas habitus in ſcyphū miſiſſet, illa manu obiecta bibere prohibuit, dicens: En ego ſum illa, chare Antoni, quam in noua prægustantium diligentia caues, adeo mihi, ſi poſſem ſine te viuere, occaſio & ratio nocendi adeſt. Inde eductum è custodia, vinctū bibere iuſsit, qui ſumpto potu ilicò expirauit.

2.reg.13. Ammō primogenitus Dauidis ab Abſolone inuitatus, non putabat amplius periculum ſubeſſe, quod Abſolonis ſororem conſtupraſſet, ſed in iſto *3.reg.* conuiuio trucidatus fuit. Et Propheta ab alio propheta inuitatus, contra Dei præceptum, ibi edebat, ſed Deo vindice à leone percutitur.

Emblematibus acerbiſque iocis in conuiuio certare malum ſæpè exitum habuit. Sicut Sampſo-*Iudic. 14. & 15.* nis exemplum declarat.

Iob pro liberis ſuis cōuiuantibus offerebat holocauſta, ſi forte alicubi oberraſſent, aut Deum offendiſſent.

Aegypti

Aegypti ſublata menſa mortui hominis imaginem circumferebant, & ſingulis accumbentibus dicebatur:In hunc intuens,pota, & epulare, talis poſt mortem futurus es. *Io. Bohem. l.1.cap. 5 de ritibus gentium.*

Quod Aegypti literis conſignârint,quæ memoratu digna in Regijs negotijs & conuiuijs agebantur,aſſerit Ariſtæus in ſua hiſtoria.

Varijs formis & ijs diuerſis de cauſis olim conuiuia celebrauerunt, quæ hactenus apud omnes ferè gentes frequentantur.

Quando ſponſalia contraxerant, conuiuiũ inſtruebatur,de famulo Abrahami Paranympho. *Geneſ. 24.*

Iacob patriarcha cum amicorum turbis conuiuium & nuptias celebrauit. *Geneſ.29.*

Sampſon per ſeptem dies nuptias tranſegit. *Iudic.14.*

Raguel filiæ ſuæ Saræ & Tobiæ conuiuium parabat poſt contracta ſponſalia. *Tob.7.8.9.*

Cumque in domum ſenioris Tobiæ introduceretur Sara,amici & propinqui per ſeptem dies nuptias & conuiuia peragebant. *Tob.11.*

Conuiuia in nuptijs & in Doctoratu non ſunt de ſubſtantia l.ſi donationum, & ibi Bald. & alij C. de Nup.

Celebrabant quoque conuiuia quando oues tõdebantur.Nabal diues & armentoſus vir, cũ oues tonderet,ſuis vicinis,amicis,& miniſtris conuiuiũ regium inſtruxerat:Dauidi autem exuli,& optimè de ſe atque ſuis merito,exiguum munus,humaniſſimis verbis petenti,ſuperbè & petulanter denegabat:quod illi exitium attulit. *1.reg.25.*

Abſolon filius Dauidis, cum tonderentur oues ſuæ,patrem& omnes filios regios vocauit ad conuiuium: Dauid ſe excuſabat,& ne Abſolon nimio

ſumptu

ſumptu ſe grauaret, ſi omnes fratres vocarentur, dehortatus eſt.

Neſciebat autem, quod non ex amore, ſed ex cupiditate vindictæ hoc regium conuiuium Abſalō adornauerat, vt per hanc occaſionem Ammon fratrem ſuum, vino obrutum, & incogitantem trucidaret. Moleſtiſsimè enim tulerat Abſolon, quod Ammon ſorori Abſolonis Thamar vim attuliſſet. Ex quo inceſtu, & fratricidio plurima incommoda ſecuta fuerunt.

2.reg.13.

In VVeſtphalia mos eſt, vt poſt meſſem, collectaſque fruges, ſuis colonis & miniſtris conuiuiū præbeant, Harkemey vocatur.

Hoſpites etiam, & peregrini, aduenienteſque amici, conuiuio excipiebantur. Sicut Loth angelos Dei excepit.

Geneſ.19.

Bathuel miniſtrum Abrahami Geneſ.24.

Laban Iacobum Patriarcham Geneſ.29.

Ioſeph Iacobi filius fratres ſuos Geneſ.43.

Raguel Tobiam & Angelum Tob.7.

Indic.9. Leuita cum ſua vxore recipitur hoſpitio.

Propheta prophetam extraneum inuitabat, Sicut Docti doctos, Prælati alios prælatos inuitare ſolent.

2.reg.13.

Iob.1. Filij quoque & filię Iob per vices conuiuia mutua agitabant.

Ioſeph fratres ſuos conuiuio excepit, & ſinguli ſedebant iuxta primogenituram atque ætatem ſuam, miſitque ſingulis partem, Beniamin iuniori maiorem, biberuntque, & ebriati ſunt vino.

Geneſ.43.

Tobiæ 11. Quādo amicis læta euenerant, vel etiam triſtia, à propinquis viſitabantur, gaudij vel conſolationis ergo.

Affere-

Afferebantque ſecum munera. *Iob 2. &*

Aaron & Seniores Iſraëlis venerunt ad Moſen, *vlt.*
vt aduentum Soceri & vxoris, atque filiorum gratularentur illi. *Exod. 18.*

Reges & Principes magiſtratibus & miniſtris ſuis conuiuia præparabant.

Aſſuerus Rex per ſeptem dies conuiuium regiũ protraxit, & non tantùm Principes, Satrapas, atq; magiſtratus, ſed ciues omnes in Suſis inuitauerat: ipſaque regina fœminas conuocarât, ſed cum ipſa Regina ad Regis conuiuium euocata venire nollet, Decreto Regni depoſita fuit. *Heſt. 1.*

Balthaſar rex grande fecit conuiuium Principibus & ſatrapis ſuis. *Daniel 5.*

Dauid Rex cum reduxiſſet arcam fœderis, omnibus qui eum ſecuti erant in iubilo, dedit placẽtam. *1. reg. 6.*

In feſto Pentecoſtes cum amicis epulari ſolebant. *Tob. 2.*

Poſt reſtitutum templum, reſuſcitatamque legẽ Moſaicam, egregiè epulati fuerunt Iudæi. *3. Eſd. vlt.*

Vt conuiuia inſtruantur rara & honeſta docet. Iuuenalis ſatyra 11. & Horat. lib. 1. epiſtol. 15.

Ingratos ante omnia pone ſodales.
Ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet: vt coeat par,
Iungaturq; pari.

Perſius ſatyra 2. monet: vt alter alterius moribus aliquid hic concedat, & ſeſe aliorum moribus conformet.

Quomodo conuiuia celebrari deberent, ſpiritus ſanctus verbo & exemplo demonſtrauit.

Tobias

Tob 2 & 9 Tobias ad ſua cõuiuia vocauit homines de tribu ſua, timentes Deum, & in timore Domini epulabantur, nec propter conuiuium ſepulturã mortuorum negligebat.

Geneſ.43. Aegyptij profanum conuiuium arbitrabantur, ſi cum Hebræis comederent.

In conuiuio Aſſueri omnia erant Regia & ſplédidiſsima, ſed vnuſquiſque relinquebatur voluntati ſuæ, non cogebatur ad bibendum. Sicut in cõ-

Heſt.1. uiuio Balthaſaris omnes bibebant pro ſua ætate,

Daniel.5. ſed quod Rex Dei gloriæ oblitus, præ vino, aurea & argenta vaſa templi Hieroſolymitani profanaſſet, à Deo punitur.

L 12.c.2. Ptolomæus Rex 72. ſacræ ſcripturæ Interpretes in ſuo conuiuio cibis conſuetis vti maluit, propter eorum valetudinem conſeruandam, teſte Ioſepho.

De ciuilitate morum in menſa, & de victu ſalubri, alij ex profeſſo diſſeruerunt. Id ſolùm hic annotabo, quod de leporum eſu ſcribit in Alexandro Seuero Lampridius: vulgo creditum, ſeptẽ diebus formoſos lepidoſque fieri, qui leporem ediſſent. Vnde Poëta quidam de Alexandro Imperatore.

Pulchrum quod vides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus fecit, & lepus comeſus,
Ex quo continuum capit leporem.

Idem indicat Martialis epigramma in deformem.

Cum leporem mittis, ſemper mihi Gallia mandas,

Septem formoſus Marce diebus eris,
Si verum dicis, ſi verum Gallia mandas,
Edisti nunquam Gallia tu leporem.

Porro ne pauperes negligantur ſcriptura ſacra mandauit.

Nam poſt prælectam Iudæis legẽ Dei, dixit Nehemias: Ite, comedite pinguia, bibite mulſum, & mittite partem his, qui non præparauerunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt. Et Chriſtus verbo præcepit minimè negligendos pauperes, qui iterũ inuitare non poſſunt: & exemplo Diuitis epulonis & Lazari mendici docuit.

Inter pocula arduis de rebus diſputare & loqui non placuit: ſed vt Varro, & poſt illum Athenæus docuerunt, ea ſunt in conuiuijs tractanda, quæ hilaritatem in ſe habent, & ad ciuilem vitæ vſum pertinent: Quales conuiuas inducunt Plato, Macrobius, Athenæus. *Gellius l. 1. c. 2.*

Quærebant Athenis ſtudioſi non grauia, nec reuerenda, ſed lepida, & minuta, florentemque vino animum laceſſentia. *Gellius l. 6. c. 13.*

Ad menſam Phauorini in conuiuio familiari legebatur aut vetus carmen Melici Poëtæ, aut hiſtoria græcæ vel latinæ linguæ. Vnde colloquij & facetiarum exordium ducebatur. Et ſinguli ne aſymboli venirent, coniectabant aliquid ad cœnã, de quo facetè loquerentur. *Gellius l. 2. c. 22. L. 6. c. 13.*

Cum cibus appoſitus eſſet ſeruus aſſiſtens menſæ, legere inceptabat. *L. 3. ca vlt.*

Ditiores

Lib.19.c 9. Ditiores adoleſcentes amicis & magiſtris in Natali ſuo, cænam dabant. In qua vbi edulijs poculiſque, & mox ſermonibus finis fuit, exhibebantur
L.13.c.11. pueri, puellæque, qui canerent, & pſallerent. Habendi ergo ſermones ſunt iucundi, inuitabileſque & cum quadam illecebra ac voluptate vtiles, ex quibus ingenium venuſtius fiat, & amœnius.

QVAESTIO LXXI.

Vtrum expediat priuatum aliquem Regem conſtituere, an ex regia ſtirpe procreatum?

RESPONSIO.

Hoc ſemper eſt eligendum, quod eſt naturæ gratum exoptatumque. Ex regibus electi in gubernationem regni, aduerſus ſubditos inclementes & duri ſolent exiſtere: ex priuatis etiam nonnulli & alia mala & paupertatem experti, quādo ad imperia populorum prouehuntur, intolerabiliores etiam impijs tyrannis extiterunt. Sed bona indoles ingenij, & natura proba, humanitatiſque cultu exornata idonea eſt ad imperandū. Quemadmodū tu rex magnus es, qui non tam dignitate Imperij & opibus alijs præſtas, quàm æquitate humanitateque alios omnes homines ſuperas. Deo tibi iſta clementer ſuggerente.

Priſci non tam ad Principum progeniem adferebant regna, quàm ad homines meliores, & benè de humano genere meritos: quos tandem ſi vtiliter regnaſſent, in numerum Deorum referebant.

Adrianus Imperator, apud Dionem, de ſucceſſore, ad P.C. Filiū, ait, genuerim an elegerim multum intereſt: genitus filius is erit, quem fata voluerint,

erint,adoptatum quiſque ſibi pro voluntate aſſumit.Quare plerunque per naturam ſtulti atq; mutilati filij dantur:qui eliguntur, integro ſunt corpore,& mente ſana.

M.Cicero profitetur, omnes gentes regna ad homines iuſtiſſimos & ſapientiſſimos detuliſſe: quodque bonum Imperatorem aliquando paruiſſe oporteat. Vt in nauigijs non præficitur, qui genere & opibus antecellit, ſed qui peritia, diligentia, fide cæteris anteſtat. *Lib.3.de legibus.*

Alexander Magnus ante mortem ab amicis interrogatus, quemnam poſt ſe principē creari vellet,reſpondit:Optimum:cum fratrem & filium,& vxorem grauidam relinqueret. *Vincent. li 9.c.65.*

Tacitus Imperator in Senatu adiuratus fuit, vt cum mori cœpiſſet,non liberos ſuos, verùm optimum aliquem principem faceret:Vopiſcus in Floriano.

Alphonſus Aragonum Rex ad eum,qui à nobilitate generis ipſum commendabat,quod Regis filius,regis nepos,regis frater eſſet, reſpondit: Laudem illam non ſuam, ſed maiorum ſuorum eſſe, qui iuſtitia,moderatione,& animi excellentia,atque virtutibus ſibi regnum comparaſſent: ſucceſſoribus oneri regna cedere,& ita demum honori, ſi virtute potius, quàm teſtamento illa ſuſcipiant. *Panor. l. 2. c.29.*

Aeneas Syluius de Alphōſo rege:Eſſent,inquit, ferè Principes meliores, ſi reges electio faceret, non ſucceſſio. *Ad Panor. l.4.c.21.*

Vbi verò non eligitur optimorum ſuffragijs,ſed naſcitur Princeps, ibi accuratam curam adhibere oportet,vt rectè à teneris inſtituatur. Tantoq; iu-

dicio eligendus, qui inſtituat, quàm ſi ipſe Princeps deligendus fuiſſet. Qui & bona quæ in puero ſunt reddat meliora, praua verò corrigat. Quod libris officiorum ſcholaſticorum ex profeſſo edisſerui.

L.1.c.2.& 30. & l. 2. c.4.

Neapolit. deciſ.1.

Thomas Grammaticus eligendum ait Principem, qui fide rectus, vita conſtans, gubernatione dignus ſit, vt prudenter regnum adminiſtrare queat: vtque maior ſalutis publicæ, quàm electi vtilitatis ratio habeatur.

Qualis eligendis.

In eligendis Principibus, alij magnitudinem corporis, alij velocitatem, alij externam pulchritudinem conſiderauerunt, aut vires, atque robur.

Chriſtiani Principes pietate, iuſtitia, temperantia, ſapientiaque & reliquis virtutibus excellere conuenit.

Senatus Romanus Tacitum electum Imperatorem apud Vopiſcum ſic affatur: Quis melius quàm grauis imperat? quis melius quàm literatus imperat? quis melius quàm ſenex imperat? Scis quemadmodum debeas imperare, qui alios principes pertuliſti: & de alijs principibus iudicaſti. Cumque Tacitus per ætatem, imbecillitatemque ſeſe excuſaret, reſponderunt: Et Adrianus ſenex ad Imperiū venit. Et Antoninus ſenex ad Imperium venit. Imperatorem te, non militem facimus. Animum tuum, non corpus elegimus. Caput, non pedes imperant.

Dij auertant Principes pueros, & patres patriæ dici impuberes, & quibus ad ſubſcribendum magiſtri literarij manus teneant, quos ad conſulatus dandos, dulcia, & circuli, & quæcunque voluptas

pucrilis

puerilis inuitet Quæ malum ratio eſt, habere Imperatorem, qui famam curare non nôrit? qui quid ſit reſpublica neſciat? nutritorem timeat, reſpiciat ad nutricem, magnorum magiſtralium ictibus, terrorique ſubiaceat? Faciat eos conſules, duces, iudices, quorum vitam, merita, ætates, familias, geſta non nôrit. Hinc eſt, quod vulgò fertur: VAE TERRAE, VBI REX PVER EST.

Nec tamen ita ſenex eligendus eſt, qui rempublicam gubernare nequeat, aut delirare atque repueraſcere incipiat. Crebrò nouos Principes accipere, toti reipublicæ detrimentoſum eſt. *Senex qualis.*

Quæratur ergo qui præſtantior, & diu benè gubernaturus apparet: quod Lycon conſulit, apud Laërtium in deligendo gymnaſiarcho.

Vt valetudinis quoque, & ætatis, atque prudentiæ ratio habeatur. Nam ætate iuuenes, multos ſenes in adminiſtranda republicæ ſuperauerunt.

Ideoque Ciceroni quinta Philippica indignum videtur, per annales leges, adoleſcentes graues & eximios à magiſtratu prohiberi: cum multi admodum adoleſcentes Conſules facti, tantas res geſſerint, vt populi Romani Imperium augerent, nomen ornarent: & Alexander Magnus 33. ætatis anno mortem obierit: plurimique egregij adoleſcentes ante iſtam ætatem, qui reipublicæ prodeſſe potuiſſent, extinguantur. Sic multi Reges & Principes iuuenes, cum regnare cœpiſſent, omniũ opinionem ſuperauerunt. Et Paulus Apoſtolus ad Timotheum ſcribit: Adoleſcentiam tuam nemo contemnat. Sacris tamen canonibus certum tempus præſcribitur, antequam ad dignitates eccleſia- *1.T.4.*

ſticas viri vel fœminę promoueantur: vt ſe tenere poſſint,,& moderari, ne per adoleſcentiæ temeritatem affectibus abripiantur, aut honoribus elati intemperantes, ſuperbi,& crudeles euadāt. Adrianus Imperator apud Dionem de Antonino ait: Inueni vobis Imperatorem, qui nobis ſuccedat: generoſum, mitem, manſuetum, miſericordem, atq; prudentem, & qui neque temerarium quiddam propter iuuentutem, neque per ſenectutem negligenter aut timidè facere poterit. Sub legibus educatum,& qui iuxta mores patriæ princeps reipublicæ,& dux exercitus fuit: & nihil eorum ignorat, quæ ad imperium pertineant.

Diues. Baliſta apud Spartianum in Macriano, maximè ait ad Imperium pertinere, vt ſit imperator diues. Ne muneribus corrumpatur, aut rempub. grauet, & vt improbos coërcere poſſit, & ab hoſtibus ciues defendere. Idem in Epiſcoporum electione conſiderandum monet concilium Nicenum, c.43. iuxta Alphonſi Piſani editionem.

Quàm neceſſaria Principibus eſſet ſapientia, & eruditio, lib.2. officiorum ſcholaſticorum c.5.&q. 31.& 34. declaraui.

ed.3. de ſortilegijs 26. q.2. Ne per ſortes princeps creetur, prohibet in Libro de creatione principis Philo: quod nec ab ægrotis ſorte capiantur medici, ſed eligatur expertiſſimus quiſque, nec nauclerus ſorte puppim aſcendat, ſed quæratur aliquis, qui gubernandi arté à iuuentute didicerit. Egeſippus quoque author eſt, quod per iſtam rationem ineptiſſimi ſæpè ad maximos honores, & ſummos magiſtratus conſcenderint. Vbi & inter præcipuas cauſas miſeriæ & excidij Iudæorum recenſet, quod Sacerdo- *L.4.c.6. de excidio Hieroſol.*

tia,

tia, atque Pontificatus Maximus ad homines ineptos, & indoctos, atque auaros deferretur.

Plurimum certè detrimenti eccleſia Catholica cepit, quod in Epiſcoporum & prælatorum electionibus, ſacri canones non purè obſeruarentur.

Vt ſummoperè neceſſarium ſit, aureum Pij II. verbum reſuſcitare: Dignitatibus homines dandi ſunt, non hominibus dignitates. Et quæ Paulus ad Thimotheum, & Titum de Officio atq; electione Epiſcoporum præcepit.

De nobilitate generis, quatenus ea in electionibus conſideranda eſſet, multi ſapientiſſimi viri ex profeſſo diſſeruerunt. *Nobilitas generis.*

Nobilitatique generis plurimum omnes ferè gentes meritò detulerunt.

Sed poſtquam apud veteres Romanos multi à vera nobilitate Maiorum degenerabant, & peſſimis moribus præditi, maximiſque ſceleribus inſignes, eo ſolũ nomine, quod ex nobili familia proueniſſent, ſibi potiſſimum omnes magiſtratus deberi putabant, & plebeos, tanquam homines nouos, & omni magiſtratu indignos contemnebant, hoc multi grauiſſimi ſcriptores reprehenderunt.

Horatius enim Flaccus cecinit: *L. 1. ſer. ſatyra 6.*

Non quia Mecænas Lydorum quicquid Hetruſcos,
Incoluit fines nemo generoſior eſt te:
Nec quod auus tibi maternus fuit, atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitârint,

(Vt pleriq; ſolent) naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, vt me libertino patre natum
Cum referre negas, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus: perſuades hoc tibi verè,
Ante poteſtatem Tulli atque ignobile regnum,
Multos ſæpe viros nullis maioribus ortos,
Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos.

Similiter Iuuenalis Satyra 8 ad Ponticum.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri? pictoſq; oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Aemilianos?
Quis fructus, generis tabula iactare capaci
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,
Si coram lepidis male viuitur? effigies quo
Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox?
Ante Numantinos ſi dormire incipis ortus
Luciferi, quo ſigna duces & caſtra mouebant?
Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius Lare, ſi cupidus, ſi
Vanus, & Euganea quantumuis mollior agna?
Si tenerum attritus Catinenſi pumice lumbum
Squalentes traducit auos? emptorq; veneni
Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent vndiq; cera
Atria, NOBILITAS SOLA EST ATQVE VNICA VIRTVS.
Prima mihi debes animi bona, ſanctus haberi,
Iuſtitiaq; tenax factis dictiſq; mereris,
Agnoſco procerem.

Marcus Cicero in oratione pro lege Agraria: Eum, inquit, locum, quem nobilitas præſidijs firmatum, atque omni ratione obuallatum tenebat, me duce reſcidiſtis, virtutique in poſterum patere voluiſtis.

Et pro L. Muræna: Cum ego tanto interuallo clauſtra iſta nobilitatis refregiſſem, vt aditus ad conſulatum poſthac, (ſicut apud Maiores noſtros fuit,) non magis nobilitati, quàm virtuti pateret, non arbitrabar de generis nouitate accuſatores eſſe dicturos, &c.

Genus deductum ab illuſtribus Maioribus, ignominioſis factis dehoneſtare, probrum eſt turpiſſimum. Philo de patriarcha Ioſeph.

Etſi verò Martinus Cromerus in oratione de tuenda dignitate ſacerdotali illas conſtitutiones, per quas plebæi à primarijs eccleſijs prohibentur, nouas & virtuti viam præcludentes, verboque Dei contrarias appellet: mihi tamē grauiſſimis de cauſis illæ introductæ videntur, neque facilè his turbulentis & periculoſiſſimis temporibus mutādas credo.

Dummodo nobilitas generis cum vera catholica religione, cum iuſtitia, cum modeſtia, cum tēperantia, cæteriſque virtutibus Maiorum coniuncta ſit.

Alioqui certè, malum ingenium magnam poteſtatem adeptum, magnum eſt reipub. malum, & magnas ferè calamitates efficit.

In primis conſiderandum, ne Eupolis apud Atheneum de Athenienſibus querela locum accipiat.

Quos ante hac nemo vraſi i conuiuio ;

Quiſquam tuliſſet, nunc videmus ſcilicet,
Belli duces, ô ciuitas, ô ciuitas,
Fortuna vt es feliciore quàm ſapis.

Et quod Iſocrates in oratione de pace queritur, Athenienſes ab eorum conſilio dependere ſolitos, quos omnes ſapientes aſpernabantur, & his eorum ciuitatem tradere, quibus nemo priuatim quicquam credere auderet.

Populus ne eligat. Si autem populo detur principem per ſuffragia creandi poteſtas: Is, teſte Horatio, ſtultus honores

L. 1 ſerm. ſatyr. 6.
Sæpè dat indignis, & famæ ſeruit ineptus,
Qui ſtupet in titulis & imaginibus.

Cumque alij ex populo diuitias, alij nobilitatē, alij eloquentiam, alij comitatem, aut ſimile quid *L. 3. de ſacerdotio.* conſiderent: difficulter vnum omnibus ſuffragijs eſſent electuri, vt rectè monet Chryſoſtomus.

Propterea certi electores conſtituti ſunt, in quibus poſitum eſt, vtrum conſeruare rempublicam, *Vide Dicastum q. 1. nu. 4.* an perdere velint. Qui, ſi viri boni ſunt, & tam ſuæ quàm totius patriæ ſaluti conſulere cupiunt, id in eligendo conſiderare debent, quod in adminiſtrādo electum ſpectare oportet: vt publica vtilitas omnibus rebus præponatur. Et quo minus integrū eſt mutare ſemel electum, eo circumſpectius eligendus erit, ne diutiſſimè vnius horæ temeritas excruciet. Qui enim fauore aut muneribus corrupti, indignos aut malos Principes eligant, grauiſſimè in officio delinquunt, & omnium ſcelerū quę electi deſignant, rei iudicantur, vt Chryſoſtomus libro 4. de ſacerdotio, & homilia 3. in acta Apoſtolorum & Baſilius epiſtola 76. Et Gregorius lib.

lib.8.epiſtola 23.probant. Quia Sichemitæ, repudiatis Gedeonis legitimis filijs, ſpurium illum & crudelem Abimelech, Regem ſuum creârant, propterea quod cognatus ipſorum atque ciuis eſſet, nulla virtutis, atque reipublicæ, vel iuris, ratione habita: iuſto Dei iudicio, grauiſſimum tyrannum experti ſunt, qui ipſos acerbiſſima morte, & diris cruciatibus interemit: ciuitatē & turrim ſic euertit, vt locum ſale conſpergeret. Hoc cæteri electores pro exemplo capiant, & conſiderent, omnia diligenter, ingenium, indolem, mores, anteactam vitam. Quidam enim ficta probitate, viam ſibi ad potentiam atque magiſtratus muniunt, faciuntque multa, quæ boni ſolent, & eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciant. Sed cum eſſe cœperint voti ſui compotes, tunc demum, ſimulatione depoſita mores ſuos detegunt, rapiunt omnia, perdunt, & vexant: eoſque ipſos bonos, quos prius defenderant, & per quos electi fuère perſequuntur. Quæ Lactantij querela, huic noſtro ſeculo nimis verè conuenit: *Iudic. 9.* *L. 6. c. 6.*

Quando aliqui egregiam indolem, maximam pietatem, ac modeſtiam ſimulant, & vt vulgò aiūt, claues quæritant: ſed vbi ad concupitos magiſtratus peruenerint, longè alij mores in ipſis præter omnium expectationem apparent. Memorabilis Chryſoſtomi vox eſt: principium mali fuit, quia multi, ex præſulibus dormitantes, prauos, & hæreſim occultantes viros ad gubernacula eccleſiarū promouerunt, qua ex re tanta facultas diabolo data eſt, vt iam illis in medio prælatis multò minus laboret. *Homilia 47. in Mat*

Si fortè ab ægrotis principibus rogentur ele-

ctores vt filios aut cognatos ipſorum eligant, M. Falconij ad Tacitum Imperatorem oratione, apud Vopiſcum reſpondere poterint: Ne ſic rempublicam, populumque vt villam tuam, vt colonos tuos vt ſeruos relinquas. Ingens eſt gloria morientis principis, rempublicam magis amare, quàm filios.

Populus inuitus fert externum Imperium: & externi principes rarò placent. Quantumuis benè imperent, commodeque gubernent: tamen quia moribus & ingenio differunt, nec populo ita ſe accommodare nôrunt, ſicut indigenæ, faciles oriuntur diſſenſionum occaſiones.

Libenterque omnes populi ab indigenis gubernantur. Præſens Imperium vulgo ſemper fermè graue videtur: & optant aliud, & prædicant præteritum, quod antè reprehendebant.

Principum bonis initijs non eſſe nimium fidendum, quod facile degenerent, exemplis affirmat Richterus axiomate politico 64. Magiſtratus virum demonſtrat. Idem axiomate 235.

Sed vtrum expediat Principem naſci, aut eligi: vel ſatiúſne ſit habere Principem ex ſucceſſione, an ex electione, multa paſſim à grauiſſimis viris de hac materia, in vtramque partem ediſſerta reperiuntur, quæ hanc quæſtionem ancipitem reddunt. Nam ille mos eligendi Principes, multas commoditates videtur habere: Per illum enim ſit,
1 vt talis habeatur Princeps, qualem optare poſſumus.

Filij à natura optimorum parentum ſæpe alieniſſimi naſcuntur, aut praua inſtitutione, & conſuetu-

ſuetudine corrumpuntur. Si ergo talem principem habere oportet, reſpubl. miſera & infelix eſſet futura: at ſi liberum fuerit populis eligere quem velint, idoneum & vtilem aſſumere licebit.

Deinde cum principes non fiunt, ſed naſcuntur, 2
ſæpenumerò fit, vt homines virtute & ſapientia præcellentes principis furioſi, & inſani patiantur amentiam, & reſpubl. affligatur.

Indignum verò eſt, vt mali bonis imperent, timidi fortibus, temerarij ſapientibus.

Adhæc, inuitis imperare tyrannicũ potius, quã 3
Regium eſt, & ſeruitutis ſpeciem habet, ſi alicuius
Imperium velint nolint ſequi cogantur. Præterea 4
is qui propter virtutem eligitur, benignius atque humanius populum tractare ſolet. Tum quod priſtinæ vitæ recordatio illum admonet, eis benignè facere, cum quibus fuit æquabili Iure coniunctus, tum etiam quòd populo gratiam referendam exiſtimat, per quem eſt in illo honoris faſtigio collocatus. At is qui nunquam inopiam, labores, quibus reliqui homines affictantur, expertus eſt, non tam facile humanitatem cæteris hominibus exhibebit. Nihil enim eſt quod magis homines ad benignitatem & miſericordiam inuitet, quam humanam miſeriam experiri. Quod indicat etiam Dido apud Virgilium:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Verè etiam ſapientes homines ſtatuerunt: Ne- 5
minem poſſe alijs imperare, qui nõ antè paruerit, qui leges non obſeruârit, magiſtratui non obedierit, pudorem & officium non coluerit. Illa enim

praua

praua inſtitutio qua principum filij corrumpi ſolent, hominum priuatorum filijs rarò adhibetur. Inter Perſarum Monarchas duo tantum, ex Platonis ſententia, verè Magni Reges fuerunt: Cyrus, & Darius Hiſtaſpis filius, quod cum eorum neuter eſſet magni Regis filius, fuerint ſub legibus & diſciplina liberali, cum reliquis ingenuis pueris, educati. Cum ergo plerunque reliqui homines honeſtius educentur, & diligentius inſtituantur, maiora etiam ferè apud illos virtutis ſtudia vigent, quam in principum filijs reperiuntur.

Poſtremò ſi ſpes regnandi ſit omnibus, qui virtute & ſapientia excellunt, ex ęquo propoſita, longè facilior erit Principis electio: multo enim acrius atque diligentius omnes, in quibus maior animus & clarior indoles eſt, ad ſummam virtutis & ſapientiæ laudem aſpirarent. Ex quibus colligi poſſe videtur: Nihil vtilius optari poſſe, quā Principis electionē libero populi ſuffragio permitti. Ne Caligulæ, Heliogabali, Nerones, Decij, Domitiani, & ſimiles peſtes in repub. libera dominētur. Alij verò iſtis rationibus nonnihil quidem commouentur: tamē grauiores cauſas producunt, quare Principem naſci, quàm eligi expediat.

Pro ſucceſſione.

Quod etſi hęc ratio ſua etiam incommoda ſecū ferat, maiora tamen electio mala importare ſoleāt. Ideoque ex ſapientum hominum præcepto è
1 duobus malis minus eligendum eſt. Nam populus plerunque caret conſilio, & grauitate, & conſtantia, vt vel ex errrore, vel ex ſpe, & metu, vel ex odio, & inuidia, vel ex ambitione, & auaritia, à recto iudicio in eligendo Principe deducatur, vt bonis
2 improbos anteferat. Multi etiam ſe hominibus

frau-

fraudulenter inſinuare nouerunt, & ſimulatione virtutis, æquitatis, & modeſtiæ in hominum mentes irrepunt, vt omnia quæ cupiunt ſingulari artificio cõſequantur. Tum demum grauiſſima vitia, quæ hactenus fraudulenter occultauerant, erumpunt.

Si omnem antiquitatis memoriam euoluamus, ſi omnes hiſtorias perſcrutemur: reperiemus, omnes Tyrannos hanc ſibi viam ad principatum muniuiſſe: qui virtutem ementiendo, & populum fallaci ſpecie manſuetudinis & lenitatis ad ſe alliciendo, ſummam potentiam in rebuſpublicis ſibi parauerunt.

Nullum quoque eſt fœcundius diſcordiæ ſeminarium, quam regni cupiditas: peſtiferæ igitur diſſenſiones ex hoc fonte popularis licentiæ & immodicæ libertatis emanant, vnde cædes, inſidiæ, publicæ conſpirationes, patriæ inflãmatio, & Reipubl. totius euerſio atque interitus conſequuntur. Quod rerum antiquarum monumenta, & frequẽtia exempla demonſtrant. 3

Melior quoque indoles in regijs pueris plerunque elucet, accuratiuſque illi à teneris educari ſolent, & regijs diſciplinis ampliſſima ſpe ſummæ virtutis excoluntur; & diu multumque parentibus, præceptoribus, atque maioribus natu obediunt. 4 5 6

Nec tam facilè nouo illo honore inſoleſcunt, aut efferuntur: ſicut illi ſolent, qui ex humilitate & inopia ad ampliſſimam dignitatem repentè traducuntur, quam antè ſperare non audebant, Et hi propter ætatem prouectiorem, vel propter callidum & malitioſum ingenium diſciplina emendari non

ri non poſſunt:at pueri liberales & ingenui, cum miti ferè atq; clementi natura ſint, facillimè regi poſſunt, & in quamcunque partem illum ætatis tenerę rectores impulerint, inſtitutione atque diſciplina conuerti. Ex quibus concludunt, commodiorem & vtiliorem morem eſſe illum, quo Reges natura fiunt. Qui etiam mos nunc ferè in principibus ſecularibus apud diuerſas nationes obſeruatur. In eccleſiaſticis autem Principibus ſucceſſio ſacris canonibus prohibita eſt. Gratianus 8. q 1.

Oſorius l. 3. de Inſtitut. Regis Didacus Couarr. pract. q. c. 1.

Vtrumque his verbis expreſſit Q. Mandoſ. ad 32. regulam Cancellariæ, quæſt. 8. nu. 3. Videmus Reges & Principes per ſucceſſionem aſſumi, & omiſſa omni diſputatione, conſuetudo id quaſi indifferenter ſeruat: Pro qua facit text. iun. gl. 1. in c. denique 7. quæſt. 1. c. licet. & ibi doct. de voto. Bald. & Aluar. in c. 1. de feud. marc. Et pro dicta conſuetudine rationes quatuor adduci poſſunt. Prima, quia Rex ſeu princeps prouidens filium, nepotem, vel alium prædilectum in regno ſucceſſurum, diligētius illum inſtruit, regnumque maiori cura & amore conſeruat, argum. text. in l. ſcripto in fi. ff. vnde li. & l. ſi pactum in fin. ff. de proba. quàm ſi extraneus ſibi fortè incognitus, vel odioſus eligēdus ſucceſſurus ſit. Altera eſt, quod vbi regnū ſucceſſione transfertur, tunc pronior ſubiectorum obedientia ſequitur: ſubditi enim facilè diriguntur ad obedientiam præſtandam filio, vel nepoti Regis, vel alio prædefuncto coniuncto. Tertia ratio adducitur: quod ex electione principis à volūtate plurium pendente, inter quos naturalis ineſt ad diſſentiendum facilitas, & eligendum iudiciū, fauore, odio, præmio, pollicitationibus peruerti

poteſt

poteſt, argum. text. in c. quatuor modis, 2. quæſtione 3. c. 1. poſt princ. de re iud. l. 2. ita vt malus princeps ſicut bonus eligi poſſit. Quarta erit: quod quando per ſucceſſionem transfertur regnũ, mortuo Rege immediatè rex nouus ſuccedit, & ad regnum, illiuſque adminiſtrationem exercendã admittitur: alioquin ſi regnum à futura pendeat electione, ſæpe reſpub. principe ac defenſore ſuo viduata, in pluribus detrimentum patitur, quod populis pernitioſiſſimum eſt, iuxta illud.

Dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine Principe. Miſſas facio lites, & contentiones lõgas, & plerunque ſanguinolentas accidere ſolitas, dum electiones huiuſmodi tractantur, dum electores diſſentiunt, & pugnant: dumque electi duo, alter alterum excludere tentat: alterque alteri, eiſdemque adhærentes, illorumque fautores, inſidias parant, pluraque alia prætereo, quæ non ſolũ circa temporales electiones, verum & circa eccleſiaſticas, & inter perſonas religioſas indies contigerunt, & ego aliquas vidi, innumeraſque legi, & audiui. Quo fit, vt exemplo ſucceſſionis in regno, ſeu principatu, ita admitti poſſe videatur ſucceſſio in Papatu: & ſi in temporalibus, vel ſecularibus & prophanis præmiſſa & alia incommoda, caſus ſiniſtri, effectuſque pernitioſi conſiderabiles ſunt, multò magis in ſpiritualibus, præſertim in ſummo pontificatu, vbi maius verſatur periculum vulga. ca. vbi periculum, de elect. libr. 6. Oſea 3.

Sed quantum ad papatum attinet, contrarium eſt concludendum, quod immo ſucceſſio, in illo reprobetur, nec illud exemplum Petri, de quo in c. Petrus & ſeq. 8. q. 1. ſtringit, immo in contrarium re-

um retorquetur, vt n. declarat. gl. mag. in d. c. ſi Petrus. Clemens timens exemplũ forè pernitioſum, vt quis ſibi ſucceſſorem eligeret, Papatui renunciauit, ſuffecto Lino, poſtea Cleto, tandem ipſe Clemens denuò eligitur, & ſic Clemens iuxta vnam computationem fuit ſecundus, iuxta alteram quartus. Hactenus ibi Mandoſius.

Huc pertinet Gloſſa can. Denique 7. q. 1. Filij Regum ſunt Reges. In quibuſdam regnis adhuc Regum filij ſuccedunt plerunque in regno, ſi idonei ſunt, ſed non niſi per electionem. In alijs regnis neque ille Rex habetur, qui per ſucceſſionem regni hæreditatem adit, antequam iuret, ſe regnum Iure & patrijs legibus adminiſtraturum.

Principatus non tam ſanguini debetur, authore Chryſoſtomo, quàm meritis, & inutiliter regnat, qui Rex naſcitur, & non meretur.

conſ. 94. Clariſſimus Iuriſconſ. Oldr. de Ponte affirmat: iccirco vſu & moribus ferè receptum eſſe, vt per ſucceſſionem Reges & Principes conſtituantur: ne inter electores aliqua fortè diſcordia oriatur: & Rex certus de ſuo ſucceſſore filio, diligentius regnum adminiſtret atque amplificet: ideoque primogenitum patri ſuccedere in regnò, ne inter plures filios regios contentio exurgat: & quod parentes præ ceteris liberis primogenitũ amare ſoleãt. In Monarchia Perſarum ſeptem Proceres Imperatorem creabant. Sic Romanorum Regem atque Imperatorem ex aurea bulla Caroli IIII. quæ Iure communi cõfirmata, & longo vſu recepta eſt, VII. Principes Electores Germani, perpetuo Decreto, eligunt. Ipſique ſummi Pontifices, Archiepiſcopi, & Epiſcopi atque Eccleſiarum Prælati, non per ſucceſ-

ſucceſſionem,ſed per electionem eccleſijs præficiuntur. In republ. Iudæorum, quæ omnium optima vtputa ab ipſo Deo conſtituta erat, Deus ſupremũ magiſtratum conſtituit. Et populus ille electus ſingulari cura Dei regebatur. Hinc Moſes ait: Prouidet ſibi Dominus hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc. Et Deut. 17. Eum conſtitues Regem, quem Dominus Deus elegerit. *Numer. 27.* *Deut. 17.*

Et Gedeon ait: Non ego vobis dominabor, ſed Dominus. *Iud. 8.*

Poſt mortem Moſis dixit Deus ad Ioſue filium Num, miniſtrum Moſis: Moſes ſeruus meus mortuus eſt, ſurge, tranſi Iordanem, tu, & omnis populus tecum, in terram quam dabo filijs Iſraël. Sicut fui cum Moſe, ita ero tecum, non dimittam, non derelinquam te.

Confortare, & eſto robuſtus. Iterum poſt mortem Ioſue conſuluerant filij Iſraël Dominũ: Quis aſcendet ante nos, & erit dux belli? Reſpondet Dominus: Iudas aſcendet, ecce tradidi terram in manu eius. *Ioſue 1.* *Iudic. 1.*

Sic reliqui ex ordine Iudices, deinde ſacerdotes, atque Pontifices, tandem Saul & Dauid Reges, ab ipſo Deo conſtituti fuerunt. Sicut ex libro Iudicũ, & primo libro Regum perſpicitur.

Dauid autem Regi iurauit Deus: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, filij eorum vſq; in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. *Pſal. 131.*

Deus per Nathan prophetam Dauid ſic allocutus eſt: Ego te tuli de paſcuis, ſequentem greges, vt eſſes Dux ſuper populum meum Iſraël, & fui tecũ in omnibus, vbicunque ambulaſti: cum dormieris

Dd cum

cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum, & confirmabitur domus tua, & regnum tuum in æternum, & thronus tuus erit iugiter.

2.reg.7.

Eandem promiſſionem Deus ad ipſum Salomonem Dauidis filium repetijt.

3.reg 9. 1.Paralip. 22.

In illis etiam qui per electionem Principes fiunt, aliqui intolerabiles, & nefarij, atque peſtes patriæ reperti ſunt. At hoc vel Electorum negligentia, vel temeritate fit, quando non tam virtutes intuentur, quàm ſanguinem, preces, munera, commendationes. Quod ſuo tempore accidiſſe queritùr Hieronymus.

Electi principes quare nonnunquã mali ſint.

Can. Moſes 8.q.1.

Quid iam diceret vir prudentiſſimus? Vel iuſto Dei iudicio propter peccata populi mali principes immittuntur, vt q.21.dictum eſt.

Quod malum ſi Electores & Capitula ſenſerint conſolentur ſe cum ſcientia bonæ mentis, & quod erratum eſt, arte corrigant. Nec ſibi tantùm id accedere arbitrentur. Nam ſummi quidam Pontifices non ſemper obſeruârunt, quæ in Camera promiſerant, teſte Io. Neuizano lib.4.ſyluæ nupt.

Nonnulli ex antiquo priuato odio, vel ex vindicta, Electores ſuos perſequuntur, affligunt, ſpoliant, vel ſe per ſuos auaros, & ambitioſos miniſtros, atque propinquos ſeduci patiuntur, vt patriotas & antiquos Conſiliarios aſpernentur, loco & dignitate, & fortunis exuant.

Quos Electores rectè affari poterint: Hoccine nobis promiſiſti? hæc fides, & gratitudo tua eſt? Ideóne in tam ampla te dignitate collocauimus, vt

ſalu-

ſalutem patriæ,& dignitatem noſtram, fortunaſque noſtras ſic contemneres, & illis qui tibi iſtos honores contulerunt pernitiem inferres? Num opes iſtas,&ampliſſimos honores tibi homines iſti quorum gratia iura conuellis, contulerunt? Non certè. Nos te elegimus, fideique tuæ patriam, ſubditorum fortunas credidimus,nos te in iſta dignitatis excellentia collocauimus. Quæ igitur cauſa eſt,cur illos contemnas & perſequaris, a quibus omnia, quæ te magnum & excelſum reddiderunt, accepiſti?vt illis indulgeas, qui tantam maculam tibi inurunt,& nomen tuum dedecorant? Si tanti iſtos homines facis, vtere eis, Epiſcopatum iſtum relinque potius,quàm adeò inſignem turpitudinẽ atque infamiam ſubeas.

Saulis electionem etiam illius propinqui impedire conabantur, erat enim abſconſus domi, ne ad electionem veniret. *1.reg.10.*

Electum multi contemnebant, & aſpernabantur, dicentes: Num ſaluare nos poterit iſte? Sed quorum corda tetigerat DEVS, ſequebantur eum. *1.reg 10.*

Saul autem hoc diſſimulabat ſe audire, & poſtquam electus,& vnctus erat per Samuelem à Deo, integro anno domi ſe continuit, tanquā priuatus, annotat.Benedicti ex Eucherio. *Ad li 1.reg. c.13.*

Nam boues ſequebatur de agro, cum primum bellum inciperet. *1.reg.11.*

Deus illum egregiè ſtatim glorificauit in eo bello.In hoc ſe conſolentur,qui difficilia Electionis principia, & quoſdam æmulos atque aduerſarios ſentire coguntur: Deus electionis author,ipſos non deſeret, niſi illi priores Deum deſerant. *1. Paral.ca. 30.*

Digitized by Google

2.Paral.ca.30. Nec Ezechiæ Regi omnes ſtatim obediunt.

1.reg.15. Saul cum rectè ſe gereret, & eſſet humilis in oculis ſuis, exaltauit eum Deus.

1.reg.10. Et electum Deus mutauit in virũ alium, nouiſque virtutibus atque muneribus illuſtrauit.

1.reg.15. Sed poſtquam ille Deum deſeruit, à Deo etiam deſertus eſt, & à ſpiritu maligno regebatur.

Pſal.37. Propterea Dauid metuens ne idem ſibi accideret, vt Deus ab eo diſcederet, atque eum derelinqueret, in Pſalmo orabat: Domine Deus ne diſceſſeris à me, Domine ne derelinquas me; Intende in adiutorium meum, DOMINE DEVS ſalutis meæ.

De modo, & forma eligendi, vel poſtulandi Pontifices & prælatos eccleſiæ: quibus virtutibus præditi, à quibus vitijs alieni eſſe debeant, qui eliguntur, vel poſtulantur: quid ipſis electoribus cõſiderandum ſit: quanta prudentia & ſynceritas in ijs requiratur, & quàm grauiter peccent eligentes indignum, in omnibus libris Iuris Canonici accuratè perſcriptum extat. Vtinam ea rectè obſeruarentur. Quod formæ etiam & valetudinis ratio in electione habenda eſſet, quæſt. 32. nonnihil annotaui.

Reges inunguntur oleo Saul Rex ex præcepto Dei per Samuelem Prophetam oleo inungitur, 1.reg.10.

Et Dauid quoque 1.reg.c.16.

Et Salomon 3.reg.1.

Munera offerebantur electis. Sauli electo Regi munera offerebantur. 1.reg. c.10.

Etiam Dauidi 1.paral.c. 12. Et Ioſaphat 2. paral. c.17.

Conuiuia Conuiuium celebrabant Iudæi tribus diebus

cuus

cum nouo ſuo Rege Dauid, quod Dauidis fratres *exhibebatur.*
& eorum vicini præparauerant.1.paral.c.12.

Salomon cum holocauſta & victimas obtuliſſet, quoque magnum conuiuium inſtruxit. *3.reg.3.*

Similiter fecerat Adonias. *3.reg 1.*

Saul iſtos qui eum in principio electionis contempſerant, non ſtatim eſt perſecutus, imo contrà eos qui iſtos occidere volebant, pro illa vice defendit. *1.reg.11.*

Honorauit tamen poſt Samuelē, qui illum vnxerat, & quoſdam fideles amicos.

Sed Dauid fideliſſimum miniſtrum, & defenſorem vitæ, ac gloriæ ſuæ turpiter perſequebatur.

Dauid Rex filio & ſucceſſori ſuo Salomoni præcepit, vt qui ſe benè & malè erga patrem geſſerāt, ſingulos pro ſuis meritis tractaret. *3.reg.2.*

Salomon promotores ſuos exaltauit, & magiſtratibus Regni præfecit. *3.reg 2.3.4*

Salomon ibi homines quoſdam interfecit, qui apud Dauidem patrem ſuum magnam authoritatē habuerant: ſed non ex inuidia, vel ex odio, atque vindicta id egit, vt hoc tempore in aulis principū fieri videmus, & ego ipſe expertus ſum, multique optimi viri experiuntur, verum ex mandato patris eorum maleficia iuſtè vindicauit.

Primus Iudæorum Rex Saul prædicatur, quod extiterit vir bonus & fortis, ſtatura longior, & melior omnibus filijs Iſraël. *Eligendorū virtutes.* *1.reg. 9 & 10.*

Dauid commendatur quod fuerit peritus muſicæ, fortiſſimus robore, bellicoſus, & prudens in verbis, rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie, & Deo gratus. *1.reg.16.*

1.reg.16. Ante electionem Dauidis Regis Iſraelitici, Samuel prius ſanctificat Iſai,& filios ipſius.

1.reg.10. Sauli electo dedit Deus cor nouum, & mutatus eſt in virum alium.

1.reg.16. Poſtquam Samuel Propheta, repudiato Saulo, vnxerat Dauidem,ſpiritus Dei receſſit à Saule, & requieuit ſuper Dauid.

1.reg.16. Dauid cum inungeretur à Samuele, erat adhuc iuuenis,atque adeò puer,& paſcebat oues, ſed antequam regnaret,Deus mirificè illum exercuit.

1.reg.10. Electo Sauli primo Regi Iudæorum populus acclamabat:viuat Rex.

2.reg.2. Dauidi quoque cum regnum capeſſeret omnes gratulabantur,& applaudebant.

Ipſeque Saul hoſtis & perſecutor illius aiebat: Benedictus tu,fili mi Dauid, & quidem faciens fa-
1.reg.27. cies, & potens poteris.

3.reg.1. Dauid Rex ſenio confectus præcepit Salomonē filium mulæ ſuæ imponi, atque inungi per Sacerdotes, & Prophetam Nathan,cantarique buccina, & acclamari,viuat Rex Salomon.

2.paralip. Similiter factum eſt in electione Regis Ioiæ vt cum canticis & lætis acclamationibus vitā & fœlicitatem ei precarentur.

Vbi eſt mirabile exemplum liberandi rempub. à tyrannide, & eligendi alium Principem trucidato tyranno. Nam Ioadas Pontifex Iudæorum percuſſit fœdus cum centurionibus & proceribus regni Iudaici, congregatiq́ue in templo Hieroſolymitano, forti ſatis præſidio fores & ianuas obſederunt,donec Ioæ diadema imponerent, ſuperuenientemq; Athaliam matrem Ochoziæ Regis,quę occiſa ſtirpe Regia,regnum occupârat,trucidaret.

Iepthe

Iepthe vir fortiſſimus & pugnator, ſed meretricis filius, ob defectum natalium à fratribus, qui ex legitimo matrimonio procreati erant, eijciebatur congregatique fuerunt, ad eum viri inopes & latrocinantes, & quaſi Principem ſuum ſequebantur. Accidit vero vt Iudæi ab Ammonitis oppugnarentur, ideoque Iepthe Ducem Iſraëlis facere conabantur: quibus ille reſpondit: Nonne vos eſtis qui odiſtis me, & eieciſtis me de domo patris mei, & nunc venitis ad me neceſſitate compulſi? nec facilè credidit, niſi ſub iureiurando, quòd poſt ſuperatos hoſtes Dux eorum manſurus eſſet. *Iudic. 11.*

Qui temerè ad electionem progrediuntur, meminerint, quod Samuel ad populum Iudaicum inquit: Clamabitis in die illa, hoc eſt, quando Regio Iure in vobis vtetur, ad dominum, & non exaudiet vos. *1. reg 9.*

Inter antiquos populos non niſi optimus Rex eligebatur, ſummeque fœlices habebantur illæ gentes, in quibus non poterat eſſe potentior, niſi melior. Seneca in epiſtolis. Tiraquellus in tractatu de iure primogenit. & alij paſſim.

Vbi ſucceſſio locum habet, primogenitus diuino & humano iure præfertur. Sicut in Eſau & Iacob apparet, & Rodericus Zuares ad l. quoniam, de inoffic. teſtamẽto limitatione 11. Tiraquell. tractatu de Iure primog. demonſtrant. Vt nec Regnũ diuidatur, nec alijs fratribus atque ſororibus alimenta denegentur. In his enim non ſpectatur ordo & fœlicitas naſcendi. Nec refert vtrum nati ſint priuſquam pater rex fieret, an tempore regni. Zuares & Tiraq. d. loco, & text. atque gloſſ. extra-

uagantis,execrabilis,de præbend.Iacobinus tract. feudor.§. Quid ſi. Quod primogeniti filius excludat auum, primogenitique filijs extinctis, ſecundo genitus ſuccedat, Baptiſta Villalobos in communibus opinionibus Iuris, verbo Rex. Viuius in com.opinionibus verbo Nepos.Didac. Couar. pract.quæſt,39.Zuares d.limitat. 11. Capella Tholoſana q.434.tradiderunt.

Et Nepotem Regis excludere illius fratrem,docet Anchora. de ſupplend.neglig.in 6.Poteſt tamē Rex teſtamento eligere vnum, & alijs præferre. Seruaturque in his loci conſuetudo,Zuares.Ibi.& Tiraquellus q.31.

Si duo ſimul naſcuntur,præfertur qui prior exiuit,vt Eſau & Iacob genitura declarat. Si non conſtat de ordine,præfertur formoſior &robuſtior.Is enim tanquam robuſtior cenſetur celerius exiuiſſe,vel pater declarat vter regnabit.

Sed ſi duo,exciſo ventre,ſimul extrahantur,alij putant quod ambo regnabunt, alij quod res ſorte dirimetur,alij quod pater diiudicabit, aut Dominus feudi,vt ille eligat honeſtiorem &prudentiorem,vel iſtis paribus gratificetur vtri volet. Zuares illos ſequitur,qui dicunt quod vterque regnabit, & vno ſigillo vtentur quod vocetur ſigillum geminorum,& parem conditionem habebunt.

Quod etiam Mandoſio placet,cum inquit: Qui ſimul naſcuntur eorum par ratio eſt : ad reg. Cancell.33.q.14.

Quiſquis verò regnum authoritate propria ſine iuſto titulo vſurpare conatur, tanquam læſæ Maieſtatis reus punitur. Menoch. de arbitr. Iudic. caſu 320.

QVAE-

QVAESTIO LXXII.

Quid ſit in regno optimum maximumque?

RESPONSIO.

Vt ſubditi perpetuam pacem habeant,& ius ſuũ in iudicijs citò conſequantur:quod tunc fit, quando princeps malorum oſor eſt, bonos diligit,plurimique æſtimat hominis animam ſaluam facere. Sicut tu iniuſtitiam ſummum ſcelus iudicas, cunctaque iuſtè gubernans, perennem geſtorum tuorum gloriam conſecutus es: cum Deus tibi puram, omnique labe carentem mentem illuſtrârit.

Quemadmodum nihil reipublicæ penitioſius eſt, quàm bellum, ita profectò vtiliſſima præſtantiſſimaque eſt pax.

Quare veteres in paganiſmo Romani maxima eam veneratione, extructo Pacis nomine templo, coluerunt. Quoniam verò pax ſemper retineri nõ poteſt, qualiter in bello gerendo Principes verſari oporteret, q.5. declaraui.

Secundo loco hic de iuſtitia conſeruanda,& iure dicundo præcipitur:nam pacis conſeruatio in iuſtitia & iure potiſſimum conſiſtit.

Ideoque Moſes prædicatur,&Dauid quod fecerint iudicium & iuſtitiam in omni populo ſuo. Ip- *Exodi 18.*
ſeque Dauid Principes ad iuſtitiam inuitat: Vſque *2.reg. 8.* *Pſal.81.*
quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?Iudicate egeno & pupillo,humilẽ & pauperem iuſtificate.Eripite pauperem,& egenum de *Eſaie 1.*
manu peccatoris liberate. Rurſus Dauid: Honor *Michee.5.*
regis iudicium diligit. Dauidis filius Salomon,nõ *Pſal.98.*
ſolùm à ſapienti & vero iudicio incredibilem au- *3.reg.3.*
thoritrtem accepit,verum etiam Prouerb. vltimo

ca. dehortatur, ne regibus propinetur vinum: ne forte bibant largiùs, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis. Capite verò 29. Rex, inquit, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Quicunque autem iuſtitiam negligunt, & pauperes à ſceleratis hominibus vexari patiuntur, illos iudicabit Deus. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum exurgam, inquit Dominus. Deprecationem læſi exaudiet, nec deſpiciet preces populi ſui, nec viduam, ſi effundet loquelam gemitus.

Pſal. 11. *Eccl.* 35.

Pauperibus oppreſſis, nulla ſpes eſt, niſi in Principe & iudicibus.

Auguſtus Cęſar ipſe ius aſſiduè dixit, & in nocte nonnunquam, ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans: dixitque ius non diligentia modò ſumma, ſed & lenitate.

Appellationes vrbanorum litigatorum quotãnis prætori vrbano delegabat: at prouincialium conſularibus viris, quos ſingulos cuiuſq; prouinciæ negotijs præpoſuiſſet, teſte Suetonio. Adrianus Imperator, cauſas Romæ atque in prouincijs frequenter audiebat, adhibitis conſilio ſuo Conſulibus, atque prætoribus, & optimis ſenatoribus, authore Spartiano. Dion verò ſcriptũ reliquit, quod tranſeuntem Adrianum mulier fortè rogârit, vti ſe audiret: cui cum ille reſpondiſſet: Otium mihi non eſt: illa deinde clamans ait: Noli ergo imperare: tum conuerſus, eam audierit: Et reliquo tempore ius aſſiduè dixerit, cum primoribus ciuium, aliquando in palatio, nonnunquàm in prandio, interdum, & ſiquidem ſepiùs, ex tribunali:

vt quæ fierent publicarentur: aſtiterit aliquando & conſulibus, quando illi iudicabant.

Similis quædam mulier ad Philippum Macedoniæ regem dixiſſe fertur: Si Ius dicere non vacat, ne igitur rex eſſe velis.

Iſocrates Nicoclem hortatur, vt in ciuium controuerſijs audiendis iuſtè & diligenter verſetur, vt nec ad gratiam alicuius, nec odium pugnantes ijſdem de rebus ſententias ferat. Ageſilaum regem, cauſas audientem, quidam crebrò admonebat: Ageſilaë, decet regem legibus opitulari. Ad Iuſtinianum Imperatorem ſcripſit Agapitus: Aequaliter vt amicis, ita & inimicis iudicia dictabis, vt nec propter beneuolentiam gratificeris amicis, nec inimicis ob ſimultatem iniquior appareas. Summa verò diligentia in iudicijs cauſas cognoſcere oportet, qui de litigantium cõtrouerſijs ſunt pronunciaturi: nam iuſtitiæ inuentio longè omnium difficillima eſt, & veritas parum attendẽtes facilè effugit. Alphonſus Aragonibus, teſte Panormitano, frequenter pauperum cauſas tantummodò audire ſolebat: vt & ipſi facile adire poſſent, & potentiores ab iniurijs inferendis deterrerentur. Vnde perſpicitur, quàm impia & belluina Libertinorum vox ſit, qua impudenter aſſeuerant, non decere principes audire querelas & contentiones ſubditorum, aut lites dirimere: quod vbicũque lis eſt, ibi tranſgreſſio ſit. *Cal. contra libert. c. 24*

Sceptrum Regis iuſtitiæ & iuriſdictionis ſignum eſt, quo admoneantur, omnia ad recti & exactæ iuſtitiæ normam ordinemque iuris reuocare.

Alexander autem Magnus cum ſederet iudex, alte-

alteram aurem occluſit, rogatus cur id faceret: Alteram, inquit, integram reſeruo parti aduerſæ.

Hinc Schurffius & Heningus probant, quod iudex qui ius dicere non vult litem ſuam faciat.

Schurf. conſ 40. Heningus conſ. 2. de iniur.

Xenophon libro primo de inſtitutione Cyri, ſecundum legem iubebat ſemper ferendam ſententiam. Et Lactantius: Iudex, inquit, peccatis veniam dare non poteſt, qui voluntati ſeruit alienæ: Deus verò poteſt, quia ipſe legis ſuæ diſceptator & iudex eſt.

De ira Dei c. 19.

Vtrum ſemper in iudicando id ſequendum ſit, quod iudex verum eſſe nouit, an id quod agitur atque probatur, poſt Gellium variè à Iuriſconſultis paſſim pertractantur.

L. 14. ca. 2.

Proprium officium principis eſt, facere Iudiciũ & iuſtitiam, & liberare de manu calumniantium oppreſſos, auxilium præbere peregrinis, pupillis, & viduis. Quod in iuſtitiæ & æquitatis menſura conſiſtit. Illa enim duo ferè Dauid coniungit: Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iuſtitia.

Vide Gailium l. 1. ca. 3. de pace publica Beniñ priuileg. In riſp 54. Pſal. 9.

Omnis modeſtiæ & humanitatis ratio in legum diſciplina, & in iudiciorum ſeueritate conſiſtit, quibus iuſtitia continetur.

Nec enim tam armatorum præſidia remp. tuentur, quàm leges, atque iudicia, & conſtans inuiolati Iuris ſtudium: contrà, facilis coniectura eſt, rẽp. illam in qua peruerſa iudicia fiunt, diu ſtare non poſſe. Quod multarum rerumpublicarum exitus declarauit.

Nam

Nam illud regnum diu permanere non poteſt, in quo leges, Iura, iudicia inuiolata & ſacroſancta non ſunt. Et iudiciorum neglectus infinita incommoda importat.

Quare Deus in exordio mundi in paradiſo Adamum & Euam, & extra paradiſum fratricidam Cain dijudicauit, Iudiciorumque ordinem & formã præſcripſit, Gen. c. 3. & 4. can. Deus omnipotens, 2. quæſtio. 1. Caſſaneus ad conſuet. Burg. tit. de Iuſt.

Patriarcha Ioſeph Aegypti Regnum optimis legibus & iudiciorum formis inſtruxit: vt non immeritò Aegypti ſaluator diceretur. *Geneſ.* 41.

Moſes cum Iudæos ex Aegypto eduxiſſet, iudicis officio fungebatur, ſedebatque pro tribunali toto die, à mane vſque ad veſperum, vt populi cauſas dijudicaret.

In quo illum prudentiſſimus Ietro reprehendit, quod ſolus omnium controuerſias cognoſcere vellet: ſtulto, inquiens, labore conſumeris, vltra vires tuas hoc eſt negotium, ſolus illud non potes ſuſtinere. *Exodi* 18.

Moſi Ioſue, illi Iudas ſucceſſit, qui nihil de Iudicandi munere prætermiſerunt. Cum non eſſet Dux, neque Iudex in Iſraël, mera confuſio cernebatur, & vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur hoc agebat. *Iudic.* 17.

Qui poſt Moſen, Ioſue, & Iudam Iudæis præfuerunt, peculiari nomine Iudices appellabantur, quos Deus eis conſtituit, vt iudicarent & liberarent eos. *Iudic.* 2.

Heli Pontifex & ſacerdos veram iudiciorum ſynceritatem neglexit: tranſlatum ergo ſacerdotium

1.reg.2. tium fuit à domo Heli in Samuel.

1.reg.7. Samuel Pontifex, & ſupremus magiſtratus Iudæorum per ſingulos annos circumibat,& iudicabat eos,& apud altare Dei locum iudicij conſtituit.

Lib.7.polit c.12. Quod fortaſſis imitatus Ariſtoteles apud ædes ſacerdotum,templaque deorum, iudiciale forum digno & conſpicuo loco collocari iuſſit.

1.reg.8. Samuelis filij officio iudicis abutebantur, & auaritia corrupti, iudicia peruertebant:ita Regem poſtulauerunt Iudæi, & reip. Iſraëliticæ forma mutata eſt.

2.reg.8. Dauid II.Iudæorum Rex prædicatur,quod fecerit iudicium & iuſtitiam omni populo ſuo.

Pſal.33. Proteſtatuſque eſt:quodDeus iudicium& iuſtitiam diligat.

Pſal.2. Et vos, inquit, Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram:Precaturq; Deū,vt veræ iuſtitiæ amore animum ſuum accendat, Pſal. 118. & vt

Pſal.71. filio ſuo Salomoni eandem largiatur: Deus iudicium tuum Regi da,& iuſtitiam tuam filio Regis.

Dauidis filius Salomon:Initium,inquit,viæ bo-

Prouerb. 16 & 21. næ eſt facere iuſtitiam,quæ Deo accepta eſt magis, quàm imolare hoſtias. Facere iudicium & iuſtitiā magis placet Deo quàm victimæ.

3.reg.3. Ideoque in regni ſui exordio petijt à Deo ſapientiam,vt populi cauſas rectè iudicare poſſet: quā etiam Deus illi abundanter infudit, vt ex iudiciorum admiranda prudentia ſummam authoritatem conſequeretur.

2.reg.15. Abſolon cum tyrannidem affectaret, per iudiciorum induſtriam animos ſubditorum ſibi deuinciebat.

Ioſa-

Ioſaphat Rex ad conſtituendam Rempubl.conuerſus, Iudices tam ſpirituales, quàm ſeculares conſtituit, qui in omnibus ciuitatibus Iudææ Ius dicerent. *2.paralip.c.19.*

Romanæ vrbis conditor Romulus cauſas populi vel ipſe audiebat, vel alijs ad expediendum cõmittebat. *Zaſius l. 2. ff. de orig. Iur.*

Iulius Cæſar Ius laborioſiſſimè ſeueriſſimeque dixit, & Auguſtus aſſiduꝰ in Iure dicũdo fuit, adeo vt quandoque ægrotus lectica pro tribunali vteretur. De vtroque narrat Suetonius in vita eorum.

Idem cæteris Imperatoribus perantiquum fuiſſe, colligitur ex l.Imperialis de prohib.feud. alienat.l.Imperatoribus de Iure fi.L.offidius de lega 3.

Valentinianum, Theodoſium, & Gratianũ a a a iuſtitiæ ſacerdotes vocat Symnarchus vrbis præfectus, apud Ambroſium epiſt. 30. Hinc eſt quod iuſtitiam virtutem Regiam veteres appellârunt, quod illa virtutum aliarum Regina, in primis neceſſaria eſſet Regibus: & quod illa Reges maximè deceat.

Ideoque Ioui deorum omnium Maximo Dicen ſiue Themin (quæ caſtiſſima virgo & iudiciorum præſes credebatur) perpetuo aſſidere Heſiodus & alij poëtæ finxerunt.

Principem alij legem animatam in terris dixerunt, Auth.de conſul.Zaſ.ad l.2.D.de orig.iur.Cicero legem loquentem vocat lib.3.de legib.

Quod Ius dicere, pro re ſanctiſſima, & perquam neceſſaria ſemper apud omnes gentes exiſtimatum fuerit, & quomodo in eo munere verſari oporteret, in apologia Iuriſprudentiæ demonſtraui.

Etſi

Quemadmodum apud priſcos Romanos lex erat: probrum in Senatu ne relinquito, authore Cicerone. Iudices autem erunt, viri ſapientes, conſtantes, integri, incorrupti, qui Deum reuereantur, nunquam gratiæ cuiuſquam, nec potentiæ cedant, nec miſericordia, nec inuidia, nec amore, nec odio commoueantur, ſed verè ſemper & incorruptè iudicent, grauitateque, auctoritate, & conſtantia, pietateque, & induſtria præcellant. Illas enim virtutes Iethro in Iudicibus requirit. *Exod. 18. Lib. 3 de legib.*

Et Ioſaphat Rex Iudices ſuos hac ratione ad officium hortabatur: vt cogitarent illud iudicium quod exercebant, Dei eſſe Iudicium. Iudicans pio numinis metu, Iudiciorum integritatem contineri. Sunt enim Iudices Dei Vicarij, Iuſtitiæ & Iuris cuſtodes, & miniſtri, atque adeò ſacerdotes. *Exod. 18.*

Ideo ſacris literis Iudices Dei vocantur. Quemadmodum enim munus diuinum gerunt, ita voluit ſummus ille Iudex, vt diuinum nomen quoque obtinerent, vt eo ipſo admonerentur, cum iudicant, diuinam ab illis æquitatem & conſtantiam Iure flagitari.

Videte, inquit, ad Iudices ſuos Ioſaphat, quid faciatis. Non enim hominis exercetis Iudicium, ſed Domini, & quodcunque iudicaueritis in vos redũdabit. Sit timor Domini vobiſcum, & in timore Domini atque corde perfecto omnia agite. *2. paral. ca. 19.*

Cum tales ſint illi, certè viri diuini habẽdi ſunt munere namque diuino funguntur, & rempub. diuini numinis ope incolumem ab omni calamitate conſeruant.

Sed cum Iudices aut propter improbitatem Ius

dicere nolunt, aut propter humilitatem non ſtudent: eorum culpa fit, vt Deus, iuſtitiæ & iudiciorum author, grauiter offendatur, & boni ab improbis nefariè diuexentur, & ita diuinum humanumque Ius violetur.

De iudicijs veterum Romanorum, & Germanorum, cæterarumq; gentium in earũ academijs diſſerui. A Iudicio longè abeſſe debẽt iſta 4. q̃ iudicia peruertunt: fauor, timor, odium, & præmium. Anchor. c. cum æternum, de præſcript. in 6. Quod in conſultationibus & Iudicijs principum geſta per ſcriptores annotentur vetus mos eſt, vt quæſt. 15. & 52. dictum fuit.

2. paral. c. 9. Quantum referat principem ſapientem habere, qui iudicia conſeruet & rempub. rectè adminiſtret his verbis indicat Regina Saba ad Salomonem Regem: Quia diligit Deus Iſraëlem, & vult eum ſeruare in æternum: iccirco poſuit te ſuper eum Regem, vt faciat iuſtitiam & iudicia.

Poſtquam Rex cum illis viris ſermonem finiuit inquit Ariſtæas, craterem plenum vino libauit, & tandem eos ſic allocutus eſt: Veſtro aduentu contigerunt mihi maxima bona Nam multum vtilitatis accepi ex veſtra doctrina mihi de regnandi ratione tradita. Hinc mandauit ſingulis talenta tria dari, & puerum qui ea obtulit. Hæc omnibus approbantibus cum acclamatione conuiuium replebatur lætitia, Rege omnia ſine intermiſſione ad hilaritatem referente. Ioſephus verò ait Regẽ
L. 12 c. 2. vnicuique donaſſe ſtolas optimas, & auri talenta duo, & calicem vnius talenti, & totum conuiuatorium.

CLARIS-

CLARISSIMORVM PHILOSOPHORUM *Quaſtiones, & Reſponſiones luculentæ.*

QVAESTIO.

Quæ potiſſimum religio tenenda?

RESPONSIO.

Cicero ex fragmentis 12. tabularum lib. 2. de legibus: In lege, inquit, eſt, vt de ritibus patrijs colātur optimi. De quo cum conſulerent Athenienſes Apollinem Pythium, quas potiſſimum religiones tenerent, oraculum editum eſt: eas quæ eſſent in more Maiorum: eumq; morem, qui eſſet optimus. Quod id habendum ſit antiquiſſimum, & Deo proximum, quod ſit optimum. Romuli lex ita recitatur: Deos patrios colunto, externas ſuperſtitiones, aut fabulas ne admiſceto.

QVAESTIO.

Quodnam ſit officium boni ſenatoris?

RESPONSIO CICERONIS.

Cicero lib. 3. de legibus: Huic, inquit, iuſſa tria ſunt. Vt adſit. Nam grauitatem res habet, cum frequens ordo eſt. Vt loco ſuo dicat, Id eſt, rogatus. Vt modo. Ne ſit infinitus: Nam breuitas non modo ſenatoris, ſed etiā oratoris magna laus eſt in ſententia. Addebat Cato: Populi cauſas teneto. Eſt enim ſenatori neceſſarium noſſe rempublicam. Idque latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſpubl. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere, tenere. conſuetudinem decernendi, noſſe exempla maiorum.

Eadem iſta in bono Capitulari, Conſiliario, Ad-

uocato requiruntur: Etſi grauiſſimè hae in parte frequenter peccetur.

QVAESTIO PHILOSOPHORVM.

Cur Deus, cum omnia hominis cauſa faceret, tantam vim ſerpentum, viperarumque terra mariq́ue diſperſerit?

RESPONDET LACTANTIVS L. 7. cap. 4.

Quoniam homo ex rebus diuerſis, ac repugnãtibus configuratus eſt, animo, & corpore, id eſt cœlo atque terra, tenui, & comprehenſibili, æterno, ac, temporali, ſenſibili, atque bruto, luce prædito, atque tenebroſo; ipſa ratio, ac neceſſitas exigebat, & bona homini proponi, & mala: bona, quibus vtatur, mala, quæ vitet, & caueat. Idcircò enim data eſt illi ſapientia, vt cognita bonorum, malorumq́ue natura, in appetendis bonis, & malis declinandis vim ſuæ rationis exerceat. Nam cætera animantia, quibus ſapientia data non eſt, munita indumentis naturalibus, & armata ſunt. Homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem dedit ſolam. Itaque nudum formauit, & inermem, vt eum ſapientia & muniret, & regeret. Munimenta, & ornamenta eius non foris, ſed intus, non in corpore, ſed in corde cõſtituit. Niſi ergo eſſent mala, quæ caueret, quæ à bonis, vtilibuſq́ue diſtingueret, non eſſet ei ſapientia. Sciat ergo M. Tullius, aut ideo homini datam eſſe rationem, vt et piſces caperet, vſus ſui gratia, & natrices, viperaſque vitaret, ſalutis ſuæ cauſa. Aut iccirco bona ei, malaque propoſita: quia ſapientiam acceperat, cuius vis omnis in diſcernendis bonis, maliſq́ue verſatur. Magna igitur, & recta, & admirabi-

lis eſt

lis eſt vis,& ratio&poteſtas hominis:propter quē mundum ipſum,& vniuerſa,quæcunque ſunt,Deus fecit:tantumque illi honoris habuit,vt eū præficeret vniuerſis: quoniam ſolus poterat Dei opera mirari.

Quærentibus:Cur à Deo creata ſint multa, non tantùm homini inutilia,ſed etiam noxia?Reſpondent Baſilius Magnus homilia 6.in Geneſim, Ambroſ.lib.3.Hexameron,Theodoretus in Geneſim: Licet huiuſmodi res eſu quidē sūt homini noxiæ, eſſe tamē vtiliſſimas alijs animātibus,q̄ ſunt,ppter hominem, & hominibus vtiliſſima. Vnde Luc.l.5.

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes,homini quæ eſt acre venenum.

Deinde, licet iſta non conferant homini ad cibum, proſunt tamen plurimum medicinæ cauſa: cùm ad morbos depellendos auxilientur : multumque conducunt ad Phiſiologiæ , præſertim ſcientiæ planetarum perceptionem:Stultumque eſſet, quarum quis vſum ignorat, eas inutiles aut ſuperuacaneas cenſere.

QVAESTIO PHILOSOPHORVM.

Quare Deus hominem fragilem & mortalem finxerit,ſi illum propter ſe, & illius cauſa mundū ædificauit?

RESPONSIO LACTANTII.
L. 7. cap. 8.

Primum, vt infinita vis animarum gigneretur, omnemque terram multitudine oppleret: deinde vt proponeret homini virtutem, id eſt, tolerantiā bonorum,& malorum,per quam poſſet pręmium immortalitatis adipiſci. Nam quia homo,ex duabus rebus conſtat, corpore & animo, quorum al-

terum terrenum, alterum cœleſte eſt: duæ viæ homini attributæ ſunt, vna temporalis, quæ corpori aſſignatur, altera ſempiterna quæ animæ ſubiacet. Illam naſcendo accepimus, hãc aſſequimur laborando, nc immortalitas homini ſine vlla difficultate conſtaret: ad quam non delicatè & molliter, ſed ad eloquibile illud prẹmium, ſumma cum difficultate, & magnis laboribus peruenirent. Per ipſas enim difficultates eundum eſt, qui ad ſummum bonum tendunt.

QVAESTIO

Cur Deus permiſerit hominem tentari, quem ſciebat eſſe caſurum?

RESPONSIO POST ALIOS MAGISTRI ſententiarum l 2. diſtinct. 23.

Non eſſet laudabile homini, ſi ideo benè viuere poſſet, q̃a nemo malè viuere ſuaderet: cũ in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle, non conſentire ſuadenti, Deo iuuante: & eſt glorioſius non conſentire, quàm tentari non poſſe. Mouentur etiam quidam dicentes: cur creauit Deus quos futuros malos præſciebat? Quia præuidit quid boni de malis eorum eſſet facturus: ſic enim eos fecit, vt relinqueret eis vnde aliquid facerent: & ſi culpabiliter aliquid facerent, illum de ſe laudabiliter operantem inuenirent. A ſe habent voluntatem malam, ab illo naturam bonam, & iuſtam pœnã. Fruſtra ergo dicitur, nõ deberet Deus creare, quos præſciebat malos futuros: ſciebat enim bonis profuturos, & iuſtè pro mala voluntate puniendos. Addunt etiam: Talem hominem debere facere, qui nollet omnino peccare: concedimus quidem, meliorem naturam eſſe, quæ omnino peccare nollet.

Vide hic q. 2. Maxi. 1. ad Io. Xritenum.

Con-

Concedant & ipſi,non eſſe malam,quæ alijs facta eſt.Vt poſſet non peccare,ſi vellet: & iuſtè punitã, quæ voluntate, non neceſſitate peccauit. Cum ergo hæc bona ſit,illa melior. Cur non vtramque faceret, vt vberius laudaretur de vtraque? Illa enim de ſanctis Angelis,hæc de hominibus eſt.Item inquiũt:Si Deus vellet,&illi boni eſſẽt.Et hoc quidẽ concedimus:ſed melius voluit, vt quod vellẽt, eſſent.Et boni quidem non infructuoſe, mali verò non inpunè eſſent.Item inquiunt:poſſet Deus voluntatem eorum vertere in bonum, quia omnipotens eſt:poſſet reuera.Cur non fecit? Quia noluit. cur noluit? Ipſe nouit.Non debemus plus ſapere, quàm oportet.

QVAESTIO

Quare Deus,cum ſit omnipotens, & Dominus omnium,cultores ſuos vexari ab impijs patitur,& non vindicat aut tuetur eos? tortores eorum opulenti,potentes,& beati ſunt.

RESPONDET LACTANTIVS
L. 5. cap. 21.

Hinc quidam verum Dei cultum inanem eſſe putauerunt,in quo ineſſe illa non cernunt: Deorũ ritus putant veros:quoniam cultores eorum & diuitijs,& honoribus,& regnis fruantur. Verum ij, qui ſunt in hac exiſtimatione, non perſpiciunt altius vim,rationemque hominis, quæ tota non in corpore,ſed in mente eſt. Nihil enim vident amplius,quàm corpus ſcilicet:quod, quia videtur oculis,manuque tractabile eſt,imbecillum,fragile, mortale eſt:cuius ſunt illa omnia bona, quæ cupiditati, ac miraculo ſunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt voluptates:

& ideo tam caduca ſunt,quàm corpus ipſum. Animus vero,in quo ſolo eſt homo, quoniam ſubiectus oculis non eſt, nec bona eius inſpici poſſunt, quæ in ſola virtute ſunt poſita: & ideo tam ſtabilis, & conſtans, & perpetuus ſit neceſſe eſt, ſicut ipſa virtus,in qua eſt animi bonum.

Magna & præcipua virtus eſt patientia.

Quare neceſſe eſt iuſtum & patientem hominẽ eſſe in poteſtate hominis iniuſti, vt capiat patientiam,qua carebit omnino,ſi nihil patiatur aduerſi: qui in rebus proſperis agit,impatiens eſt, & virtute maxima caret, & fragilitatis oblitus inſolenter elatus tumet.

Si quis autem volet ſcire pleniùs, cur malos,& iniuſtos Deus potentes, beatos, & diuites fieri ſinat: pios contrà humiles, miſeros,inopes eſſe patiatur:ſumat cum Seneca librum, cui titulus eſt. Quare bonis viris multa mala accidant, cum ſit prouidentia: in quo multa nõ planè imperitia ſeculari,ſed ſapiẽter,ac penè diuinitùs elocutus eſt. Deus,inquit, homines pro liberis habet, ſed corruptos, & vitioſos luxurioſè, ac delicatè patitur viuere: quia non putat emendatione ſua dignos. Bonos autẽ, quos diligit,caſtigat ſæpius:& aſſiduis laboribus ad vſum virtutis exercet: nec eos caducis,ac mortalibus bonis corrumpi,ac deprauari ſinit. Vnde nemini debet mirum videri, ſi pro noſtris ſæpè delictis caſtigamur à Deo. Immò verò, cum vexamur,ac premimur, tum maximè gratias agimus indulgentiſſimo patri: quod corruptelam noſtram nõ patitur longiùs procedere,ſed plagis, ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, nos eſſe Deo curæ:quoniam, cum peccamus, iraſcitur.

Nam

Nam cum poſſet populo ſuo & opes,& regna largiri, ſicut dederat antè Iudæis,quorum nos ſucceſſores,ac poſteri ſumus,iccirco eum voluit ſub aliena ditione,atque imperio degere: ne rerum proſperarum fœlicitate corruptus in luxuriam laberetur,ac Dei præcepta contemneret: ſicut illi maiores noſtri,qui ſæpe terrenis ac fragilibus ijs bonis eneruati,aberrauerunt à diſciplina legis, vinculaque ruperunt. Prouidit ergo quatenus cultoribus ſuis præſtaret quidem,ſi mandata ſeruaſſent: & tamen eos emendaret, ſi præceptis non obtemperaſſent. Itaque ne tam corrumperentur otio, quàm patres eorum licentia,premi ab ijs voluit,in quorum manibus collocauit:vt non labantes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur,ac tentet. Quomodo enim poteſt Imperator militum ſuorum probare virtutem,niſi habuerit hoſtem? Et illi tamen aduerſarius exurgit inuito:quia mortalis eſt,& vinci poteſt.Deo autem quia repugnari non poteſt,ipſe aduerſarios nomini ſuo excitat: non qui contra ipſum Deum pugnent, ſed contra milites eius, vt deuotionem, ac fidem ſuorum vel probet,vel corroboret,donec preſſuræ verberibus defluentem corrigat diſciplinam.

Et lib.2.c.18. Patitur Deus homines errare, & cõtra ſe quoque impios eſſe, ſed ipſe iuſtus,mitis, & patiens differt, donec veniat temporum finis, quo effundet iram ſuam in poteſtate ac virtute cæleſti.Patitur ergo,vt mala cum bonis pugnent, & vitia ſint aduerſa virtutibus, vt habeat alios quos puniat,alios quos honoret.

Et de ira Dei cap.20. Cum maxima ſit Dei pati-

entia: quamuis ſero noxias punit, nec patitur longius procedere, cum eos inemẽdabiles eſſe præuiderit.

Io. etiã Chryſoſtomus lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ: admirantibus quibuſdã, cur cũ Deus aqua diluuij totũ mundũ, & igne cœleſti Sodomã atq; Gomorrã ſubito punierit, iã eadẽ, atq; etiam grauiora ſcelera, tam diu ſinat impunita? Reſpondet: Quia manet iſtos ignis alius longè grauior, cruciatuſque finem nullum habens. Apertaque D. Pauli vox eſt, Rom. 2. Ignoras, quia longanimitas ad pœnitentiam te adducit?

QVAESTIO ESDRAE PRAECEDENTI ſimilis.

Quare populus Dei, propter quem ſeculũ factũ eſt, hæreditatem ſeculi non poſſidet, ſed hic affligitur, impijs lætantibus?

RESPONSIO ANGELI lib. 4. Eſd. cap. 7.

Sicut per anguſtum locum peruenitur in altum & immenſum mare: ita quando tranſgreſſus eſt Adam, facti ſunt introitus huius ſeculi anguſti, dolentes, & laborioſi, pauci, & mali, & periculorum pleni: maioris autem ſeculi introitus ſpatioſi & ſecuri, & facientes immortalitatis fructum. Si ergo ingredientes non fuerint ingreſſi anguſta & vna, hæc non poterint recipere, quæ ſunt repoſita: iuſti hæreditabunt hæc, impij autem peribunt, iuſti ferent hic anguſta, ſperantes ſpatioſa: impij ſpatioſa non videbunt.

Hoc ſeculum fecit altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos. Multi creati ſunt: pauci ſaluabuntur.

QVAE-

QVAESTIO.

Quare modici & mali anni noſtri?

RESPONSIO ANGELI
L.4.Eſd.c.4.

Non feſtines tu ſuper altiſſimum. Tu enim feſtinas inaniter eſſe ſuper ipſum.

Similis eſt huic Eccleſiaſtis reſponſio, cap.7. Ne dicas: cur tempora priora meliora fuêre, quàm nunc ſunt. Stulta enim eſt huiuſmodi cogitatio.

QVAESTIO ESDRAE L.4.c.5.

Quare Deus non creauit omnes homines, præteritos, præſentes, & futuros ſimul, vt celerius Iudicium veniret?

RESPONSIO ANGELI.

Non poteſt feſtinare creatura, ſuper creatorem, nec ſuſtinere ſeculum eos, qui in eo creandi ſunt, in vnum. Interroga matricem mulieris: Quare paris per tempus, & non decem in vnum? Deus dedit matricem terræ, his qui ſeminati ſunt ſuper eam, per tempus.

QVAESTIO ESDRAE AD ANGELVM.
lib.4.Eſd.cap.2.

Domine qui ſunt hi, quibus in medio eorum ſtaus iuuenis, ſtatura celſus, & eminentior omnibus, imponit coronas, & palmas in manus tradit?

RESPONSIO ANGELI.

Ipſe eſt filius Dei, quem illi in ſeculo confeſſi ſunt, & nunc mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, modo coronantur & accipiunt palmas.

De hac coronatione ſanctorum iucundiſſima quæque ſcribit S. Ioannes in Apocalypſi.

QVAS-

QVAESTIO ESDRAE AD VRIELEM *Angelum L.4.Eſd.c.4.*

Quomodo poſſit homo comprehendere viam altiſſimi?

RESPONSIO VRIELIS ANGELI

Vade pondera ignis pondus,aut menſura flatum venti, aut reuoca diem, quæ præterijt.

Quæ ſi facere nō poteris, quomodo poterit vas tuum capere altiſſimi viam?Syluæ lignorum campi cogitauerunt,dicentes:venite faciamus ad mare bellum,& faciamus ibi alias ſyluas, & aquæ dixerunt:Venite,debellemus ſyluas campi, & faciamus aliam regionem: ſi tu ſis Iudex,quem velles iuſtificare, quem condemnare? Reſpondenteque Eſdra: Vtique vanam cogitationem cogitauerunt, terra enim data eſt ſyluæ, & mari locus portare fluctus ſuos,rectè,ait Angelus,iudicaſti, et quare non iudicaſti tibimetipſi? Quemadmodum enim terra ſyluæ data eſt,& mare fluctibus,ſic qui ſuper terram inhabitant, quæ ſunt ſuper terram intelligere ſolùm poſſunt, & qui ſuper cœlos, quæ ſunt ſuper altitudinem cœlorum.

QVAESTIO.

Quæ, & quot fuerint Sybillæ, deque libris & nominibus earum.

RESPONSIO.

Lact.l.1.c.4.6. Ad Conſtantinum Magnum ex Varrone doctiſſimo ad C.Cæſarem, Firmianus Lactantius ait:Omnes fœminæ vates,à veteribusSybillæ nucupatæ ſunt:Vel ab vnius Delphidis nomine, vel à conſilijs deorum denuntiandis: Sybillamque dictam θεοβουλήν. Earumque decē fuiſſe perhibent. Primā fuiſſe de Perſis.Secundam Lybicam.Tertiam Delphicam

phicam. Quartam Cumæam in Italia. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam ciuem fuiſſe: eamque Graijs Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum. Sextam Samiam. Septimam Cumanam, nomine Amaltæam, quæ ab alijs Demophile, vel Herophile nominatur: eam nouem libros attuliſſe ad Regem Tarquiniũ Priſcum, ac pro eis trecentos philippeos poſtulaſſe: Regemque aſpernatum precij magnitudinem, & deriſiſſe mulieris inſaniam: illã in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem precium poſtulaſſe: Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe: Quæ denuo tribus alijs exuſtis, cum in eodem precio perſeueraret, motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe: quorum poſtea numerus ſit auct⁹, Capitolio refecto, quod ex omnibus ciuitatibus, & Italicis, & Græcis, præcipuè Erythræis coacti allatique ſunt Romam, cuiuſcunque Sybillæ nomine fuerunt. Octauã Helleſponticam, in agro Troiano natam, vico Marpeſſo, circa oppidum Gergithium, quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata ſit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur vt dea iuxta ripas Anienis: cui⁹ in gurgite ſimulacrum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum: cuius ſacra ſenatus in capitolium tranſtulerit.

c. 19. Lact. Gelius l. 1. ibi.

Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur, præterquam Cumeæ: cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab vllo, niſi à quindecim viris inſpici fas eſt. Et ſunt ſingularum ſinguli

guli libri:qui,quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, vnius eſſe creduntur: ſunt que confuſi,nec diſcerni,ac ſuũ cuique aſſignari poteſt,præter Erythreæ, quæ & nomen ſuum carmini verum inſeruit, & Erythræam ſe nominatum iri, prælocuta eſt,cum eſſet orta Babyloniæ:ſed & nos confuſè Sibyllam dicemus, ſicubi teſtimonijs earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ vnum Deum prædicant, maximè tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur: ſiquidem Feneſtella diligentiſſimus ſcriptor xv. viris dicens ait: Reſtituto capitolio retuliſſe ad Senatum C. Curionem cos.vt legati Erythras mitterentur,qui carmina Sibyllæ conquiſita ROMAM deportarent. Itaque miſſos eſſe P. Gabinium. M. Octacilium,L. Valerium : qui deſcriptos à priuatis verſus circa mille Romam deportârunt.

QVAESTIO.

Gellius lib. 1.c.10.

Quibus verbis,& quomodo loquendum ſit?

RESPONSIO PHAVORINI.

Curius Fabritius,Coruncanus,& his antiquiores Horatij,planè,& dilucidè cum ſuis fabulati,ætatiſque ſuæ verbis locuti ſunt. Tu autem perinde quaſi cum matre Euandri nunc loquere, ſermone ab hinc multis annis iam deſito vteris:ꝙ ſcire atq; intelligere neminem vis,quæ dicas.Nonne homo inepte,vt quod vis abundè cõſequaris,taceres?Sed antiquitatem tibi placere,ais,quod honeſta,& bona,& ſobria,& modeſta ſit.Viue ergo morib' præteritis,loquere verbis præſentibus:atq; id à C.Cæſare excellẽtis ingenij ac prudẽtiæ viro,in de Analogia libro ſcriptũ eſt, habe ſemper in memoria atq; in pectore,Vt tanquã ſcopulum, ſic fugias inauditum atq; inſolens verbum. Lin-

Linguam autem debere, aiunt, non eſſe liberã, nec vagã, ſed vinculis de pectore imo, ac de corde apertis moueri, & quaſi gubernari. Sic enim videas quoſdã ſcatere verbis, ſine vllo iudicij negotio, cũ ſecuritate multa, & profunda, vt loquẽtes plerunque videantur loqui neſcire. Vlyſſem contrà Homerus virum ſapienti facundia præditum, vocem mittere ait, non ex ore, ſed ex pectore: quo ſcilicet non ad ſonum magis, habitumque vocis, quàm ex ſententiarum penitus conceptarum altitudine pertineret: petulantiæque verborum coërcendæ vallum eſſe oppoſitum dentium, luculentè dixit, vt loquendi temeritas, non cordis tantũ cuſtodia atque vigilia cohibeatur, ſed & quibuſdam quaſi excubijs in ore poſitis ſepiatur. *Gellius l. 1. c. 15.*

M. Cicero ſtultam & inanem dicendi copiam grauiter deteſtatus, indiſertam prudentiam ſtultæ loquacitati prætulit. Et in lib. de oratione 1. Quid, inquit, eſt tam furioſum, quàm verborum vel optimorum ſonus inanis, multa ſubiecta ſcientia? Et Saluſtius: Loquax magis quàm facundus eſt. Leuibuſque, & futilibus locutoribus orationem in ore, non in pectore naſci veteres exiſtimabant. *Gellius d. loco.*

Cuius vitij M. Cato atrociſſimus inſectator erat. Locutuleioſque, & blaterones, & linguaces priſci Ro. appellârunt.

Quapropter Heſiodus poëtarum prudentiſſimus, linguam non vulgandam, ſed recondendam eſſe dicit, perinde vt theſaurum. Eiuſque eſſe in promendo gratiam plurimam, ſi modeſta, & parca & modulata ſit. Eòdem pertinet Apollinaris Sulpitij reſponſio: Tu id facito, non quod ego diſſe- *Gellius l. 12. c. 13.*

ruero

mero de proprietate verbi, ſed quod ea in re omni um pluriumúe conſenſu obſeruari cognoueris. Conſuetudo cum omnium domina rerum, tum maxime verborum eſt. Nec veborum tantum cõmunium veræ ſignificationes longiore vſu mutantur, ſed legum quoque ipſarum iuſſa conſenſu tacito obliterantur.

QVARE APVD IMPROBOS FERE SIT opulentia: docti probiq; tenuiori ſint fortuna?

RESPONSIO.

Adagium eſt: Paupertas ſapientiã ſortita: quod Zenodotus citat ex Euripide, alij tribuunt Ariſtoni. Ignaua eſt opulentia: Inopia multarum artium repertrix. Et Theocritus in piſcatoribus:

Vnica paupertas Diophantes ſuſcitat artes,
Ipſa laborandi doctrix, ſtudijq; magiſtra.

Et: Hominẽ experiri multa paupertas iubet. Qua etiã de re extãt duo emblemata, Ariſtotelis titulo. Quorum altero rogat: Qui fiat, vt paupertas apud probos viros plerumque verſetur? Redditque huius rei varias cauſas. Siue quod improbi per fas nefaſque malunt parare diuitias, quàm cum paupertate contubernium diuitum habere. Proinde fugit eos quibus videatur maximorum flagitiorũ occaſio futura: ad illos deflectit, quos exiſtimat ſe rectè modeſteque vſuros. Siue quod cum ipſa ſit mala, malos vitet, ne ſi malum acceſſerit malo, iã fiat intolerabile, & immedicabile. In altero emblemate rogat: Quid in cauſa ſit, vt opes à malis ferè poſſideantur, non item à bonis. An quia cæcæ ſunt inquit, & ob id errant in delectu? De cæcitate autẽ diuitia-

diuitiarum, Plutus diuitiarum Deus, apud Ariſtophanem rogatus, vnde cæcitatis malũ obtigiſſet, reſpondit ad hunc modum: Hoc me malo mulctauit ipſe Iupiter, Rebus videlicet inuidens mortalium: Nam olim puer minabar id fore, vt ad probos, doctos, modeſtos tantùm adirem : at Iupiter oculos in hoc ademit, vt ne quempiam horum liceret iam mihi dinoſcere.

Adeò bonæ ille fugis inuidet viris. Quem locum Lucianus in Timone imitatus, Plutum cæcum & claudum facit. Cæcum quidem ſemper: claudicantem verò, quoties ad bonos viros mittitur, alias pedibus perniciſſimis.

Hæc illi poëticè philoſophiceque coniectârũt: Nobis veritas patefecit, quod non Iupiter ipſorum, ex inuidia erga bonos hoc faciat, nec caſu, vel temerè iſta eueniant; ſed à vero Iehoua noſtro, omnia in rebus mortalibus ſapientiſſimè diſponantur & gubernentur ad ſalutem & ad gloriam ſingulorum.

QVAESTIO.

Herculei labores quid deſignent?

RESPONSIO

Adagium hoc bifariam accipitur, partim de laboribus immenſis: qui vires deſiderent Herculanas: partim, de laboribus qui alijs quidem maximas commoditates afferunt, cæterum authori ſuo nihil fermè fructus adducunt, præter aliquantulũ famæ plurimum inuidiæ. Hercules cum omnia fortiter ſuperaſſet, hydram Lernæam quaſi inexpugnabilem reperit. Cuius ſymbolo veteres inuidiam exprimere voluiſſe indicat Horatius in epiſtolis:
Diram qui contulit hydram,

Notaq́, fatali portenta labore ſubegit,
Comperit inuidiam ſupremo fine domandam.

Solet iſta teterrima peſtis pulcherrimorũ facinorum eſſe comes:eximiamque virtutem non aliter, quàm vmbra corpus aſſequi. Et rem optimam res peſſima comitatur, Præclaraque facta ferè inuidiæ premio penſantur.Inuidiam ſuperare,vix ipſiHerculi contigit.Etſi enim liuor velut ignis alta petit:eſt tamen omnino aliquid vſque adeò perfectum & illuſtre,vt eò non poſſit attingere. Quo loci perueniſſe ſe Horatius gloriatur cum ait:
-Inuidiaq́ maior.

Et.

Etiam dente minus mordeor inuidiæ

Quod gentilium fabulæ ſub Herculis ænigmate ſignificârunt,idem Hebræorum hiſtoria ſub Ioſeph inuolucro innuit. Quod is rectè factis fauorem patris emeruit, & Germanorum in ſe inuidiam concitauit.Sed Diuini Numinis fauore, & benefactorum magnitudine conſecutus eſt, vt inuidiam obrueret, & eoſdem aliquando ſupplices haberet, quos antea pertulerat æmulos : ſeque iam illi vitam debere faterentur cuius vitæ pridẽ tetenderant inſidias.

QVAESTIO.

Quid ſint Sileni Alcibiadis?

QVAESTIO.

Adagium accipitur de re,quæ prima,quod aiunt fronte vilis & ridicula videtur, tamen interius ac penitius contemplanti, fit admirabilis. Vel de homine qui habitu,vultu, ſermone, moribus minus

nus

nus præ ſe fert, indoctus contemptibiliſque apparet, quàm in animo claudat, & re vera ineſt. Sicut aliqui ſapientes habiti ſunt, quod nihil ſcientiæ venditabant.

QVAESTIO.

Quid ſit, aurum Tholoſanum habet?

RESPONSIO.

Hoc prouerbium de hominibus calamitoſis ortum, diciq́ue ſolitum eſt. Nam cum oppidum Tholoſanum in Gallia, Q. Cepio conſul diripuiſſet, multumq́ue auri ex tẽplis abſtuliſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabiliq́ue exitu perijt: ipſeque conſul ex ditiſſimo pauperrimus euaſit.

Non abſimile eſt huic aliud Adagium: Equum Seianum habet. Qui equus omnibus equorum laudibus longè præſtitiſſe legitur: ſed eundem tali fato extitiſſe ferunt, vt quiſquis eum haberet, cum omni domo, familia, fortuniſque deperiret.

Concordat aliud adagium: Muſtelam habes, cui omnia ſunt inauſpicata, tamquam fatis atque dijs iratis. Muſtelæ occurſus, & nomen, præſertim in venatione, infelix habetur: infauſtumq́ue malum, qui domi alunt.

Antiochus Rex templum Hieroſolymitanum ſpoliârat: ſed hanc iniuriam Deus ita vltus eſt, vt ſcelus ſuum Antiochus agnoſceret, & omnia cum fœnore reſtituturum, deniqueIudæum ſe futurum promitteret.

Quid BalthaſariRegi Babyloniæ acciderit, quod res ſacras ꝓfanaret, hiſtoriaDanielis reſtatur. Gneus Pōpeius & M. Craſſus, cũ antè fœliciſſimi fuiſſent, poſt ꝓfanatũ & ſpoliatũ tẽplũ Hieroſolymit.

miſerabiles exitus habuerit.

Multos viros nobiles propter ſacrilegia fuiſſe à vermibus conſumptos narrat Sozomenus.

De Clodoueio 2. Gallorum Rege refert Io. Tilius in Chronicis Galliæ, inſanum euaſiſſe, quod fanum S. Dionyſij ſpoliaſſet, ſub prætextu, quod pauperibus erogare vellet.

QVAESTIO.

Prandium Caninum quodnam dicatur?

RESPONSIO.

Gellius l. 13. c. 29. Prandium abſtemium, in quo nil vini potatur: caninum appellârunt, quoniam canis vino caret.

QVAESTIO.

Induciæ quid ſint?

RESPONSIO.

Gellius l. 1. c. 25. M. Varro: Induciæ, inquit, ſunt pax caſtrẽſis paucorum dierum. vel: ſunt belli feriæ. Alij: Ceſſationem pugnæ pactitiam dixerunt. Facto, vt videtur, nomine quaſi initus, & introitus.

QVAESTIO.

Ira ex quibus ſignis cognoſcatur?

RESPONSIO.

Gellius l. 1. c. vlt. Oculi truces, os turbidum, inconditus clamor, in ſpumam ruboremque efferueſcentia, pudendus aut pœnitendus ſermo, trepidatioque, ſigna irarũ eſſe ſolent.

QVAESTIO.

Vtrum reip. expediat, vnus vt duas vxores habeat: An vt vna apud duos nupta eſſet?

RESPONSIO.

Gellius l. 1. c. 23. Papyrij prætextati mater, cæteræque matronæ Romanæ lacrymantes & obſecrantes Senatum Romæ

Romæ orabant: vna potius vt duobus nupta eſſet, quam vni duæ.

QVAESTIO.

Quare Socrates Xantippen vxorem moroſam, & iurgioſam, irarumque & moleſtiarum muliebrium per diem, perque noctem ſcatentem, domo adeò acerbam mulierem non exigeret?

RESPONSIO SOCRATIS.

Cum Xantippem domi talem perpetior, inſueſco & exerceor, vt cæterorum quoque foris petulantiam & iniuriam faciliùs feram. *Gellius l. 1. c. 17.*

In eandem ſententiam Varro in ſatyra Menippæa, quā de officio mariti ſcripſit: Vitium, inquit, vxoris aut tollēdum, aut ferendum eſt. Qui tollit vitium, vxorem commodiorem præſtat: qui fert, ſeſe meliorem facit. Si tolli aut corrigi non poteſt ferendum eſt.

QVAESTIO.

Quando moriatur homo?

RESPONSIO.

Quidam putauerunt hominem tunc mori, cū adhuc in vita foret: alij, cum iam in morte eſſet. Plato neque vitę id tempus, neque morti dedit, ſed aliud quoddam nouū in confinio tempus expreſſit, quod verbis proprijs atq; integris τὴν ἐξαίφνης φύσιν, repentinam naturam, appellauit. *Gellius l. 6. c. 13.*

Ariſtoteles autem, libro 4. phyſicorum, in momento hominem mori ait. Nam de tempore nil præter momentum habemus.

QVAESTIO.

Ventorum quæ ſint regiones & nomina?

RESPONSIO.

Gellius l. 2. c. 22.

Satis inquit Phauorinus notum eſt, limites regioneſque cœli eſſe quatuor, ex quibus venti oriuntur, quos ſuis quæque hominum natio nominibus appellauit.

QVAESTIO.

Colorum quæ ſint facies & appellationes?

RESPONSIO.

Gellius l. 2. c. 26.

Plura, inquit Phauorinus, in ſenſibus oculorũ, quàm in verbis, vocibuſque colorum diſcrimina ſunt, eamq́ue vocum inopiam, in lingua magis latina video, quàm in Græca. Quo fit, vt plures colores diuerſos vno vocabulo exprimere cogamur.

QVAESTIO.

Auaritia quomodo corpus & animum virilem effœminare dicatur Saluſtio?

RESPONSIO.

Gellius 3. c. 1.

Quos auaritia minuit atque corrumpit, quiq́ue ſe quærendæ vndique pecuniæ dediderunt, omnis eorum vigor animi corporiſque langueſcit, vt neque virtutis, neque valetudinis curam gerant: ſed nihil aliud, quàm pecuniam, curent.

QVAESTIO

Quæ ſit numeri ſeptenarij vis, & facultas?

RESPONSIO.

Gellius l. 3. c. 10.

M. Varro primo libro qui inſcribuntur hebdomades, Septenarij numeri, quem Græci ἑβδομάδα appellant, virtutes poteſtateſq́ue multas & varias dicit.

Is namq́ue Septentriones maiores minoreſq́ue facit in cœlo, & Stellas quæ πλειάδας, & quæ erraticæ vocantur. Nec ipſe Zodiacus Septenario numero caret. Lunæque curriculum confici integrum

grum quater Septenis, ſiue 28. diebus. Ad homines quoque naſcendos vim numeri iſtius pertinere ait. Nam cum in vterum mulieris genitale ſemen datum eſt, primis ſeptem diebus conglobari, coagularique, & ad capiendam figuram idoneum euadere: ſeptima verò hebdomade, ſiue 49. die, totum hominem in vtero abſolui: ante menſem ſeptimum neque maſculum neque fœminam ſalubriter, & ſecundum naturam naſci poſſe: pericula quoque vitæ, & fortunarum hominum, quæ Climaſteros Chaldæi appellant, grauiſſima quæque fieri affirmat ſeptenarijs. Septem opera eſſe in orbe miranda: ſeptem etiam ſapientes apud veteres extitiſſe.

QVAESTIO.

Annulũ in eo digito cur geſtârint Græci & Romani qui eſt in manu ſiniſtra minimo proximus?

RESPONSIO APPIONIS.

Quod inſectis apertiſque humanis corporibus repertum ſit, neruum quẽdam tenuiſſimum ab eo vno digito, ad cor hominis peruenire: eum igitur digitum honorari placuit, qui cõnexus cum principatu cordis videretur. Gellius l.10. c.10.

QVAESTIO.

Quodnam ſit officium Iudicis?

RESPONSIO PHAVORINI.

Diſceptatio iſta eſt multiiugæ & ſinuoſæ quæſtionis, multaque & anxia cura, & circumſpicientia indigentia paſſim apud Doctores de officio Iudicis ediſſerta reperiuntur, & nos in tractatu de iuſtitia, & ad quæſtiones Ptolomæi pleraque annotauimus. Gellius l.14 c.2.

QVAESTIO

Qua forma iuſtitia depingatur?

RESPONSIO.

Gellius l. 14 c. 14. Condignè me Herculè, & condecorè Chryſippus in librorum, qui inſcribuntur, περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, primo, os & oculos iuſtitiæ, vultumq; eius ſeueris atque venerandis verborum coloribus depinxit. Facit quippe imaginem iuſtitiæ, fieriq́ue ſolitam eſſe dicit à pictoribus Rhetoribuſque antiquioribus, ad hunc fermè modum: Forma atque filo virginali, aſpectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate. Ex imaginis autẽ iſtius ſignificatione intelligi voluit, iudicem, qui iuſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe grauem, ſanctum, ſeuerum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocenteſque immiſericordem, atque inexorabilem, erectumq́ue, & arduum, ac potentem, vi & maieſtate æquitatis veritatiſque terrificum.

QVAESTIO.

Senectus quomodo tractanda?

RESPONSIO.

Gellius l. 2. c. 15. Apud antiquiſſimos Romanorum neque generi neque pecuniæ præſtantior honos tribui, quàm ætati ſolitus: maioreſq; natu à minoribus celebrabãtur, ad Deũ prope & parentum vicem, atque omni loco, inque omni ſpecie honoris priores potioreſque habiti. A conuiuio quoque, (vt ſcriptũ eſt in antiquitatibus) ſeniores à minoribus domũ reducebantur: eumq́ue morem accepiſſe Romanos à Lacedæmonijs traditum eſt: apud quos Lycurgi

curgi

Lycurgi legibus maior rerum omniū honos maiori ætati habebatur.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat.

QVAESTIO.

Quidnam in recepto mandato foret rectius: idne omnino facere, quod mandatum eſt, an nonnūquam etiam contra, ſi id ſperes ei, qui mādauit, vtilius fore?

RESPONSIO.

Anceps quæſtio, & in vtramque partem à prudentibus viris arbitrata eſt. Sunt enim non pauci, qui ſententiam ſuam vna in parte defixerunt, vt re ſemel ſtatuta, deliberataque ab eo, cuius negotium id potiſſimum eſſet, nequaquam putauerint contra dictum eius eſſe faciendum, etiamſi repentinus aliquis caſus, rem commodius agi poſſe polliceretur: ne, ſi ſpes fefelliſſet, culpa impatientiæ, & pœna indeprecabilis ſubeunda eſſet: ſi res fortè melius vertiſſet, dijs quidem gratiam habendam: Sed exemplum tamen intromiſſum videretur, quo benè conſulta conſilia, religione mandati ſoluta, corrumperentur. Alij exiſtimauerunt, incommoda prius, quæ metuenda eſſent, ſi res geſta aliter foret, quàm imperatum eſt, cum emolumento ſpei penſitanda eſſe. Et ſi ea leuiora, minoraque, vtilitas autem contrà grauior, & amplior, ſpe quantum poteſt firma oſtenderetur: tum poſſe aduerſum mandata fieri, cenſuerunt: ne oblata diuinitus rei benè gerendæ occaſio amitteretur. Neque timendum exemplum non parendi tradiderunt, ſi rationes huiuſcemodi duntaxat non adeſſent. Cū primis

mis autem reſpiciendum putauerunt ingenium naturamque illius, cuius ea res, præceptumque eſſet: ne ferox, durus, indomitus, inexorabiliſque ſit. Qualia fuerunt Poſthumiana imperia, & Manliana: Nam ſi tali præceptori ratio reddenda ſit, nihil faciendum eſſe monuerunt aliter, quã præceptum eſt.

Inſtructius deliberatiuſque fore arbitramur, theorematium hoc de mandatis huiuſcemodi obſequendis, ſi exemplum quoque P. Craſſi Mutiani clari ac inclyti viri appoſuerimus: Is cum in conſulatu obtineret Aſiam prouinciam, & circumſedere oppugnareque Leucas oppidum pararet, opuſque eſſet firma ac procera trabe, ex qua arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret: ſcripſit ad magiſtrum ἀρχιτέκτωνα molis Atheniẽſium, ſociorum amicorumq; populi Romani, vt ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, vter maior eſſet, eum mittendum curaret. Tum magiſter ἀρχιτέκτων comperto, quamobrem malum deſideraret, non, vti iuſſus erat, maiorem, ſed quem eſſe magis idoneum aptioremque faciendo arieti, faciliorẽque portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari iuſſit, & cum interrogaſſet, cur non quẽ iuſſerat miſiſſet, cauſſis, rationibuſq; quas dictitabat, ſpretis, veſtimenta detrahi imperauit, virgiſque nudum cæcidit: corrumpi atque diſſolui officium omne imperantis ratus, ſi quid ad id, quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondeat.

Valerius Maximus quæ dicantur imperia Poſthumiana libro 2. cap. de diſciplina militari oſten-

dit

dit. Narrat enim Poſthumium Tiburtium tam fuiſſe ſeuerum, vt filium ſuum fortiſſimum adoleſcentem, propterea quod præter iuſſum cum hoſte conflixerat, ſecuri occiderit. Et Liuius libro octauo ab vrbe cond. ſimile quiddam de Lucio Manlio, Romanorum Imperatore refert: nempe eius filium, eumque vnicum propterea ſecuri percuſſum, quod Genutio cum hoſte extra ordinem, contra patris edictum, fœliciter pugnaſſet.

QVAESTIO.

Patris iuſſis filio an ſemper obſequendum ſit?

RESPONSIO.

Quidam officiorum ſcriptores: Nihil aiunt neceſſe eſt patris iuſſis obtemperare. Nam aut rectè, inquiunt, imperat pater, aut perperam. Si rectè, non quia pater imperat parendum, quoniam id fieri Ius eſt, faciendum: ſi perperam, nequaquam faciendum, quod fieri non oportet. Nunquam ergo patri parendũ in ijs, quæ imperat concludũt. Sed eorum argutiola prudentioribus friuola & inanis putata fuit. Neque illorum opinio vera probaque videri poteſt, qui aſſerunt: In omnibus quæ iuſſerit pater obtemperandum. Quid enim ſi patriæ proditionem, ſi matris necem, ſi alia quædam imperârit turpia, vel impia, ea filio perficienda erunt? Media igitur ſententia optima tutiſſimaque viſa eſt. Vt in his quæ nec impia nec inhoneſta, nec turpia ſunt, patri filius obtemperare debeat: in alijs quæ obſequi non oportet, *Gellius l. 2. c. 7.*

leuiter

leniter &verecundè,ac ſine deteſtatione nimia,ſine opprobratione acerba reprehenſionis declinãda potius ſenſim,& relinquenda eſſe,quàm reſpuenda.

QVAESTIO.

Patremne priuatum filius magiſtratum gerens in ſedendo diſcumbendoque præcedere debeat?

RESPONSIO TAVRI.

Gellius l. 2. c. 2. In publicis locis,& muneribus, atque actionibus, patrum iura cum filiorum, qui in magiſtratu ſunt,poteſtatibus collata, interquieſcere paululũ, & conniuere: ſed cum extra rempublicam, in domeſtica re,atque vita ſedeatur,ambuletur, in conuiuio quoque familiari diſcumbatur,tum inter filij magiſtratum, & patrem priuatum, publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri. Hoc igitur, inquit,quod ad me veniſtis, quod colloquimur nunc,quod de officijs diſceptamus, priuata actio eſt. Itaque vtere apud me ijs honoribus prius,quibus domi quoque veſtræ te vti priorem decet. Hæc atque alia in eandem ſententiam Taurus grauiter ſimul & comiter diſſeruit.

Addit Gellius exemplum, quo filio conſuli obuiam factus pater proconſul equo deſcendere noluit,nec lictores audebant,vt deſcenderet,iubere: donec filius conſul mandaret lictori: Deſcendere iube. Pater Imperio paret, & filium collaudauit; cum Imperium,quod populi eſſet,retineret.

QVAESTIO.

In diſcordia ciuium, an alteri parti omnes ſe adiungere cogantur?

RE-

RESPONSIO.

Solon Athenienſibus legem ſcripſerat:Si ob diſcordiam,diſſenſionemq́ue ſeditio populi in duas partes fieret,tum qui ſe non alterutri parti adiunxiſſet,aut à communi malo ſeceſſiſſet,is domo, patria,fortuniſque omnibus careto,exul extorriſque eſto. Non ad augendam,ſed definendam ſeditionẽ lex iſta lata fuit.Namſi boni homines,qui in principio coërcendæ ſeditionis impares fuerint, populumq́ue percitum & amentem non deterruerint,ad alterutram partem diuiſi ſeſe adiunxerint tum eueniet,vt cum ſocij partis ſeorſim vtriuſque fuerint,eæque partes ab ijs,vt maioris authoritatis viris,temperari, ac regi cœperint,concordia per eos potiſſimum reſtitui conciliariq́ue poſſit, dum & ſuos,apud quos ſunt,regunt,atque mitificant,& aduerſarios ſeruatos magis cupiunt, quàm perditos.Hoc idemPhauorinus Phyloſophus inter fratres quoque aut amicos diſſidentes oportere fieri cenſebat:vt qui in medio ſunt vtriuſque partis beneuoli, ſi in concordia admittenda parum authoritatis,quaſi ambigui amici,habuerint, tum alter in alteram partem diſcedat:ac per id meritum viã ſibi ad vtriuſque concordiam muniat.

Nunc autem plerique(inquit) partis vtriuſque amici,quæ ſi probè faciant, duos litigantes deſtituunt,& relinquunt, deduntq; eos aduocatis maleuolis,aut auaris, qui lites animaſque eorum inflamment,aut odij ſtudio,aut lucri.

Senenſes à bello Italico medij extiterant,in neutram partem inclinantes,poſtea ſedato bello, diuerſorum militum præda eſſe cœperunt.Alphonſus

ſus ergo Rex Senenſibus eueniſſe aiebat, quod his ſolet, qui mediam domum incolunt, vt ab inferioribus fumo, à ſupremè habitantibus vrina vexentur. Panor. lib. 4.

QVAESTIONES VETERIBVS Philoſophis propoſitæ, ad quas illi congruè reſponderunt.

THALETIS MILESII.

Laertius in vita.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quid ſit Deus?	Quod initio & fine caret.
Quiſnam ſit fœlix:	Qui corpore ſanus, fortuna lócuples, animo nõ ignauus, neque imperitus eſt.
Vtrum prius fuiſſet nox an dies?	Nox vna prius die.
Lateretne Deos homo male agens?	Ne cogitans quidem.
Quidnam eſſet difficile?	Seipſum noſſe.
Quid facile?	Ab alio moneri.
Quid ſuauiſſimum?	Frui.
Quid difficile?	Vidiſſe Tyrannum Senẽ.
Quò pacto aduerſæ fortunæ impetus quis ferat facillimè.	Si inimicos videat deterius affectos.
Quomodo optimè ſanctiſſimeque viuemus?	Si quæ in alijs reprehendimus, ipſi non faciamus.
Liceatne adultero iurare non commiſiſſe adulterium?	Non eſt periurium adulterio deterius.

BI-

BIANTIS PRIENAEI.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quidnam eſſet difficile?	Ferre mutationem rerũ in deterius fortiter.
Quid ſit dulce hominibus?	Spes.

ANACHARSIS SCHYTHAE.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quo pacto quis abſtemius fieret?	Si turpes ebrioſorũ motus ſibi ante oculos ponat.
Quid eſſet hominibus bonum ac malum?	Lingua.
Quæ eſſet ſecuriſſima nauis?	Quæ in portum venerit.

ANAXAGORAE.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Cuius rei cauſa natus eſſet.	Inſpiciendi cœli, ſolis, & lunæ, Nec moleſtè ferendum, ſi extra patriá moreretur: quod idem vndiq; in infernum deſcenſus eſſet.
Quænam ſit Iuuenum virtus?	Nihil nimis.
Vtrum melius eſſet vxorem ducere nec ne?	Vtrumuis horum egeris, pœnitentia duceris.

ARISTIPPI.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quid differant docti ab indoctis?	Quod domiti equi ab indomitis.

Cum

	Cum melius ſit mendicũ eſſe, quàm indoctum: Illic enim pecunia, hic humanitate indigetur.
In quo melior euaſurus eſſet fili⁹ ſi erudiretur?	Etſi nulla alia in re, certè vel in theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem.
Quid ſapiens differat ab inſipiente?	Mitte ambos nudos ad ignotos & diſces.
Quid habeant eximium Philoſophi?	Si omnes leges intereant æquabiliter nihilominus viuemus.

MENEDEMI.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
An adhuc patrem cædere deſiſſet:	Neque cæcidi, neq; deſij.
	Addente illo : oportere ambiguitatem ſolui, ita, vel non dicendo. Ridiculum, inquit, eſt veſtras leges ſequi, cum liceat in portis reluctari, & contra niti.

ARCOSILAI.

QVAESTIO.	*RESPONSIO.*
Cur ex diſcipulis alijs plerique ad ſectam Epi-	Quia ex viris quidem Galli fiunt, ex Gallis viri

cuream tranſirent, ex Epicureis nullus ſe ad ceteras conferret?	viri nunquam.

ARISTOTELIS.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quidnam mendaces lucrarentur?	Vt cum vera dixerint nō illis credatur.
Quidnam citò conſeneſceret?	Gratia.
Quid ſit ſpes?	Vigilantis inſomnium.
Quo differrent docti ab indoctis?	Quod viuentes à mortuis.
Quid ex philoſophia lucratus fuiſſet.	Vt iniuſſus ea faciā, quæ plerique per legū metum faciunt.
Quo pacto diſcipuli egregiè proficerent?	Si excellentiores proſequentes tardiores non morentur.
Quid ſit amicus?	Vna anima in duob⁹ corporibus habitans.
Erga amicos quales eſſe debeamus?	Quales erga nos eſſe optamus.

ANTISTENIS.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quid futuro philoſopho neceſſarium eſſet?	Opus inquit eſt nouo libro, nouaque tabula, animum ſignificans.
Cuiuſmodi vxorem duceret?	Si formoſam duxeris, communem habiturus es, ſi deformem, pœnam.
Cur paucos haberet diſcipulos.	Quod argentea eos virga eijcio.

Cur in diſcipulos ſeuerior eſſet?	Vt medici in languidos.
Quidnam apud homines eſſet beatiſſimum;	Felicem mori.
Quænam eſſet diſciplina magis neceſſaria?	Mala dediſcere.
Quid ex philoſophia lucratus eſſet?	Mecum colloqui poſſe.
Quidnam faciendo bonus & honeſtus euaderet?	Si mala quæ habes ab ijs, qui nouerunt, didiceris eſſe fugienda.

DIOGENIS.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Qua hora prandere oporteret?	Si diues quando vult, ſi pauper cum poteſt.
Cur homines mendicis largirentur, non philoſophis?	Quia claudi & cæci potius fieri, quàm philoſophi euadere ſperant.
Quid eſſet?	Mundanus.
Quid ex philoſophia lucratus fuiſſet?	Etſi nihil aliud, vel hoc ipſum, quod ad omnem fortunam paratus ſum.

ZENONIS CITTAEI.

QVAESTIONES.	*RESPONSIONES.*
Quis eſſet amicus?	Alter ego.
Quo eſſet animo aduerſus maledicta?	Veluti ſi legatus abſque reſponſo remittatur.
Cur ſeuerus cum eſſet, in conuiuio tamen hilareſcat?	At lupini cũ ſint amari, in conuiuio tamen hilareſcunt.

QVAE-

QVAESTIO ROMVLI PRIMI Romanorum Regis.

Quomodo Regnum ineundum ſit?

RESPONSIO.

Nemo Regnum, vel magiſtratum ineat inauſpicato. *Pomp. læt. de magiſtr. Ro. c. 1.*

Quæ ſententia inter leges Romuli relata fuit his verbis:

Ne quid inauſpicato publicè gerunto.

Ipſeque Romulus, vt maior illius authoritas eſſet, ſuum ipſius imperium per auſpicia confirmari voluit. Nam ſicut Imperium ipſum, eiuſdemque recta adminiſtratio, ſalus, & tranquillitas à ſolo Deo proficiſcitur: ſic etiam à Deo ligitimè vocati electiúe Magiſtratus, fœliciter & tranquillè imperare ſolent. Contrà verò qui ſeipſos intrudunt, aut fraudulenter id aſſequuntur, infœlix, aut turbulentum ferè Imperium reddidiſſe leguntur. Vnde Vopiſcus in Tacito: Diſcant, qui regnare cupiunt, non rapere, ſed mereri Imperia.

QVAESTIO.

Quomodo conſeruetur, & propagetur Imperium?

RESPONSIO ROMVLI.

Per virtutem & concordiam. Sic enim futurum prædixit Proculo in Colle Quirinali, vt Romani omnium gentium domini euaderent. Facit enim virtus, vt Reſp. multis legibus & præſidijs externis non indigeat. Qua, prudentiſſimo illo Catone teſte, Romanum Imperium ex paruo in immenſum excreuit. *Plinius de vir. illuſtr. c. 2.*

Domi induſtria, foris iuſtum Imperium, animus

in conſulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius.

QVAESTIO.

Vini quis ſit vſus, maximè principibus?

RESPONSIO.

Gellius l. 11. c. 41. Romulus Rex ad cænam vocatus, parum bibebat, quia poſtridie negotium habebat. Dicebant ergo: Romule, ſi iſthuc omnes homines faciant, vinum vilius ſit. Immo verò reſpondit, carum: ſi quantum quiſque volet bibat: Nam ego bibi, quantum volui.

Ptolom. q 70. Gellius l. 10 c. 23. Mulieres tam à Iudice mulctatas Romæ, ſi vinū bibiſſent, quàm ſi probrum, vel adulterium commiſiſſent, refert Cato,

Romuli decima lex erat:

Mulier temetum ne bibito.

QVAESTIO.

Doliſne, & proditione hoſtem ſuperare conueniat?

RESPONSIO CONSVLVM ROM. AD Pyrrhum Regem.

Conſules Romani ſalutem dicunt Pyrrho Regi.

Gellius l. 3. c. 8. Nos pro tuis iniurijs continuò animo ſtrenui commoti, inimiciter tecum bellare ſtudemus. Sed communis exempli & fidei ergo, viſum eſt, vti te ſaluum velimus, vt eſſet, quem armis vincere poſſimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui ſibi pretium à nobis peteret, ſi te clàm interfeciſſet. Id nos negauimus velle: neue ob eam rem quicquam commodi expectaret: & ſimul viſum eſt, vt te certiorem faceremus, ne quid eiuſmodi, ſi accidiſſet,

noſtro

noſtro conſilio ciuitates putarent factum: & quod nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis tecum pugnare. Tu niſi caueas, iacebis.

QVAESTIO.

Deceatne Principem ipſum reſpondere legatis & ſubditis?

RESPONSIO.

Mithridates Ponti & Bithiniæ Rex inclytus, qui à Gneo Pompeio bello ſuperatus eſt, duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris, haud vnquam per interpretem locutus eſt: ſed vt quemquam ab eo appellari vſus fuit: perinde lingua & oratione ipſius non minus ſcitè, quàm ſi gentilis eius eſſet, locutus eſt. *Gellius lib. 17 c. 17.*

QVAESTIO.

Qualis Imperator & Princeps eligendus ſit?

RESPONSIO.

Ad Tacitum Imperatorem electum, per ſeniorem ætatem ſe excuſare volentem, Senatus Romanus reſpondit: Tacite Auguſte, Dij te ſeruent, te diligimus, te Principem facimus, tibi curam Reipub. orbiſque mandamus: ſuſcipe Imperium ex ſenatus authoritate, tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis, quod mereris, Princeps ſenatus rectè creatur: primæ ſententiæ vir, rectè Imperator creatur. Et quis melius, quàm grauis imperat? quis melius, quam literatus imperat? & quod bonum, fauſtum, ſalutareque ſit, diu priuatus fuiſti, ſcis quomodo debeas imperare, qui alios principes pertuliſti: ſcis quemadmodum debeas imperare, qui de alijs prin- *Vopiſcus in Tacito.*

cipibus iudicaſti. Et Traianus ſenex ad Imperium venit, dixerunt decies. Et Adrianus ſenex ad Imperium venit: dixerunt decies. Et Antoninus ad Imperium ſenex venit, dixerunt decies. Et tu legiſti Incanaque menta Regis Romani, dixerunt decies. Et quis melius quàm ſenex imperat? dixerunt decies. Imperatorem te, non militem fecimus, dixerunt vicies. Tu iube, milites pugnent: habes prudẽtiã & bonũ fratrẽ. Seuer⁹ dixit: Caput imperare, nõ pedes. Animũ tuũ, nõ pedes eligim⁹, dixerũt vicies. Dij te ſeruent. Senator Conſularis Falconius dixit: Seniorem principem fecimus, & virum qui omnibus quaſi pater conſulat: Nihil ab hoc immaturũ, nihil properum, nihil aſperum formidandum, omnia ſeria, cũcta grauia, & quaſi ipſa Reſp. iubeat auguranda ſunt. Scit namque, qualem ſibi ſemper principem optârit: nec poteſt alium nobis exhibere, quàm ipſe deſiderauit, & voluit. Dij auertant Principes pueros, & patres patriæ impuberes dici, & quibus ad ſcribendum magiſtri literarum manus teneant, quos ad conſulatus dandos dulcia, & circuli, & quæcunque voluptas pueriliis inuitet.

Quæ, malum, ratio eſt, habere Imperatorem qui famam curare non nouerit? qui quid ſit Reſpublica neſciat? Nutritorem timeat, reſpiciat ad nutricem, magnorum Magiſtratuum ictibus, terrorique ſubiacet, faciat eos conſules, duces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, geſta non nôrit.

Magis ergò gratulemur quod habem⁹ principẽ ſenem, quàm illa iteremus, quæ plus quam lachrymando, ſub Neronibus, Heliogabalis, & Commo-

dis

dis iuuenibus extiterunt. Tacitus ſenex hactenus ſententijs ſuis Remp.iuuit:nunc iuuet iuſſis atque conſultis.Ingens eſt gloria principis Remp.magis amare, quàm filios. Acclamatúmque eſt à populo fœliciſſime Tacite Auguſte,Dij te ſeruent, & reliqua,quæ ſolent dici.

In Alexandro Seuero ſcribit Lampridius, quod ille ſuffragante vita, eruditione, & moribus imperator factus ſit.

Plura ſimilia vide in Papyrio Maſſono lib.6.de geſtis Romanorum Pontificum,in Innocẽtio VIII. Et Ptolomæi Philadelphi quæſtione 71.

QVAESTIO AVGVSTI CAESARIS.

Quis poſt ipſum Rom. Imperium adminiſtraturus eſſet?

RESPONSIO ORACVLI APOLLinis.

Cum Auguſtus ad Oraculum Pythij Apollinis profectus,ſacrificium omnium maximum, quod Hecatombe dicebatur, obtuliſſet, dæmon primò obmutuit:Cæſar ergo alterum ſacrificium adiecit, denuoq;ue rogauit: Quid oraculum pluribus verbis vti ſolitum, ita obſtupuiſſet? tunc Cæſari reſponſum fuit:

Me puer Hebræus,Diuos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet,triſtemq; redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitis abſcedito noſtris.

Extruxit ergo Cæſar Romæ aram maximam cũ hac inſcriptione.Ara primogeniti Dei.Suidas,Nicephorus,Calixtus lib.1.c.17.Hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Xiſtus Senenſis Bibliothecæ ſanctæ lib.2.in Octauio.

QVAESTIO AVGVSTI CAESARIS Ad Sybillam.

Vtrum diuinos honores à S.P.Q.R. oblatos recipere deberet?

RESPONSIO SYBILLAE.

Prudens virgo, vt à tali impietate Cæſarem deterreret, clara luce nuper natum Regem Iudæorũ, in brachijs genetricis ſolùm adorandum demonſtraſſe fertur. Auguſtus ergo iſtos diuinos honores repudiauit, locumque iſtum conſecratum, aram cœli nuncupauit. Nec diuinos tantũ honores: ſed Domini quoque nomen Auguſtus abhorruit, authore Tranquillo, Relatumq́; eſt ab Oroſio, eo die quo natus eſt Chriſtus, Auguſtum vetuiſſe, nè quis poſthac Dominus vocaretur. Domini enim nomẽ Chriſto egregiè conuenit. Diuinauit ergo Cæſar verum principem orbis terrarum ac mundi totius natum eſſe. Voluit quoque vt in orbe Romano omnium hominum capita cenſu notarentur: ac ſi maiori principi rationem gubernati Imperij aliquando redditurus eſſet. Huic autem cenſui ex ſenatuſconſulto præfecit Quirinum virum conſularem. Platina in D.N. Ieſu Chriſto.

ADRIANI AVGVSTI QVAESTIOnes cum reſponſionibus ſecundi Philoſophi, ex chronicis Martinianis.

Secundus Philoſophus ſilentiarius, & Pythagoreus, audiuit aliquando in ſcholis: Quod omnis mulier eſſet fornicaria & impudica. Reuerſus domum

mum habitu philoſophico,baculo,pera, coma, & barba,nemo illum agnouit,ne mater quidem. Volens igitur cognoſcere, an verum eſſet, quod in ſcholis audierat,de impudicitia mulierum,interpellauit ancillam decem aureis, vt ſibi aditum ad matrem præpararet. Mater conſenſit, & veſperi iubet Secundum admitti. Ille tota nocte inter vbera matris placidè obdormiuit.Mane cum vellet egredi,illa apprehendens eum,ait: Vt me tentares hæc feciſti? Nequaquam,inquit, domina mater. Neq; enim dignum eſt,me vas illud maculare,vnde exiui.Illa ergo ſciſcitante,quiſnam eſſet?reſpōdit:Ego ſum Secundus filius tuus. Illa præ confuſione examinata eſt. Secundus videns quod per ſuam loquelam mater extincta eſſet: hanc à ſe pœnam exegit, ne amplius loqueretur, & ad finem vitam ſilentium conſeruauit. Veniens tandem Athenas Adrianus, Secundum aduocans, ſalutauit.Secundus cum taceret, Loquere philoſophe, dicit Adrianus,vt aliquid diſcamus ex te.Illo nihilominus tacente, Vocatus eſt Spiculator, vt nolenti reſpondere Imperatori caput amputaret. Cui tamen mandauit Imperator, Loquere ei in via,& perſuade vt loquatur.Si locutus fuerit occide,ſi tacuerit reduc ad me. Ille à Spiculatore ductus ad locum ſupplicij. Spiculator eum affatur: Quare tacens morieris?loquere,&viues.Secundus ſilentium vitæ præferens,nudam ceruicem percutiendam obtulit. Reduxit illum Spiculator ad Adrianum, dicens:Secundum vſque ad mortem tacuiſſe. Adrianus conſtantiam philoſophi admiratus ait: Quia lex iſta ſilentij quam tibi ipſi propoſuiſti, nullo modo ſolui poteſt:accipe tabulam &

ſcribe vel ſaltem manu loquere. Accipiens tabulã ſcripſit:Ego quidem,ô Adriane,nihil te timeo: Me quidem occidere potes:ſed vocis meæ proferendæ nulla tibi poteſtas eſt. Ad quæ Adrianus: Benè excuſatus es: ſed quædam tibi problemata proponam,ad ea reſpondeas.

QVAESTIONES Adriani.	RESPONSIONES ſcriptæ Secundi.
Quid eſt mundus?	Inceſſabilis circuitus, æternus tenor.
Oceanus quid?	Mundi amplexus, hoſpitium fluuiorum,fons imbrium.
Deus quid?	Immortalis mens,incogitabilis inquiſitio, omnia continens.
Sol quid?	Cœli oculus, ſplendor ſine occaſu, diei ornatus, horarum diſtributor.
Luna quid?	Cœli purpura, ſolis æmula maleficiorum inimica,ſolamẽ iter agẽtiũ,præſagium tempeſtatum.
Terra?	Baſis cœli, meditullium mundi, fructuum mater, viuentium nutrix.
Homo?	Mens incarnata, phantaſma temporis,ſpeculator vitæ,tranſiens viator,anima laborioſa.

Flos

Pulchritudo?	Flos marcidus, carnalis fœlicitas, humana concupiſcentia.
Mulier?	Hominis confuſio, inſatiabilis beſtia, indeſinens pugna, continua ſollicitudo, viri incontinentis naufragium, humanum mancipiũ.
Amicus quid?	Deſiderabile nomen, infœlicitatis refugium, indeſinens fœlicitas, homo vix apparens.
Diuitiæ quid ſunt?	Auri pondus, curarum adminiſter, inſatiabilis inuidia, deſiderium inexplebile, inuiſa concupiſcentia.
Paupertas quid?	Odibile donũ, ſanitatis mater, curarum remotio, ſapientiæ inuẽtrix, abſq; ſollicitudine fœlicitas.
Senectus?	Optatum malum, ſpirãs mors.
Somnus?	Mortis imago, laborum quies, infirmantium votum, miſerorum deſiderium.
Vita?	Bonorum lætitia, miſerorum mæſtitia, expectatio mortis.
Mors?	Dominus æternus, diuitum pauor, pauperum

	deſiderium ineuitabilis euentus, latro hominum, fuga vitæ, reſolutio omnium.
Verbum?	Proditor animi.
Corpus?	Domicilium animæ.
Barba?	Diſcretio ſexus.
Cerebrum?	Cuſtos memoriæ
Frons?	Imago animi.
Oculi?	Duces corporis, vas lucis iudices animi.
Stomachus?	Ciborum coquus.
Pedes?	Mobile fundamentum.
Cor?	Receptaculum vitæ.
Iecur?	Cuſtodia caloris.
Ventus?	Aëris perturbatio, motus aquarum, ſiccitas terræ.
Quid non facit hominē laſſum?	Lucrum.

ADRIANI AVGVSTI QVAESTIOnes cum Reſponſionibus Epicteti.

QVAESTIO.	*RESPONSIO.*
Quid erit, nobis, ſi cinctum ſoluas, neque nudaberis ipſe? reſpice corpus, quo & doceri poſſis.	Epiſtola eſt.
Quid eſt epiſtola?	Tacitus nuncius.
Quid eſt pictura?	Veritas falſa.

Quare

Quare hoc dixiſti?	Videmus enim poma picta, aurum & argentū, & non eſt verum.
Quid eſt aurum?	Mancipium mortis.
Quid eſt argentum?	Inuidiæ locus.
Quid eſt ferrum?	Omnis artis inſtrumentum.
Quid eſt gladius?	Regimen caſtrorum.
Quid eſt gladiator?	Sine crimine homicida.
Qui ſani ægrotant?	Qui aliena negotia curant.
Qua ratione homo laſſus non fit?	Lucrum faciendo.
Amicitia quid eſt?	Concordia.
Longiſſimum quid?	Spes.
Spes quid eſt?	Vigilanti ſomnus, expectanti dubius euentus.
Quid eſt, quod videri nequit?	Alterius animus.
Qua re peccant homines?	Cupiditate.
Libertas quid?	Innocentia.
Regi & miſero quid cōmune?	Naſci & mori.
Optimum & peſſimum quid?	Verbum.
Quid eſt quod alijs placet, alijs non?	Vita.
Vita optima quæ?	Breuiſſima.
Certiſſimum quid?	Mors.
Mors quid eſt?	Perpetua ſecuritas, malorum finis.

Homo

Homo quid eſt?	Lucerna in vento poſita, loci hoſpes, legis imagō, calamitatis fabula mancipium mortis.
Fortuna quid eſt?	Vt matrona nobilis, quæ in ſeruos impingit.
Fortunæ quot ſunt?	Tres: Cæca quæ vbique impingit. Inſana, quæ citò dat & aufert. Surda quæ miſeros non audit.
Sol quid eſt?	Orbis ſplendor, tollens ponēſque diem, & horas determinans.
Luna quid?	Diei adiutrix, noctis oculus.
Stellæ quid?	Fata hominum.
Terra?	Cereris horreum, cellarium vitæ.
Mare?	Iter incertum.
Nauis?	Domus erratica, vbilibet hoſpitium.
Nauta quid?	Amator pelagi, firmi deſertor, contemptor vitæ & mortis, vndæ cliens.
Somnus quid eſt?	Mortis imago.
Nox quid?	Laboranti requies, graſſanti lucrum.
Venus cur nuda pingitur?	Nudi pingũtur amores, quibus nuda placet, nudos dimittat oportet.

Venus

Digitized by Google

Venus quare Vulcano nupta dicatur?	Oſtendit amorem ardore incendi.
Amor quid eſt?	Otioſi pectoris moleſtia in puero pudor, in virgine rubor, in fœmina furor, in iuuene ardor, in ſene riſus.
Deus quid eſt?	Qui omnia tenet.
Sacrificium?	Delibatio.
Regnum quid?	Pars Deorum.
Cæſar quid?	Publicæ lucis caput.
Senatus quid?	Ornamentum vrbis, ciuium ſplendor.
Miles.	Murus Imperij, defenſor patriæ, poteſtatis iudicium.
Roma quid?	Fós Imperij orbis terrarũ, Mater gentiũ, Rei poſſeſſor, Romanorum contubernium, pacis æternæ conſecratio.
Victoria quid eſt?	Belli diſcordia, pacis amor.
Pax quid?	Tranquilla libertas.
Forum?	Templum libertatis, arena litigantium.
Amici quid ſunt?	Statuæ aureæ.
Amicus quid eſt?	Pomo citreo ſimilis, foris beatus, intra pectus acidum

acidum occultat malo.

Paraſiti quid ſunt? qui tamquã piſces adeſcantur.

QVAESTIO.

Vtrum expediat Regi & regno, afflictos iuuare, recipere, defendere contra inimicos?

RESPONSIO.

Panor. lib. 1. m. 1. Ioannæ Neapolitanorum reginæ oratores, Alphonſum Regem Aragonum orabant, vt deſtitutæ omni ope Reginæ auxilium ferret. Omnes ferè Regis conſiliarij refragabantur: durum & anceps bellum futurum dictitantes, contra genus hominum armis exercitatum, induſtria & opibus pollens, & præſertim apud mulierem ingenio mobili, & inconſtanti: Tum rex: accepimus, inquit, Herculem, etiam non rogatum laborantibus ſubuenire conſueſſe: Nos reginæ, nos fœminæ, nos afflictæ nos demum tantoperè roganti opem ferre dubitabimus? Graue quidem bellum ſuſceptum profiteor: ſed eò præclarius futurum. Sine periculo & labore nemo adhuc gloriam conſecutus eſt.

Simile eſt Ludouici Gallorũ Regis reſponſum ad Henrici Angliæ Regis legatos. Qui cum grauius expoſtularent, quod Rex Ludouicus Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopũ Angliæ, regno ſuo nõ expelleret. Dicite, inquit Rex, vos regi veſtro: Cum ipſe auitas, quas vocat conſuetudines (tametſi vt fertur diuiuæ legi non conſentaneas) tam acriter defendat, quaſi ad regiam dignitatem pertinentes, nec patitur abrogari: longè minus ego Ius illud libertatis, quod à maioribus meis, vna cũ *In vita D. Thomæ Schulting.*

Regijs

Regijs ornamentis, hæreditario Iure accepi, pati debeo, mihi aut ad mi, aut minui: eſt autē id, vt viris fortiſſimis & optimis, ærumoſis, miſeris, & afflictis, præſertim per iniuriam depulſis, & exulantibus Gallia, non ſolùm pateat, ſed etiam ſæpenumero reſtituat.

QVAESTIO.

Quibus ſimiles ſint plerique Aulici?

RESPONSIO.

Alphonſi Regis apud Panor. lib. 1. Auibus, quæ naues mare ſecantes circumuolitant, bolum aliquem decidentem aucupantes: quem vbi acceperint, celeriter aufugiunt.

QVAESTIO.

Qualis ſit conditio boni Regis & principis?

RESPONSIO.

Alphonſi Regis apud Panor. lib. 1. Aſinorum conditionem meliorem eſſe: quòd illis comedentibus domini parcerent, Regibus nemo. Nam inter cænandum à difficili & importuno quodam homine vſque adeò interpellabatur, vt vix edendi poteſtas eſſet. Optabat ergo, vt populares ſui vno die Reges extitiſſent, vt eorum curas cognóſcerent.

QVAESTIO.

Quomodo ad Regnum perueniatur?

RESPONSIO.

Alphonſi Regis apud Panor. lib. 1. Non temerè à Romanis illis ſapientioribus Honoris templo,

Virtutis templum coniunctum fuiſſe, in quod niſi per Virtutis templum introire liceret nemini: vt intelligerent mortales, ad faſtigium Honoris non voluptatum via, quæ delitijs atque illecebris affluens eſt, ſed virtutis illa quidem aſpera & ſalebroſa, enitendum. Regiumque cibum aiebat gloriam, quam ijs non pecunia, ſed ſudoribus Dij vendere conſueuerunt.

QVAESTIO.

Quare podagrici ferè loquaciores ſint?

RESPONSIO.

Alphonſi Regis apud Panor. lib. 3. Podagrici cū pedibus ambulare non poſſint, ideo lingua, velut ambulatione quadam crebriùs vti ſolere. Ipſumque Ennium cum podagra laboraret, tunc benè & copioſè poëtari conſueſſe.

QVAESTIO SIGISMVNDI CAESARIS

Quo nam pacto fœlicitatem conſequi poſſet?

RESPONSIO THEODORICI ARCHIepiſcopi Colonienſis apud Aeneam Siluium lib. 2. de dictis Alphonſi Regis.

Inter mortales fruſtra requiris.

Petenti rurſus, ad cœleſtem illam quo itinere pergeret? Rectâ inquit. Inſtanti tertiò: Quid agens rectâ vaderet? reſpondit: Si vitam tuam ita inſtitueris, vt facturum te promiſiſti, dum calculus, aut podagra, ſiue alia valetudo acriùs te oppreſſit.

QVAESTIO.

E duobus diſſidentibus vter in ſocietatem adhibendus ſit?

RESPONSIO

Alphonſi Regis de Franciſco Sphortia, & Nicolao

lao Picinino, apud Panormitanum lib. 1. Vtroſque tanquam amicos habendos, & ab vtriſque tanquã inimicis cauendum eſſe.

QVAESTIO.

Qualeſnam mittendi ſint ad Concilium?

RESPONSIO.

Alphonſi Regis apud Panormitanum lib. 2. Non qui ſanguine, ſed qui ingenio & ſapientia præcellerent. Non decere enim, vbi de Iure diuino & humano diſceptandum eſſet, nobilitatem potentiãue iactare, ſed doctrinam potius & iuſtitiam.

QVAESTIO.

Quid optandum in principibus?

RESPONSIO.

Caſparus Slichius trium Cæſarum conſiliarius optare ſe dicebat, Reges & principes aliquandò priuatos & pauperes fuiſſe. Nec enim ſatis miſeretur, qui nunquam fuit miſer. Aeneas Syluius ad c. 33. Panormitani, de geſtis Alphonſi Regis.

QVAESTIO.

Cur apud liberas ciuitates peculatus crimen frequens inueniatur?

RESPONSIO.

Sigiſmundus Imperator ad hoc interrogatus reſpondit: Quia nudos honores ciuibus demandant: populus autem ad lucrum inhiat. Aeneas Syluius ad caput 59. lib. 2. Panormitani, de geſtis Alphonſi Regis.

QVAESTIO.

In Concilijs quid maximè deteſtandum?

RESPONSIO.

Fredericus Imperator aiebat: Simulatio & diſſimulatio. Syluius ad c. 2. libri 3. Panormitani. g

QVAESTIO.

Vtrum expediat potentem Conſiliarium, & Magiſtratum principis, de crimine læſæ Maieſtatis ſuſpectum, in carcerem conijcere?

RESPONSIO

Fredericus Imperator, alijs affirmantibus, ait: Clarum & potentem hominem, periculoſum eſt in carcerem rapere: quando neque nocentem plectere, nec innocentem dimittere audeas: Nec illũ iuriſiurandi immemorem credere, priuſquam experiatur. Syluius ad cap. 14. Panormitani lib. 3.

Addit ad cap. 21. Syluius, Quod Maria Hungariæ Regina Sigiſmundi Cæſaris vxor, in magno Concilio Budæ perfidiam Regulorũ accuſauerit, quòd ſe Regno ſpoliare conati eſſent; tum Sigiſmundus cum Iudicibus, cauſa cognita, duos & triginta Regulos ſecuri percuſſerit, Quæ res multorum laborum, & diſcriminum cauſa extiterit.

QVAESTIO

Vtrum expediat principem aliquandò mutata veſte ignotum incedere, & de ſeipſo atque purpuratis ſuis confabulari?

RESPONSIO.

Fredericus Senior Dux Auſtriæ, Imperatoris Frederici pater, interrogatus: Cur id ageret? neque de me, inquit, alio modo verum audire poſſum. Syluius ad c. 49. lib. 3. Panormitani.

QVAESTIO.

Quiſnam regno dignus aptuſque exiſtat?

QVAESTIO.

Sigiſmundus Imperator, Eum reſpondit, quem neque ſecundæ res extollerent, neque aduerſæ deprimerent. Syluius ad c. 10. lib. 4. Panormitani.

QVAE-

QVAESTIO

De iocis quid ſtatuendum?

RESPONSIO.

Qui iocos moderatè ferrent, Sigiſmundus Imperator ſapientes dicebat: qui promptiſſimè iocarentur, ingenioſos. Syluius ad caput 28. lib. 4. Panormitani.

QVAESTIO.

Qui chariſſimi ſint Imperatori?

RESPONSIO.

Interrogatus Fredericus Imperator: Quinam ſibi cariſſimi eſſent? Qui me, inquit, non magis, quàm Deum timent. Syluius ad caput 43. libri 4. Panormitani de geſtis Alphonſi.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS TRITENHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS

liber octo quæſtionum, quas illi diſ-
ſoluendas propoſuit Maxi-
milianus Cæſar.

1. *De fide & intellectu.*
2. *De fide neceſſaria ad ſalutem.*
3. *De miraculis infidelium.*
4. *De ſcriptura ſacra.*
5. *De reprobis atq; maleficis.*
6. *De poteſtate maleficarum.*
7. *De promiſſione diuina.*
8. *De prouidentia Dei.*

OPVSCVLVM PERQVAM VTILE AC
iucundum, nuncq; primum typis excuſum.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Balthaſari Clipei, ſub inſigni
Arboris. 1603.

ADSERE-
NISSIMVM IN-

ICTISSIMVMQVE ORBIS
ominum Maximilianum Cæſarem,
Ioannis Trittenhemij Abbatis Pe-
apolitani in librum octo quę-
ſtionum

PRAEFATIO.

P*Arui mandatis tuis, Maximiliane Cæſar inuictiſſime, & eas quæſtiones octo, quas mihi idum ad Celſitudinem tuam vocato in aſtello Bopardiano propoſuiſti, qua po i breuitate abſoluens in hanc formam belli cõſignaui. Voluiſti autem (ſi recte emini) vt quantum fieri potuit, in earũ lutione viam ſequerer naturæ, propter os, qui credulitati minus concedunt. uod mihi tamen non omnibus poſſibile idebatur, pro eo quod materia quæ-*

ſtionum in pleriſque locis theologicis potius, quàm naturalibus ſubiacebit principijs. Nam & ſi Chriſtiana religio inter omnium mortalium ſectas naturæ legibus vicinior, & magis conformis habeatur & proxima: articuli tamen fidei noſtræ principales non omnes ſecundum viam naturæ communem ſunt probabiles. Quod ideo factum neceſſario credimus, vt & fides locum habeat, & firma credulitas merito ſuo non careret. Medium itaque pro viribus iter diſputationis de mandato ingreſſus, partim naturæ, partim quoque diuinarum ſum vſus teſtimonio ſcripturarũ. Enimuero quæ nos credere conuenit, humanis non ſunt argumentationibus temere diſcutienda: quoniam, vt ſacer inquit Gregorius, Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentũ. Cum timore igitur Dei & reuerentia intemeratæ religionis noſtræ Chriſtianæ ita reſpondere ad

pro-

poſitas quæſtiones inſtitui, vt à definitio nibus Eccleſiæ Romanæ nec ioco nec ſe- rio diſcedam. Vnde quicquid vel ſcripſi vnquam, vel ſcripturus ſum, eius deter- minationi & iudicio totum volo eſſe ſubiectum.

RICHARDI SBRVLII FO-
ro Iuliani,

EPIGRAMMA.

QVIS neget eſſe Deum cæli
terræque parentem?
Tam ferus eſt nemo, qui
neget eſſe Deum.
Ipſe Deus toto paſsim veneratur in orbe,
Diuerſa petitur ſed tamen ille via.
Barbarus hunc certa colit omnia lege mouentem,
Thurca ſacro nato ſpirituiq; negat.
Iactitat Ebneus ſe dogmata vera tenere,
Et duce Moſe Dei ſe genus eſſe putat.
At Chriſti populus qui nomē nomine ſumpſit,
Conſtāter trinum concinit eſſe Deū
Maximus imperio qui pręſidet æmilianus,
Aſsiduè Chriſti remq́; decuſq́; iuuat.
Quærit (vt Auguſto fas talia quærere regi)
Cur ſectas ſummus tot ſinit eſſe Deus?
cur

Cur ſe non cunctis pariter mortalibus infert?
Cur voluit duris multa latere notis?
Ordine Trittemius Regi pater omnia pandit,
Ille cucullati duxq́; decorq́; gregis.
De ſancta quicunq́; fide dubitare ſolebas,
Hæc lege: mox Chriſti certus alumnus eris.

ii 4 DE

DE FIDE ET INTELLECTV.

QVAESTIO PRIMA.

PRIMA quæſtio SereniſſimæMajeſtatis tuæ iſta fuit: *Quare omnipotens Deus credi à mortalib. voluit potius, quàm ſciri & intelligi, eo videlicet modo cognitionis & intelligentia, quo à ſanctis angelis cognoſcitur & intelligitur.*

Ad hanc quæſtionem ſacratiſſimæ Maieſtatis tuæ ita coràm poſitum reſpondiſſe memini. Omnipotens Deus qui eſt ſine principio, intellectus purus, ſempiternus, & incommutabilis ſupra omnem exiſtens nobis poſitionem, infinitis perfectionibus longè perfectior, ſua ampliſſima voluntate duos à principio intellectus ex nihilo creauit Angelicum videlicet, & Humanum. Angelicus in principio conditionis ſuæ in omnium ſcibilium actu factus eſt, & omnia nouit. Humanus verò primò quidem in omnium potentia conſiſtit, ſed omnia ignorat. In fine autem per multas & continuas actiones rurſum ſimilis euadet angelico, ſciens & Deum, & omnia quæ ad cognitionem præmiſſæ cognitionis & intelligentiæ pertinent. Differunt a. intellectus angelicus & humanus ſicut duo quælibet oppoſita, vt actus ſcilicet & potentia,

tia, lux & tenebræ, ſcientia & ignorantia, habitus & priuatio, principium & finis, immobile & mobile, ſubſtantia & accidens, veritas & ſimilitudo, natura & ars, ſanitas & infirmitas, totum & pars: Eſt enim intellectus angelicus, vt actus, lux, ſcientia, habitus, principium, immobile, immediatum, ſimplex, ſubſtantia, veritas, natura, & totum. Humanus verò ſicut potentia, tenebræ, ignorantia, priuatio, finis, mobile, mediatum, compoſitum, accidens, ſimilitudo, ars & pars, vnde quæcunque angelicò intellectui conueniunt à principio, hæc eadem inſunt humano â fine poſtea, quando carnis ſarcinam depoſuerit: quoniam ſicuti principium, & natura perficit angelicum: ita finis & ars poſt multas tandem exercitationes ſurſum erigit humanum. Quo circa inter duos iſtos intellectus magis eſt â principio inæqualitas, qui tamen in fine tandem æquantur, vbi tantus erit ab arte humanus, quantus â natura præceſſit angelicus, vnde cõſtat intellectum angelicum mox vt creatus fuit â principio ſine vlla ſui actione vel motu immobiliter ſubſtantialiterque & â natura nouiſſe omnia quæ intelligere poteſt, ac euaſiſſe creatum in inſtanti omnium ſcientia plenum atque perfectum. Humanum verò quoniam in omnium ignorantia & priuatione creatus eſt, & pro ſui exercitatione temporaliter deſtinatus in corpus oportet continua actione, motu, & arte, in Dei rerumque omniũ notitiam peruenire, qui tãdem æquabit angelico, finis potentiam eius commutans in actum, ipſumque de ſolo potente atque poſſibili exeuntem in eſſentiam, de vacuo efficiet plenum, de imperfecto perfectum, de priuato habentem, de tenebroſo lu-

cidum,de nocturno diurnum, de lunari ſolarem, & de terreno cœleſtem, quod fieri mente in corpore colligata non poteſt, ſcilicet dicēte Chriſtophilo Paulo:quamdiu ſumus in carne, peregrinamur à Domino, Deum cognoſcere intellectus eſt puri,ſimplicis atque perfecti, ſed humanus intellectus,quamdiu moratur in corpore, impurus eſt, mixtus,inſtabilis & imperfectus,& ob hoc cognitionis Dei & rerum cæleſtium ſine fide omnium ignarus,vtriuſque autem intellectus tam humani quàm videlicet angelici eſt idem obiectū,ſummū illud videlicet incommutabile bonum , vnicum rerum omnium principium Deus,in quod naturali cognitionis affectu recurrunt.Angelicus verò ſi comparetur humano,eſt ſicut natura ad artem, & vt ſimpliciter intellectus ad rationem, qui eſt diſciplinarū principijs attiguus, ratio vero per principia ad concluſiones diſcurrit.Vnde manifeſtum eſt,quod angelicus immobiliter proprium apprehendit obiectum, ad quod humanus per medium angelicum poſt multas ſui exercitationes ſicut eſt dictum tandem aliquando diſcurrens ſibi parat aſcenſum. Separatur autem intellectus humanus medio angelici cognitionis perfectione ſui naturalis obiecti, ſitque propterea neceſſario mobilis, per medium illius ad ſuum recurrens principium. Omnis enim motus de extremo per med. ſi ſit ad extremum.

Vbi verò nullum eſt medium , immediata iam ſunt extrema& proxima,ac propter hoc immobilia. Intellectus autem humanus quaſi tenebroſo in carcere poſitus, quàmdiu retinetur in corpore, ſenſū & ratione mouetur ad intelligendū, quàuis confu-

confuſè & imperfectè minus atque propterea medium inter ſe patitur & Deum quem diximus angelicum, maximum portans corpus deſtinatæ perfectionis impedimentum, ſicut quidam ſapientiæ amator dixit: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio ſenſũ multa cogitantẽ. Deũ igitur nobis credere potius quã ſcire vel intelligere omnino neceſſariũ fuit: Propterea ꝙ penitus impoſſibile ſit, illã ſuperdiuinã & incircũſcriptibilẽ maieſtatẽ cõprehendi à nobis, q nihil intelligimus ſine miniſterio ſenſuũ & diſcurſu rationis. Deus autẽ lõgè ſupra omnẽ poſitionẽ exiſtẽs, nec ſenſibus mortaliũ, nec rationi manet ſubiectus, quẽadmodũ ad Moſen dixiſſe legitur: Non videbit me homo, & viuet. Hinc quoq; & Diuus inquit Euangeliſta Ioannes: Deum nemo vidit vnquam. Nec mirum, Deus. n. cũ ſit primus & ſempiternus intellectus puriſſimus, ſimpliciſſim⁹, pfectiſſimus, immobilis, creator, incõprehẽſibilis ſumus, & ſupra omnẽ poſitionẽ procul imẽnſus & incircũſcriptibilis, cõprehẽdi ab humano intellectu nõ potuit, q eſt impurus, cõpoſitioni ſubiectus impfectus, mobilis, creatus, cõprehẽſibilis, infirmus & ſub menſura poſitionis conſtitutus.

Ad eam verò quæſt. quæ ex prima videbatur oriri, vtrum Deus cum ſit omnipotens humano ſe intellectui quẽadmodũ angelico potuerit dare cognoſcibilem: Dico: Deum omnia poſſe, nemo ſanæ mentis vnquã negauit, ea verò contradictionem implicant: Deum non poſſe dicimus, Propterea quod ordini ſapientiæ contrariantur incommutabilis diſponentis vniuerſa, quemadmodum deſtructio conſtructioni totius non dubitatur

eſſe

eſſe contraria ſimul, & ſi dixero penitus aduerſa. Neque enim decuit, neque fieri vllatenus potuit, vt Deus ab intellectu humano comprehẽderetur, quoniam ſi mortalis homo naturæ ductu Deum comprehenderet immortalem; certè iam nõ homo, neque mortalis, ſed angelus videretur eſſe dicendus, fieretque vel homo Deo, vel Deus homini comparandus. Quamdiu enim intermediat angelicus intellectus, non poteſt humanus intelligere Deum, intermediat vſque ad mortem carnis qua mens libertatem aſſecuta naturalem, euadet prorſus angelo æqualis. Cernis iam credo imperator manifeſtum, quod neque decuit, neque poſſibile fuit, vt intellectus humanus comprehenderet diuinum, creatus creantem, temporalis æternũ, mutabilis incommutabilem, infirmus omnipotentẽ, cum finiti, vt quidam Philoſophus ait, nulla ſit ad infinitum proportio. Eſt ergò neceſſarium mortalibus, Deũ credere immortalem, quæ nulla comprehendere manifeſta poſſumus ratione. Quamuis ordo totius vniuerſi prouidentis omnia declarat authorem, & nihil præter ipſum ſine principio intelligamus ineſſe productum, tamen quid & quomodo ſit Deus, mens capere non poteſt humana, quoniam cum ſit longè ſupra omnia, quæ nos de ipſo poſſumus intelligere, aut quiſq; mortalis, procul extra & ſupra omnem eſt poſitionẽ, vt ſacer Dionyſius inquit: quippe qui neque anima eſt, neque ſenſus, neque imaginationẽ, aut opinionem, aut rationem, aut intelligentiam habet neque ratio eſt, neque intelligentia, neque dicitur, neque intelligitur, neque numerus eſt, neque multitudo, neque ordo, neque magnitudo, neque

par-

paruitas,neque æqualitas,neque ſimilitudo,neque diſſimilitudo,neque ſtat,neque mouetur,neque agit quietem, neque virtutem habet, neque virtus eſt,neque lux eſt,neque viuit,neque vita eſt,neque ſubſtantia,neque ſeculum, neque tempus, neque factus eſt ipſius ſpiritualis,neque forma,neque veritas eſt,neque regnum, neque ſapientia,neque vnum,neque vnitas,neque deitas,aut bonitas, neq; ſpiritus eſt,quantum ſcire ipſi poſſumus,neque filij,neque patris eſt denominatio, neque aliud aliquid ex his quæ nobis aut alteri vnquam in mundo ſunt cognita,neque aliquid eorum eſt, quæ nō ſunt,neque eorum quæ ſunt,neque ea quæ ſunt illum ſciunt,ſicuti ipſe eſt, neque ſermo ipſius eſt, neque nomen,neque ſcientia, neque tenebræ,neque lux eſt,neque error, neque veritas, neque eſt ipſius vlla omninò poſitio,neque oblatio, nam vt ſuper omnem poſitionem eſt perfecta & ſingularis omnium cauſa, & ſuper omnem oblationem excellentia ipſius eſt,illius videlicet qui ſimpliciter abſolutus ab omnibus & ſuper omnia eſt, Diuus itaque Dionyſius inquit, vt omnium cauſa ſuper cuncta cum ſit neque ſine ſubſtantia ,neque ſine vita eſt,neque ratione,neque mente caret,neque corpus eſt,neque figura,neque ſpecies, neque qualitatem aut quantitatem,aut mortem habet, neque in loco eſt, neque cernitur, neque tactum ſenſibilem habet,neque ſentit,neque ſenſibilis eſt neque temeritati aut perturbationi eſt obnoxia, carnalibus agitata paſſionibus, neque inualida eſt ſenſibilibus ſubiecta caſibus, neque indiga luminis eſt,neque immutationem, aut corruptionem, ſeu diuiſionem,ſiue fluxum admittit, neque aliud

quic-

quicquam ſenſibilium aut eſt aut habet. Vnde cum ſit longè ſuper omnē poſitionem excellens à ſuppoſita non potuit comprehendi creatura quæ ſenſibus vtitur neceſſariò ad intelligendum, ſicut verum Peripatheticus dixit: nihil noſtro eſſe in intellectu, niſi prius fuerit in ſēſu. Deus ergo qui mortalium ſenſibus non eſt ſubiectus, intellectū procul excedit humanum, qui ſecundum poſitionem affirmantem veraciter eſt omninò in omnibus, & ſecundum oblationem negantem, quo proprius acceditur, nihil eſt omnium quæ cognitioni mortaliū ſubijciuntur. Enimuerò cum ſit ſuper omnia nihil eorum eſſe poteſt, quæ illi ſunt ſubiecta. Propterea pulchrè ſimilitudinem dedit Empedocles dicens: Deus eſt ſphæra cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam. Erigat ſe nunc quantum poteſt intellectus humanus, & qui Deum comprehendere nititur, huius imaginatæ centrum ſphæræ ſimul ac nuſquam terminantem circumferentiam rectè intelligens comprehendat. Quod ſi hanc intelligere propoſitione ſimilitudinis propria non ſufficit, ſuper omnem poſitionem exiſtentem Dei eſſentiam quare inueſtigare contendit? Cuſani quondam presbyteri Eccleſiæ Romanæ cardinalis Commoſellani, viri temporibus illis doctiſſimi aliam de Deo ſimilitudinem te Cæſar inuictiſſime non tædeat audire, qui dicit: Deus eſt infinitæ longitudinis, linea recta, quæ circulum facit. Videamus nunc igitur: Si linea eſt recta, quomodo circulum facit? Quando ſi facit circulum, quomodo recta? Sunt enim circulus & linea recta naturaliter oppoſita. Veruntamen infinitæ longitudinis linea cum neque principium habeat, neque

finem

ſinem, circulum neceſſario facit, quamuis non curua ſed recta proponatur imaginanda. Cum ergo Deus ſit infinitus, maximus ſine quantitate, optimus ſine qualitate, omnia in omnibus ſine circumſcriptione, ſupra omnia ſine excludente poſitione, non fuit poſſibile, quod ab intellectu circumſcriptibili humano, qui ſenſuum miniſterio vtitur ad intelligendum, comprehenderetur, & quod ei promittitur purificato tandem in patria, confuſo & impuro concederetur in via. Poſtea verò quam mens noſtra carne tandem ſoluta ad centrum ſummum, quod Deus eſt, munda, ſimplex, pura, perfecta, & conſummata euaſerit, angelis pares effecti Deum perfectè cognoſcemus, & omnia, quemadmodum & ſanctus Chriſtophilus ad Corinthios dicit: Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc à facie ad faciem. Idcirco diximus angelicum intellectum naturæ ductu ſuo principio immobiliter adhærentem. Quia actus & habitus eſt purus, qui cum ſit conditione naturaliter ſimplex, compoſitionis nullo poteſt impediri commercio: Humanus verò intellectus, quod iam ſufficienter conſtat eſſe declaratum, cum ſit potentia & priuatio propter corporis ſui commercium impurus, non quidem vſque perfectò retardatur ab actu, quouſque tandem carne ſolutus in conſortium ſimilitudinis trãſierit, angelorum, tunc primum ad veram DEI agnitionem admittendus. Quod ſi interea fidei Chriſtianæ præſenti ac diuinæ cognitioni futuræ, neceſſarius ad ſalutẽ cõparetur affectus amoris, eadẽ cũ ſanctis angelis beatitudo ſempiterna Dei cultoribus ꝑparata donabitur. Sin autem deprauata mens nimio carnis

ſuæ

ſuæ commercio Dei amorem contempſerit, euadet quidem intellectus ergaſtulo reſolutus ad mẽſurã ſibi ex natura competentem cognitione ſublimis, ſed erit tanto miſerior, quanto ex mala voluntate dæmonibus inuenitur eſſe ſimilior. Solutionem itaque propoſitæ quæſtionis vt licuit concluſurus dico, non eſſe poſſibile, quòd omnipotens DEVS perfectè intelligatur à nobis, quamdiu mortales in carne verſamur.

DE

DE FIDE NECESSARIA AD SALVTEM.

QVAESTIO SECVNDA.

SECVNda inuictæ Maieſtatis tuæ quæſtio fuit: *Cum pars orbis parua legibus hodie fidei ſit ſubiecta Chriſtiana, vtrum plurimorum opinio illa ſine iniuria veritatis videatur admittenda, qui exiſtimant vnumquemq; in religione, quam credit eſſe veram atq; ſalutarem, vnius Dei cultorem extra fidem Chriſtianam & ſine Baptiſmate poſſe ſaluari, modo nihil conſtet de religione Chriſti.*

Ad hanc quæſtionem reſpondere ſimpliciter iuxta intentionem vulgarem iudicaui ſuperfluum: cum ſciam hodie multos inter Chriſtianos, quos impia pietas pro ſalute hominum perditorum in Deum facit eſſe crudeles. Sed quia iuſtæ conſiderationis cauſa sereniſſimam celſitudinem tuã, vt iſta quæreres, excitauit: non quia non ſcias, quid ſit in hac propoſitione catholica tenendum, ſed vt haberes quod veritatem obijcias impugnantibus, quantum potero breuiter ad interrogata reſpondebo. Si extra fidem Chriſtianam quiſquam ſaluari poſſet, Chriſtus omnipotentis Dei filius ſuperfluo & ſine cauſa videretur homo factus. Nam ſi extra Chriſtum eſt ſalus, non eſt ſaluator omnium

Chriſtus. Verum quia Dei vnigenitum filium pro ſalute humani generis naſci hominem in mundo, pati, mori, & reſurgere tertia die ſecundùm ſcripturas oportuit: non fruſtra neque ſuperfluo, neq; ſine cauſa in hunc mundum venit. Quod cùm ita ſit quiſquis extra fidem Chriſti ſaluari quempiam poſſe aſſerit, non Chriſtianum, ſed aduerſarium ſe fidei: ac Chriſti deſertòrem oſtendit. Quicunque non credit in Chriſtum filium Dei, fruſtra ſalutē ſibi pollicetur æternam. Nam ipſe qui veritas eſt Ieſus Chriſtus in ſancto Euangelio dicit: qui non crediderit, condemnabitur. Et iterum: qui nō credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Et rurſus poſt pauca dicit ſubiungens: qui credit in filium habet vitam æternam qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum, Sanctus quoq; Chriſtophilus: ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Aperta eſt nunc omnibus in Chriſtum veraciter credētibus propoſitæ quæſtionis ſolutio, quia per ipſum ſaluatorem mundi eſt ſalus, & quicunque non credit in eum, ſaluus eſſe nō poteſt. Nec licet Chriſtiano terminos religionis ſuæ quouis modo excedere, vt hanc quæſtionem aliter, quàm Chriſtus docuit, præſumat emendare. Quiſquis verò hanc fidei normam contrarium aſſerendo egreditur, quod non rectè ſentiat de Chriſto ſaluatore fidelium, manifeſtè demonſtrat. Vnde enim Chriſtum declarat mendacem, quicunque alicui extra Chriſtum pollicetur ſalutem. Nos autem ſacratiſſimis Euangelij confirmati ſanctionibus firmiter credimus, & indubitanter pronunciamus, neminem extra fidem Chriſti poſſe ſaluari, quantumli-

tumlibet ſanctè vel iuſtè viuat,quantumlibet religioni ſuæ paternæ vel alteri confidat.Chriſtus eſt ſalus,extra fidem Chriſtianam nemo ſaluabitur. Ad quid enim Chriſtus Dei filius mori pro mundi peccatis voluit. Si vnuſquiſque extra fidem eius in ſua traditione paterna ſaluari potuiſſet?Impoſſibile fuit ab origine mundi poſt lapſum generis humani quempiam aliter, quàm in ſanguine Domini noſtri Ieſu-Chriſti ad vitam ſaluari æternam.Quid enim quod maior pars hominum extra fidem Ieſu hodie manet?Nonne ipſe Saluator mũdi dudum in ſanctoEuangelio prædixit:quia multi ſunt vocati,pauci verò electi?Et iterum dicit:Intrate per anguſtam portam, quoniam lata eſt porta,& ſpacioſa eſt via,quæ ducit ad perditionem,& multi ſunt,qui intrant per eã. Quid putamus Deo ſalus noſtra conducere poteſt, qui bonorum noſtrorum non indiget? Siue enim multi ſaluentur, ſiue damnentur, Deus ipſe omnium incommutabilis eſt Dominus, nihil accedit ei ſi omnes ſaluẽtur nihil deficit ſi totus pereat mundus.Eſt infallibilis ordo diuinæ prouidẽtiæ & maieſtatis qui dãnandos non minus complectitur, quã ſaluandos, ſingulos videlicet & vniuerſos.Nemo certè damnandorum patitur iniuriam:quoniam ſicut in primo homine cecidimus omnes, ita nemo ſaluatur niſi in ſanguine Ieſu Chriſti per miſericordiam, & nemo dãnatur niſi in perfidia ſuà, & de merito per iuſtitiam.

Ex præmiſſa alia ſuboritur non paruæ difficultatis quæſtio, quam curioſitas hominum de fide Chriſti rectè ſentientibus conſueuit obijce-

re: quare omnipotens Deus cum ſit iuſtus & miſericors, tot millia hominum creare non deſinit, quos damnandos certiſſimè præcognouit? Quare non parcit miſeris, & quos declinaturos prænouit ad malum, in tanta multitudine non produceret in interitum? Melius enim videretur nó eſſe, quam malè eſſe.

Ad hanc quæſtionem ille reſpondet, ſi quis Dei ſe conſiliarium putat. Quis ego ſum, vt cauſam diuinæ voluntatis ediſſeram? Omnia enim quæcunque voluit dominus fecit in cœlo, & in terra, & non eſt qui voluntati eius poſſit reſiſtere. Hinc dicit quidam vir ſapiens ad Deum: quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti? Conſtituit omnipotens viciſſitudinis ordinem rebus, quem nulla vnquam plenitudine mutationis reuocabit. Quemadmodum enim permittit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, ita vſque in finem ſeculi homines concipi, naſci & creſcere ſinit pios & impios. Non ſunt in Deo cogitationes hominum, neque mutat conſilium ex tempore, ſed incommutabilis cum ſit ac ſempiternus, omnia ſimul & ſemel volens, ac ſemper ab æterno inuariabiliter præordinauit. Semel loquitur Deus, teſtante ſacra ſcriptura, & non addit, quoniam quicquid vult, immobiliter vult, & nullam recipit commutationem. Vt ergo naſcantur homines boni & mali, pij & impij, fideles & perfidi, peccatores & ſancti, ſaluandi & damnandi, iuſtiſſima ratione Deus permittit, qui hunc ordinem rebus omnibus tribuit. Nihil Deo perit, qui omnium eſt Dominus, & nō minus malorum quàm bonorum hominum atque ſpirituum corroboratū vbiq; tenet imperiū. Chri-

ſtus

ſtus Ieſus ex Deo patre Deus, ſine tempore, & ex virgine homo in tempore, Mediator conſtitutus Dei & hominum, ipſe eſt per quem acceſſum habemus adDeum, ipſe eſt Saluator omnium fideliũ, de quo malè ſentit, qui ſine fide Chriſtiana quempiam poſſe ſaluari temerè concedit. Omnipotentia Dei reſpicit ordinem rerum, quem conſtituit, ſecundum cuius inuiolabilem ſeriem rectitudinis nemo ſine fide Chriſti ſaluabitur, nemo qui non credit in Dei filium, iuſtificabitur. Vana igitur atque ſtultiſſima pietate mouentur, qui aliquem extra fidem Chriſti, in toto mundo & qualibet ſecta putant eſſe ſaluandum: Cum ſit eius ſententiæ manifeſtè contrarium. Audiant ipſum Saluatorem iterum in Euangelico dicentem: Nemo venit ad patrem niſi per me: Ego enim ſum via, veritas, & vita. Si nemo venit ad patrem niſi per filium, nemo certè ſaluabitur, niſi per ipſum. Quis Iudæum ſaluabit atque paganum, cùm nemo ſaluari poſſit niſi perChriſtum? Chriſtus.a. illos duntaxat indubitanter ſaluabit, qui corde, ſermone, & opere credunt in eum. Non ſaluabit Iudæum, non Saracenum, non paganum, non alium quemlibet infidelem, quia non credunt in ipſum, ſed eius doctrinã deſpiciunt, fidem contemnunt, & ſanctum nomen eius blaſphemantes tota die vilipendunt, ipſe nãque in Euangelio dixit: Qui me erubuerit & meos ſermones: & ego erubeſcam eum corã patre meo & ſanctis angelis eius. Dicite mihi nunc, qui Chriſtum colitis, & aliquem in ſua ſecta, quam veram putat extra fidem Chriſtianam poſſe ſaluari contenditis, Euangelium Chriſti verũ creditis an falſum? Si verum, quare vos ſentitis illi contrarium?

Chriſtus enim dicit, qui non crediderit in filium Dei, ira Dei manet ſuper eum, & iam iudicatus eſt, & condemnabitur. Et quia nemo venit ad patrem niſi per me: Vos. a. neſcio qua temeritate ſeducti contrarium ingeritis, dicentes: hominem extra fidem Chriſti in religione ſua paterna, quam credit eſſe veram, & Deo placentem confidentem, vel ſecundùm legem naturæ innocenter viuentem, & præſertim cum de fide Chriſti forſitan nihil audierit unquam, in ſua confidentia eſſe ſaluãdum. Hoc Chriſtus non dixit, ſed qui crediderit in vnigenitum Filium Dei ſaluabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Neminem excepit, nullam conditionem admiſit. Quoniam qui pro omnibus venerat pati, per ſolam fidem prouiderat ſaluti. Si fides in ſaluatorem defuerit, iam nulla confidentia incredulũ ſaluabit. Dixit enim ſanctus præſul Auguſtinus de fide ad Petrum: firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm omnes Paganos, ſed etiã omnes Iudæos, hæreticos, atque ſchiſmaticos qui extra Eccleſiam Catholicã præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Cernitis nunc quo vos ſtulta commiſeratio trahat, qui Deum humanis legibus metientes, vt in cunctis faciatis miſericordem eius vnigenitum filium DOMINVM & ſaluatorem noſtrum IESVM Chriſtum non timetis iudicare mendacem: ſed CHRISTVS verax eſt, qui non credentes in eum dicit eſſe damnandos. Vos autem temerarij atque mendaces, qui extra fidem eius quempiam poſſe ſaluari confiditis. Qui veraciter credit in CHRISTVM, neminem prorſus extra vnitatem

Eccle-

Eccleſiæ Chriſtianorum Catholicam patitur dici ſaluandum, contrarium quiſquis dixerit quod verus & bonus Chriſtianus non ſit, oſtendit. Hæc eſt enim Catholicæ traditionis, immobilis ſententia, quam ipſe Dominus Ieſus Dei filius in ſancto Euangelio definiuit: neminem videlicet extra fidem eius ſaluandum, quam ipſe inſtituit, docuit & proprio ſanguine confirmauit. Quiſquis ergo ſaluandum hominem in qualibet ſecta extra fidem Ieſu Chriſti affirmauerit, vel in corde ſuo crediderit, non eſt bonus Chriſtianus, ſed potius apoſtata & Antichriſti diſcipulus, cum quo niſi reſipiſcat, ſe nouerit apud inferos perpetuò cruciandum. Antichriſtus enim non eſt Chriſtianus, qui non credentem in Dominum Ieſum ſine ſaluatore dicit eſſe ſaluandũ. Nemo igitur, ſapientiſſime Cæſar, in conſpectu Maieſtatis tuæ compareat, nemo te ſibi adhærentem ſentiat, qui homines extra fidem Ieſu Chriſti ſaluandos putat. Omnis enim qui aliquem ſaluandum extra fidem Chriſti crediderit, & Chriſtum & eius Euangelium abnegauit. Quod verò dãnandos omnes, qui nõ ſunt Chriſtiani, dicimus, non credulitas ſed verax pietatis iudicium eſt. Præſtat enim veritati firmiter credere, quã homini mendaciter conſentire. Quod omnes Iudæi, Pagani, gentiles, Saraceni, Schiſmatici, hæretici & infideles abſque dubio ſint damnandi cum dæmonibus, ſanctorum teſtatur Eccleſia, quæ non aliunde, quàm ex Chriſti ſermonibus hanc ſumpſit & confirmauit ſententiam. Sic enim dixit: qui credit in filium, habet vitam æternam: per quod fide & opere boni deſignantur Chriſtiani. Qui autẽ incredulus eſt filio, non videbit vitã, ſed ira Dei manet

ſuper eum. Hic omnes denotantur Iudæi, pagani, Saraceni, gentiles, & quicunque non credunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. De ſchiſmaticis verò & hæreticis manifeſta eſt Chriſti ſententia, in Euangelio dicentis: qui Eccleſiam audire noluerit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Ethnici ſunt gentiles, & publicani manifeſti & publici peccatores, de quorum damnatione certiſſima ſanctorum non dubitat Eccleſia. Quis enim Chriſtianorum gentiles & enormes peccatores manifeſtoſque dubitauerit eſſe damnandos? Cum ergò ſchiſmatici & hæretici omnes ſanctorum contẽnant Eccleſiam, gentilibus & publicanis damnandis pro ſuis delictis & demeritis rectiſſimè dicuntur ſimiles, & pœnas ſempiternæ damnationis cũ eis iuſtè ſubibunt æquales. Ecce quos Chriſti ſaluatoris iuſta damnauit ſententia ſtulta hominum commiſeratio, ne dicam crudelitas impia, ſaluandos eſſe præſumit. Cupiunt in homines perditos eſſe miſericordes, & non verentur in Deum ſe exhibere crudeles: quos ille per iuſtitiam deputauit ad mortem, iſti præſumptione peſſima reuocãdos aſſerunt ad vitam. Non eſt bonum nec vtile Chriſtiano ſiue ſerio ſiue ioco contradicere Chriſto, impius eſt, non Chriſtianus, quiſquis infideles dicit eſſe ſaluandos. Adam primo homine pereunte omnes peccauimus, & ira Dei ſuper totum genus manebat humanum, ab origine mundi vſque ad Chriſtum, venit Chriſtus de virgine natus, qui Deus & homo innocens à peccato, mortem crucis voluntariè ſubiuit, & inter Deum & hominem Mediator factus, iram culpæ originalis ab ijs, qui credunt in eũ, remouit. Sic enim dicit, qui credit in vni-

in vnigenitum Dei filium, habet vitam æternam, qui verò incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Enimuerò ſine fide Ieſu Chriſti nemo ſaluabitur, quantumlibet iuſtè & ſanctè viuere in ſua religione videatur. Omnipotens enim Deus ſine baptiſmate materiali poteſt ſaluare credentem, ſed non poteſt ſine fide ſaluum facere negantem. Nemo ſaluatur inuitus, quia nemo credit niſi voluntarius, nouit enim Deus qui ſint eius, quoniam credentes in filium, ſaluat per pœnitentiam, incredulos verò condēnat per iuſtitiæ æquitatem.

Hinc interclusa pulſauit animum quæſtio noua: quid de infantibus & fatuis non credentium paganorum & Iudæorum ſit ſentiendum? Ad quam reſpondendum: Sicuti infantes Chriſtianorum in fide parentum baptizati ſaluantur, ita pueri omnium infidelium non baptizati in parentum perfidia damnabuntur. Similis eſt de fatuis vtriuſque religionis ſententia: Vt quemadmodum Chriſtianorum baptizatos fatuos indubitanter ſaluādos credimus: ita non credentium damnandos ſine dubio dicamus. Rurſum hîc quæritur, quid de illis ſit hominibus catholicè ſentiendum, qui nouiter repertas in mare magno Inſulas, de quib⁹ apud Coſmographos veteres nulla fit mentio, inhabitant, & nihil vnquam, ſicut informati ſumus de Chriſtiana religione, penitus audiuerūt? Breuis ex præſcriptis ad omnia conformis datur reſponſio: quoniam veritas neminem à damnatione non credentem penitus excepit, non Inſularum, non orbi noſtro contiguum, non alium quemque, ſiue propè ſiue remotè morantem; ſed indifferenter & ſine diffi-

diffinitione perſonarum concluſit dicẽs, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalu⁹ erit, qui verò nõ crediderit, condemnabitur, & ira Dei manet ſuper eum. Qui remouet iram Dei ab homine, niſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui Mediator eſt Dei & hominum. Quomodo? niſi per fidem formatã in ipſum, qui mortem guſtauit innocens. Cum ergo ſine fide nemo ſaluetur, non poſſumus ignorãtibus Chriſtum polliceri ſalutem, quos conſtat in eum non habere fidei pietatem. Neceſſariò itaque dicemus, omnes eſſe damnandos, qui non credunt in filium Dei, ſiue auditum habeant de illo, ſiue illum penitus ignorent. Vnum verò concedimus, quando ſi qui inter eos, qui Chriſtum ignorant, ſecundũ legem naturæ benè vixerunt, vnum Deum inuocantes, etiamſi aliquando peccauerint, modo pœnitentiam ante mortem egiſſent, minus grauiter damnatos, aut damnandos, quàm illi, qui vel Chriſtum audientes contemnunt, vel vtroque malè ac ſordidè vixerunt. Iuſtus enim eſt Deus, qui nulli facit iniuriam, ſed reddit vnicuique ſecundum opera ſua. Manet autem ira Dei ſuper omnem, qui non credit in vnigenitum filium eius propter primi hominis peccatum originale, à quo nemo iuſtificatur niſi per fidem & baptiſma Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Originale verò peccatum ſi fuerit in homine ſolùm, ſicut in paruulis, niſi remoueatur per Chriſtum, damnat habentem ad pœnam Damni duntaxat, qua videlicet arcetur à viſione Dei, & fruitione fœlicitatis ſanctorum in æternum. Adultus verò qui mortaliter peccat, duplici pœna poſt mortem punietur, damni videlicet, & ſenſus, vt & DEVM

non

non videat, & pœnas gehennæ ſine fine ſentiens nunquam euadat. Iudæi autem & Saraceni ac reliqui omnes, qui fidem Chriſti audientes contemnunt, ad pœnam damni & ſenſus vtrãque ſine dubio damnãtur, ſiue ad legem naturæ viuant alioquin innocenter: ſiue contrarium. Inter illos verò qui auditum nunquam habuerunt de Chriſto, ſi qui ad legem naturæ vſq; ad mortem viuerent innocentes, non puto cauſam præbuiſſe, quod dicãtur vel credantur ad pœnã ſenſus damnandi, quãuis Dei viſione, quam damni pœnam appellauere Theologi, priuentur in æternum, nemo enim Dei patris omnipotentis intuebitur faciem, niſi fuerit per fidem in Chriſto renatus.

Iam nunc in eos concludamus ſententiam, qui nobis iſta ſecundùm Chriſti doctrinam Catholice aſſerentibus, ardua conſideratione objiciunt: Ad quid Deus omnipotens, cum ſummè ſit bonus, tot millia hominum creare voluit, quos ab æterno præſciuit eſſe damnandos? Nam ſi comparatio Chriſtianorum fiat ad infideles, viceſima pars hominum totius mundi vix hodie credit in DOMINVM noſtrum IESVM CHRISTVM: Huius quæſtionis immenſa curioſitas multos ſæpe pulſauit, quorum ſi fides in CHRISTVM eſſet firma, & feruens in eis amoris deuotio, tam inconſueta & ardua non quærerent. Quis enim tantæ vel doctrinæ, vel ſanctitatis homo reperitur inter mortales, vt præter ipſum Deum cauſam nobis aperiat diuinæ voluntatis? Cauſa enim voluntatis DEI eſt incomprehenſibilis, qui ipſe cauſa eſt ſuæ rectiſſimæ voluntatis. Ordo ſempiternus, inuiolabilis, & ſicuti in ſuperiori dixi, Deus nulli

nulli facis iniuriam. Nonne cum iudicauit Deus vniuerſale diluuiũ ſuper terram, octo homines in arca duntaxat ſaluati ſunt, cæteri omnes aquarum inundatione perierunt? Cauſa pereundi fuit peccatum. Vt vero crearentur non fuit alia cauſa quā incircumſcriptibilis bonitas Dei. Quod pauci ſaluentur pereuntibus multis, præceſſit figura myſterium, & Arca Noë Chriſtianæ fidei ſacramentum. Quoniam quidem ſicut extra Noë arcam omnes in diluuio perierunt, ita nunc omnes, qui ſunt extra vnitatem Catholicæ Eccleſiæ Chriſtianorum, ſine dubio in æternũ peribunt in peccatis ſuis, tā Iudæi, quàm pagani, hæretici ſimul atq; ſchiſmatici. Iuſtitia Dei damnat, quos bonitas creauit, miſericordia verò ſaluat, quos gratia confirmauit. Quia vt dicit ſanctus Apoſtolus, non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei, quoniam cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Rectè ſic penſiculemus humani libertatem arbitrij, & iuſtam ſciemus voluntatem Dei.

DE

DE MIRACVLIS INFIDELIVM.

QVAESTIO TERTIA.

TErtia Sereniſſimæ Maieſtatis tuæ quæſtio fuit: *Si nemo extra fidem ſaluatur, vnde miracula infidelibus? quoniam fieri ſtupenda etiam apud incredulos multorum relatione cognouimus.*

Huius quæſtionis, vt mihi videtur, non erit difficilis ſolutio, ſi & ſcripturis fidem, & naturalibus animæ viribus neceſſariam adhibeamus conſiderationem. Eſt.a. miraculum accidens nouum & inſolitum, quod præter conſuetudinem euenit & homines in admirationem trahit. Vnde aliter boni Chriſtiani, aliter mali, atque aliter infideles miracula faciunt. Boni quidem Chriſtiani miracula faciunt per publicam iuſtitiam, mali verò per publicæ iuſtitiæ ſigna: ſed infideles per priuatos cum dæmonibus contractus, implicitos videlicet ſiue explicitos. De bonis quidem dixit in ſancto Euangelio Dominus: Signa. a. eos qui credunt hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, nō eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. De malis verò Chriſtianis miracula in nomine Ieſu Chriſti facien-

facientibus ita ſcriptum in Euangelio legimus. Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Extra verò Eccleſiam Dei vbi nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti non inuocatur, ſi qua fiunt præter naturæ vel artis humanæ conſuetudinem miranda, dæmonum cooperatione fieri, bonus nemo dubitat Chriſtianus. Et huiuſmodi opera Serenitas tua cæſarea miranda potius dicenda virtutis diſcretione cenſet, quàm miracula. Et non diſcedit à ratione hæc ſententia veritatis, quatenus inter prodigia lucis & tenebrarum neceſſaria diſcretio habetur. Quatuor mirandorum effectores inuenio, ſed vnicum qui vera facit miracula Deum principaliter, vt cauſam omnium bonorũ recognoſco.

Quocirca primus & maximus omninm effector mirabilium Deus eſt, qui totum ſignis, miraculis, atque virtutibus mundum implens illuſtrat, cui reliquorum nullus eſt comparandus, qui creauit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui ſolus eſt omnipotens, iuſtus, ſanctus & rectus, bonus, incomprehenſibilis, maximus, glorioſus, immenſus & ſempiternus, eius inferiora cætera ſunt omnia. Quoniam quicquid in hoc mundo mirabiliter poteſt contingere, minus eſt certè, quã ipſe totus mundus, quem ipſe potuit ex nihilo creare. Omne quoque miraculum, quod fieri per hominem poteſt, minus eſt homine ipſo, quoniam Deus creator omnium ad magnitudinem & ſimilitudinem ſuam ab initio eũ formauit. Et quamuis

miracula Dei viſibilium naturarum inter mortales aſſiduitate videndi iam penè vileſcant, tamen ſi ea ſapienter intueamur, tunc maiora & rariora inuſitatioraq; cuncta apparebũt. Modus autem in Deo faciendi miracula, eſt voluntas incommutabilis Dei, qui cum ſit omnipotens, facit omnia quæcunque voluerit in cœlo & in terra. Ipſe enim dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Voluntas Dei ordinata eſt & ſempiterna: propterea miracula eius cæteris incomparabiliter ſunt maiora. Cunctis enim huius mundi miraculis maius eſt quod cernimus totum Vniuerſum, & quicquicquid continetur in eo, Dei voluntate creatũ. Operatur omnia diuina voluntas incommutabilis, perſeuerans, quoniã & principio caret & fine: ſed quicquid vult Deus, ſemper vult, quia cum idẽ ſit apud eum & velle & poſſe, non eſt penes incõmutabilem laborare. Vnde cuncta miracula vniuerſalia, quæ conditor facit vniuerſorum, & bonis & malis ſpectanda exhibuit. Atque poſt generalia, quæ iam vſu valuerunt apud mortales, in ſingulis penè creaturis infinita quoque ſpecialiter miranda demonſtrauit.

Secundus miraculorum effector, bonus eſt Angelus, qui miranda plerumque mortalibus, tã virtute naturali, quàm diuina poteſtate operatur. Mittuntur enim beatiſſimi illi Spiritus ordinatione diuina in miniſterium fidelibus, qui & bonis & malis ea quæ ſunt naturæ beneficia præſtant. Solis autem credentibus in Deum & Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum donum gratiæ ſalutaris adminiſtrant. Vnde non eſt dubium, ea miracula quæ fiunt inuocatione diuini nominis in Eccleſia

ſancto-

ſanctorum, miniſterio & cooperatione ipſorum exhiberi, ſed miranda infidelium, ſi quæ vel hodiè fiunt, vel olim facta leguntur, aut conficta, aut ementita ſunt, aut dæmonum ludificatione parantur. Non enim fieri poteſt, vt miniſterio bonorũ Angelorum infideles quique miracula faciant: Quoniam vbi Chriſtus Ieſus Dei filius non creditur, nulla gratiæ ſigna per bonos ſpiritus impijs & reprobis hominibus exhibentur. Enimuerò cum ſint in errore falſæ religionis obſtinati ſi quid miraculi fuerunt in ſua æſtimatione aſſecuti, per miniſterium fieri dęmonũ nullatenus eſt dubitandum. Nam cum ſint bonis angelis omnino diſſimiles, nullam eorum aſſequuntur familiaritatem. Nullus enim contemptor fidei Chriſtianæ Deo placere poteſt, ſed quiſquis omnipotenti Deo diſplicere cõuincitur familiaritate ſanctorũ angelorum procul dubio priuatur. Per hoc tamen non retractamus omnem hominem bono alicui ſpiritui cõmiſſum, cuius miniſterio, etiamſi ſit incredulus Dei filio, beneficia naturæ ſuſcipiat, quamuis ad dona gratiæ non pertingat. His verò qui credunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum non ſolùm naturæ beneficia conferunt, ſed etiam gratiæ munera miniſtrant. Manifeſtum eſt ergo, quod ſi quæ fiunt apud infideles miracula, nõ Dei munere, neque ſanctorum miniſterio angelorum fieri poterunt, cum extra vnitatem Eccleſiæ omnes ſint poſiti, & ſigna per iuſtitiam publicam ab impijs nequeant operari. Deus etenim, ſicut dictum eſt, iram ſuam originalem ab homine non remouet, niſi per fidem Ieſu Chriſti, ſed omnis qui incredulus eſt Dei filio, non videbit vitam æternã,

ſed ira Dei manet ſuper eum: Omnis ergo ſuper quem manet ira Dei, Deo placere non poterit,& ideo ſi qua ad eius preces fiunt miranda, non Dei virtute, nec angelorum miniſterio, ſed dæmonum potius ſuppoſitione credantur actitata.

Tertius mirandorum effector eſt diabolus, qui quaſi Simia imitari conciſcit quodcunque viderit, mentes hominũ, maximè infidelium, varijs illuſionibus decipit,& ſibi credentes quadam miraculorum ſimilitudine ſeducit. Neque enim difficile iudico dæmonibus, ſenſus ludificare poſſe hominum, quos conſtat natura cunctis mortalibus conditos ſubtiliores. Scire a. cogitationes mortalium, niſi coniectura quadam, non poſſunt, cum videlicet interiora natura quibuſdam ſignis facimus manifeſta, dæmones futura prænunciant, & aliquando verum dicunt, aliquando decipiuntur coniecturantes & fallunt. Ab initio mundi rem antecedentia quædam ſigna nouerunt, quorum experientia & vſu verum, quod futurum eſt, nonnunquam prænunciant, quam cum nota ſibi, rem præcedentia ſigna viderint, ſtatim quid in cogitatione ſit hominis conijciunt, ſæpius tamen fallũt, quoniam falluntur & ipſi. Cum enim de aliquo interrogantur negotio quod neſciunt, quemadmodum ſi nuncius procul emiſſus citò vel quo die ſit reuerſurus, ſtatim in ictu oculi perueniunt in eum locum vbi illum eſſe nouerunt, quem cum viderint iam inchoaſſe iter ad reuertendum, dies ſtudioſè numerant, & ſubitò reuerſi ad interrogantem certo abſentem ad diem confirmant eſſe venturum. Quod ſi ille aut moram in via traxerit, aut aliorſum declinauerit, certè dæmones iudicio

ſuo deceptos iam, neceſſe eſt falli. Libenter ſe vaticinijs immiſcent, & ſatis promptuli ſunt ad prædicendum futura hominibus, honoris & æſtimationis gratia, quam habere admirationem digni maximè cupiunt, honores diuinos appetunt, & timeri â mortalibus valdè concupiſcunt. Quemadmodum pueri in abdito latitantes, aut diſcurrentes laruati ſubitò erumpentes de latibulis ſuis coæuos nil tale ſuſpicantes ex inopinato terrore cõcutiunt, & rurſus ne cognoſcantur ſe iterum abſcondunt, qui cum neſcientes territos conſiderãt, quaſi magnum ex hoc videantur aſſecuti honorẽ gloriantur. Horum dæmones quidem exemplo terræ magis affixi, & qui circa homines verſantur, nimis inquieti, quos veteres appellauêre Bacuæos homines noctibus territant, & nihil magis quam æſtimationem diuinitatis à mortalibus quærunt. Vnde & coram his cum quibus ratione ſimilitudinis eſſe permittuntur, varias ludificationes nõnunquã faciunt, & ſe terribiles in mentibus, pro vt caſus dederit, oſtendunt. Quotiens poſſunt humani ſimilitudinem corporis libenter inducunt, ſed non ſemper conuenientem aëris materiam, vnde veſtiantur, inueniunt, propterea ſæpius apparent monſtruoſi & horribiles, quoniam congruos, vel humores vel vapores ad perfectionem optatæ apparentiæ non habuerunt. Quanto autem magis terrenis affixi ſunt manſionibus, tanto ex caſu ad materiam facti ſunt obtuſiores. Vnde propter ignorantiam, quam inobedientia cõtrexerũt, prædictiones dæmonum frequenter ſunt falſæ, licet diuina permiſſione aliquando etiam verificentur. Nam vt ſanctiſſimus ille Ioannes Chryſoſtomus

ſtomus inquit, Conceſſum eſt diabolo interdum veritatem dicere, vt mendacium ſuum rara veritate commendet. Quia ſi nunquam diceret verum, neminem poſſet decipere, & nequaquã ad cõtemplandum ſufficeret eius ſeductio. Mirandum igitur non eſt, ſi dæmones hominibus infidelibus aliquando vera videantur prædicere, qui vaticinia in Idolis quondam gentilibus poterant exhibere. Neque mirandum, ſi curam quandoque præſtent infirmantibus, cum naturas nouerint omnium herbarum, ſeque facillimè applicare poſſint ægrotis, & auferre morbos, quos prius intulerunt, vel ſenſibus ad tempus ſubtrahere, quos caſus inflixit. Vtitur autem omnipotens Deus iure imperatoriæ maieſtatis vniuerſorum etiam dæmonum miniſterio tam ad probationem fidelium, quàm ad vindictam impiorum. Qui cum ſint affectione peruerſi, & in ſua rebellione obſtinati atque ſuperbi, diuinas æſtimationes & honores maximè cupiunt, & propterea inuocationibus infidelium, quas ad Deos ſuos effundere ſolent, quaſi ipſi ſint Dij, libenter occurrunt, mortuos quandoque apud infideles reſuſcitare videntur ad vitam, & curioſis hominibus miranda oſtendunt, vt eos in errore priſtino quaſi miraculis conſumatos reddãt omnino pertinaces, mortuos tamen verè non ſuſcitant, ſed hominum ſenſus variè decipiunt, quoniam quidem aut ipſi cadauera mortuorum ingreſſi ad tempus illa circumferunt, tanquam viua, aut illis in locum remotiorem ſubductis, aliquod in ſpecie vitæ defuncti ſimulacrum intuentibus exhibent videndum, ſicut nos quorundam ex-

perientia hominum informauit, manifeſtum credimus dæmones omnia poſſe oſtendere in falſa quadam ſimilitudine, quæcunque ſancti faciunt miracula in veritate. Omnia dæmonum miracula aut ſunt phantaſmata, aut naturali quadam induſtria facta. Nam ſi homines in occultioribus naturæ myſterijs experti quadam obſtruſa cæteris cõplicatione materiæ ad formam inconſuetos & mirandos producunt effectus. Sicuti ex rore cœli naturales formare anguillas: ex coctis carnibus apes, ex quibuſdam radicibus herbarum ſerpentes, & his multa ſi volo ne dicam maiora, ſicut vos in plerifque probatio fecit expertos, quis neget dæmones ſubtiliores naturæ & maioris experientiæ plura poſſe operari naturaliter mirãda quæ nulli hominum ſunt manifeſta?

Quartus verò miraculorũ operator eſt homo, qui quatuor modis operatur miranda quæ neſciẽtibus vel cauſam vel modum non videntur humana. Et primò quidem inuocatione diuini numinis, quando in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti concurrit meritum acceptæ ſanctitatis. Quo quidem modo ſancti Apoſtoli & imitatores eorum, virtute Dei ſimul & merito ſanctitatis in vnitate fidei miracula fecerunt. Sed iſto modo facere miracula infideles nequeunt, quod neceſſarium iter fidei ad ſalutem, non incedunt. Nam etſi vnum plerique eorum credunt in Dominum, quia tamen credere in mediatorem Dei, & hominem renuunt, à Dei miſericordia procul valdè exceſſerunt. Omnia verò promittente ſancto Euangelio, credentibus in Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ ſunt poſſibilia: his videlicet qui fidem rectam ſanctis

quo-

quoque decorant operibus. Enimuerò queadmodum ſine fide impoſſibile eſt, placere Deo ita etiã fides ſine operibus mortua eſt. Omnia nam concederet nobis omnipotens Deus, quæ in fide Chriſti patimur, ſi faceremus omnia ſecundum fidem quæ debemus. Crede firmiter, & operare fideliter, & impetrabis omnia ſemper.

Secundò facit miracula homo ſimilitudine angelicæ puritatis. Quanto enim mens noſtra in fide Ieſu Chriſti confirmata per dilectionem purior euaſerit: tanto ſanctis Angelis effecta ſimilior, eorum familiaritatem maiorẽ aſſequitur. Quiſquis enim ſanctorum Angelorum omnimodam familiaritatem aſſecutus fuerit, cum voluerit in miraculis DEO largiente coruſcabit. Reuelant enim ſancti angeli hominibus puris, & in DEI amore feruentibus arcana cæteris abſcondita, & multa faciunt ei mandato creatoris manifeſta. Nam prope eſt DOMINUS inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet DOMINUS, & deprecationes eorũ exaudiet, & ſaluos faciet eos. Quiſquis enim per gratiam cum Chriſto vnitus eſt, angelorum crebra viſitatione reficitur, & ſæpius cum neceſſitas expoſtulat eorum miniſterio, ſæpius & virtutibus illuſtratur. Hinc eſt quod etiam varijs depreſſi languoribus ad ſuffragia ſanctorũ ſe conferunt & promiſſa DOMINI reuoluentes animo, quod ſuis meritis nequeunt, alienis conſequuntur, quorum in fide Chriſti ſancta deuotio ſalutem à DOMINO percipit, quãdo & puritate adiuta conſcientiæ propriæ, & ſuffulta merito ſanctitatis alienæ in ſpem certè non temerè conſurgit. Fiunt autem in Eccleſia DEI miracula virtute

diuina triplici reſpectu vel medio. Aliquando nã-
que Deus omnipotens miraculum operatur mini-
ſterio angelorum, meritis duntaxat ipſius operan-
tis. Quemadmodum ſanctus Martinus cæcum &
claudum ſanauit inuitos. Aliquando ſolius meri-
to patientis fiunt miracula, ſicuti plures curatos
legimus per malos Chriſtianos, qui infirmi opti-
mos in fide ſanârunt. Tertiò huiuſmodi ſanita-
tes fieri vtriuſque merito, patiẽtis videlicet ſimul
& operantis non eſt dubitandum, Chriſto dicente
ad quendam in ſanctoEuangelio: Si potes credere,
omnia poſſibilia sũt credẽti. Vſq; adeò enim fides
requiritur ad miraculum, vt Dominus noſter Ie-
ſus Chriſtus veniens in patriam ſuam miraretur,
quod non poterat ibi facere virtutem vllam pro-
pter incredulitatem illorum. Sed nihil horum a-
pud infideles agitur, vbi nec in operante ſanctitas,
neque in patiente fides orthodoxa inuenitur.
Tertiò igitur miracula facit homo mediante coo-
peratione diabolicæ prauitatis. Et hoc fieri poteſt
tripliciter, manifeſta videlicet inuocatione dæ-
monũ, implicatione, & ſuppoſitione. Inuocatione
manifeſta, Necromantici & mulierculæ, quas vul-
gò maleficas nuncupamus, miranda faciunt, qui
ſimilitudine voluntatis deprauati in conſortium
dæmonum tranſierunt. Nam ſicut in Eccleſia Dei
Sacramenta ſigna ſunt gratiæ inuiſibilis ſpiritus
ſancti, ita in ſchola dęmoniorum characteres qui-
dam & inuocationis modi notæ ſunt praui homi-
nis & ſpiritus maligni. Vnde maleficis dæmonum
ſigna præferentibus maligni ſpiritus inuocati li-
benter conſueuerunt occurrere, & horrenda ma-
leficia ſimul & miranda quædam exhibere. Sed a-
liter

liter maleficæ, atque aliter Necromantici dæmonum inuocatione mirandos prouocant effectus: maleficæ quodam profeſſionis genere ſubijciuntur dæmonibus, quorum miniſterio aërem turbăt, tempeſtates ſuſcitant, fruges deuaſtant, homines & iumenta infirmant, agunt cum dæmonibus ſpurciſſimæ voluptatis fœda commercia, & eos pernicioſis carminibus, quos voluunt, ab inferis reuocant in aſpectum. Harum facta non miracula, ſed potius maleficia dicenda ſunt, & extremo ſupplicio meritò punienda. Necromantici verò non profeſſione manifeſta, ſed implicita conditione dæmonibus ſe ſubijciunt, dum eos non ſolùm cõiurationibus & oſtenſione characterum, ſed aleis, ſacrificijs, fumigijs, & votis ad circulum viſibiles compellere pollicentur. Horum infinita ſunt ſcelera, quoniam in conſortium dæmonum vel implicitè, vel explicitè omnes conſpicere manifeſtũ eſt. Quamuis autem Necromantici non omnes vel arte vel opere ſint pares, in perniciem tamen propriam damnabili curioſitate omnes ſunt concordes, quia dæmonum ſuffragio cupiũt aſſequi, quod naturaliter nequeant inuenire. Omnia eorum & opera & volumina ſuperſtitionibus & impietate ſunt plena, & ob id procul à finibus credentium exterminanda. Magna incantatorum & Necromanticorum in Oriente multitudo eſt, qui ſuis præſtigijs humanum genus miſerabiliter decipiunt, & penè totam Aſiam maiorem & minorem à fide CHRISTI dudum auerterunt. Tribus modis fieri præſtigiæ poſſunt, miniſterio dæmonum, operatione naturæ, & deceptione artis humanæ. Miracula infidelium verò iſto-

rum fieri modo nullus dubitabit verus Chriſtianorum. Vbi radix ponitur determinata operantis. Sunt autem hodie complures inter Chriſtianos dæmonum operibus dediti incãtatores, malefici, & reprobi circa fidem qui multos nimia curioſitate decipiunt & ſuis artibus impoſſibilia promittunt.

Implicatione verò dæmonum quandoque fiunt miranda: quotiens videlicet homo non ſatis rectè in fide firmatus aliquid operatur, vel optat aliter quàm decet Chriſtianum, etiamſi nullum credit eſſe peccatum. Quod cum fieri non debeat, nihilominus Diabolus ſe intromiſcens optatum plerumque præſtat effectum. Tale namque eſt illud, quo ſpaſmatici plerumque vtuntur: In die ſancto paraſceues annulum cuiuſcũq; metalli ſub officio fabricant, quem ſemper poſteà in digito cordiali portant. Vaniſſima ſunt hæc, nullã penitus radicem veritatis habentia. Attamen vidiſſe me quoſdam eadem vanitate curatos à ſpaſmo negare non poſſunt. Item verbis & herbis fortiſſimas quoſdam aperuiſſe ſeras mihi conſtat, quod neque Dei virtute, neque violentia rerum appoſitarum exiſtimo factum. Innumera quæ vidi, & audiui, poſſem introducere ſimilia, quorum effectus manifeſti quid aliud, quàm quædam dæmonum miracula? ſunt denique nonnulli homines nimiũ curioſi qui characteribus, ſchedulis, annulis, figuris, monilibuſque & vocabulis ignotis fidem & confidentiam pertinaciter adhibentes mirandos ſæpè conſequuntur effectus, quos neque ſanctitatis merito, neque Dei conceſſos miſeratione, ſed perfida potius credulitate ſubminiſtraſſe diabolũ mini-

minimè dubitamus. Dæmones enim maximam humani generis inuidiam habentes, vt animas perdant mortalium, libenter occurrunt vanis operationibus impiorum. Quidnam ſunt aliud characteres & occultorum interpretationes nominũ, quam eſculenta quædam & potagia dæmoniorũ? Quicunque characteribus mirabiles effectus promittentibus, fidem adhibet, & fidem Chriſti & Eccleſiam ſanctorum implicitè negauit. Heu quot hodiè Chriſtiani, quot clerici, quot ſacerdotes (vt maioribus parcam) ſuperſtitionibus & multis & varijs vtuntur in actionibus quotidianis, quibus implicatas dæmonum ſequuntur pactiones, in contumeliam Chriſtianæ fidei & propriam condemnationem? Et quia hæc mala iam nimium ſunt inter Chriſtianos multiplicata, retraxit omnipotẽs manũ, & tradidit eos in ditionem perfidorum vt exactores pœnarum illos ſentiant, quorum imitatione non Deo viuo & vero, ſed vanis ſuperſtitionibus pertinaciter militabant.

Suppoſitione autem dæmonum miranda fieri manifeſtè cognoſcimus, ſi diligentius veritatem inquirimus. Iudæi namque, Saraceni, Pagani ſiue gentiles qui non credunt in Deum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſi qua faciunt miracula, nõ Dei virtute, non angelorum miniſterio, non ſanctitatis merito, ſed dæmonum credimus ſuppoſitione facta. Nam quotiens omnipotentem Deum, in cuius vnigenitum filium non credunt, pro alicuius mirandi effectus miſeratione inuocant, ſciens diabolus, quia non eſt peccatoribus ſalus, & quia non exaudit altiſſimus peccatores infideles, vt eos in erroribus conſeruet pertinaces, ſe occul-

tè pro Deo inuocato applicat,& ſi poteſt, permittente domino,quod poſtulatur orantibus præſtat. Hac diabolus ſuppoſitione tantò liberius vtitur, quantò minus à fide Chriſti & Eccleſię ſacramentis impeditur.Manet enim iraDei ſuper omnes infideles,qui non credunt in eius vnigenitum filiũ, & ſunt in poteſtate diaboli. Ac ideò ſe inuocantibus ingerit loco Dei. Vnde in ſuis erroribus obcæcati Deum inuocant, in cuius filium non credunt, quos in ira manentes audire cum deſpicit, falſus miraculorum operator diabolus accedit. Credunt ergò ludificationibus diaboli,qui credere contemnunt veris miraculis Dei. A dæmonibus falſa miracula ſuis conuenientia erroribus accipiunt,qui veritatem,id eſt, Chriſtum ſequi credẽdo noluerunt. Multi ſunt enim apud infideles, qui vnum Deum creatorem omnium colentes, idola non adorant, & firmiter credunt,in ſua ſe fide ſaluandos. Verum quia myſterium dominicæ incarnationis credere deſpiciunt, manet ſuper eos ira Dei,& in ſuis fatuitatibus euaneſcunt, exiſtimantes ſibi Deum eſſe proximum, in quem non rectè credunt, ſubijciuntur dæmonibus; quorum falſis miraculis fidem adhibentes in ſuis erroribus mẽdacio confirmantur. Cuius rei ſimilitudinem introduxiſſe, ô Cæſar, non pigeat. Erat homo quidã cuſtos porcorum,qui ſchedulam bacillo incluſerat, nomen diui martyris Blaſij continentem, cui tantum fidei detulit, vt baculo in medio gregis terræ affixo, lupum ab acceſſu prohibitum crederet ouium. Hac ſtulta confidentia per longam experientiam tandem roborata, ibat homo ſecutus quòcunque volebat, dimittens ſine periculo

in me-

in nemore porcos, cum luporum iam nullus haberet acceſſum, contigit pertranſire videntem abſente paſtore, qui cernens dæmonem cuſtodiam habere gregis, dixit ad eũ, quid miſer hic agis? qui reſpondit: iſtos cuſtodio porcos. at ille, quis tibi curam porcorum commiſit? iterum reſpondit: ſtulta confidentia paſtoris, nam ſchedulam quandam bacillo incluſã magnæ putat eſſe virtutis, q. Blaſij cuiuſdam meritis q̃bus lupi arceantur à porcis, ſuam peccauit in legem, & noſtras ſequitur vanitates, verum quia inuocatus non cõparet, ego, ne homo confidentiam ſuam amitteret, porcos eius cuſtodio, & me pro Blaſio libẽs ſuppono. Ita, inquit, mortales vanis coniurationibus nos moleſtant, vt niſi velimus æſtimationem noſtri & honorem apud eos perdere omnẽ, neceſſe ſit vt eorum inuocationibus ſtultis plerumque occurramus. Huius ſimilitudine facti dæmones miſeros infideles decipiunt, & miracula, quæ orantes à Deo poſtulant, malignorum ſpirituum ſuppoſitione ſæpius aſſequuntur. In his enim quæ Dei vel cultum reſpiciunt vel honorem, libenter ſe dæmones ingerunt, & qui manifeſtos honores aſſequi nequeunt, occultis nimirum delectantur.

Simul notandum, quod ab initio mundi nulli vnquam religioni vel ſectæ principaliter excellenti defuère miracula, quãuis non omnia ex vno principio ſint facta. Nam quicquid miraculorum in vera religione factum eſt, non aliunde, quàm à Deo factum eſt. Habuit enim lex naturæ miracula ſua, habuit lex ſcripta, habuit iam ſimul & gratia. Qui religionem dedit omnipotens DEVS, ipſe etiam miracula facit. In falſis autem religio-

nibus

ſuo deceptos iam, neceſſe eſt falli. Libenter ſe vaticinijs immiſcent, & ſatis promptuli ſunt ad prædicendum futura hominibus, honoris & æſtimationis gratia, quam habere admirationem digni maximè cupiunt, honores diuinos appetunt, & timeri â mortalibus valdè concupiſcunt. Quemadmodum pueri in abdito latitantes, aut diſcurrentes laruati ſubitò erumpentes de latibulis ſuis coæuos nil tale ſuſpicantes ex inopinato terrore cōcutiunt, & rurſus ne cognoſcantur ſe iterum abſcondunt, qui cùm neſcientes territos conſiderāt, quaſi magnum ex hoc videantur aſſecuti honorē gloriantur. Horum dæmones quidem exemplo terræ magis affixi, & qui circa homines verſantur, nimis inquieti, quos veteres appellauêre Bacuæos homines noctibus territant, & nihil magis quam æſtimationem diuinitatis à mortalibus quærunt. Vnde & coram his cum quibus ratione ſimilitudinis eſſe permittuntur, varias ludificationes nōnunquā faciunt, & ſe terribiles in mentibus, prout caſus dederit, oſtendunt. Quotiens poſſunt humani ſimilitudinem corporis libenter inducunt, ſed non ſemper conuenientem aëris materiam, vnde veſtiantur, inueniunt, propterea ſæpius apparent monſtruoſi & horribiles, quoniam congruos, vel humores vel vapores ad perfectionem optatæ apparentiæ non habuerunt. Quanto autem magis terrenis affixi ſunt manſionibus, tanto ex caſu ad materiam facti ſunt obtuſiores. Vnde propter ignorantiam, quam inobedientia cōtrexerūt, prædictiones dæmonum frequenter ſunt falſæ, licet diuina permiſſione aliquando etiam verificentur. Nam vt ſanctiſſimus ille Ioannes Chryſo-

ſtomus

ſtomus inquit, Conceſſum eſt diabolo interdum veritatem dicere, vt mendacium ſuum rara veritate commendet. Quia ſi nunquam diceret verum, neminem poſſet decipere, & nequaquã ad cõtemplandum ſufficeret eius ſeductio. Mirandum igitur non eſt, ſi dæmones hominibus infidelibus aliquando vera videantur prædicere, qui vaticinia in Idolis quondam gentilibus poterant exhibere. Neque mirandum, ſi curam quandoque præſtent infirmantibus, cum naturas nouerint omnium herbarum, ſeque facillimè applicare poſſint ægrotis, & auferre morbos, quos prius intulerunt, vel ſenſibus ad tempus ſubtrahere, quos caſus inflixit. Vtitur autem omnipotens Deus iure imperatoriæ maieſtatis vniuerſorum etiam dæmonum miniſterio tam ad probationem fidelium, quàm ad vindictam impiorum. Qui cùm ſint affectione peruerſi, & in ſua rebellione obſtinati atque ſuperbi, diuinas æſtimationes & honores maximè cupiunt, & propterea inuocationibus infidelium, quas ad Deos ſuos effundere ſolent, quaſi ipſi ſint Dij, libenter occurrunt, mortuos quandoque apud infideles reſuſcitare videntur ad vitam, & curioſis hominibus miranda oſtendunt, vt eos in errore priſtino quaſi miraculis conſumatos reddãt omnino pertinaces, mortuos tamen verè non ſuſcitant, ſed hominum ſenſus variè decipiunt, quoniam quidem aut ipſi cadauera mortuorum ingreſſi ad tempus illa circumferunt, tanquam viua, aut illis in locum remotiorem ſubductis, aliquod in ſpecie vitæ defuncti ſimulacrum intuentibus exhibent videndum, ſicut nos quorundam ex-

 perien-

perientia hominum informauit, manifeſtum credimus dæmones omnia poſſe oſtendere in falſa quadam ſimilitudine, quæcunque ſancti faciunt miracula in veritate. Omnia dæmonum miracula aut ſunt phantaſmata, aut naturali quadam induſtria facta. Nam ſi homines in occultioribus naturæ myſterijs experti quadam obſtruſa cæteris cõplicatione materiæ ad formam inconſuetos & mirandos producunt effectus. Sicuti ex rore cœli naturales formare anguillas: ex coctis carnibus apes, ex quibuſdam radicibus herbarum ſerpentes, & his multa ſi volo ne dicam maiora, ſicut vos in plerìſque probatio fecit expertos, quis neget dæmones ſubtiliores naturæ & maioris experientiæ plura poſſe operari naturaliter miráda quæ nulli hominum ſunt manifeſta?

Quartus verò miraculorũ operator eſt homo, qui quatuor modis operatur miranda quæ neſciẽtibus vel cauſam vel modum non videntur humana. Et primò quidem inuocatione diuini numinis, quando in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti concurrit meritum acceptæ ſanctitatis. Quo quidem modo ſancti Apoſtoli & imitatores eorum, virtute Dei ſimul & merito ſanctitatis in vnitate fidei miracula fecerunt. Sed iſto modo facere miracula infideles nequeunt, quod neceſſarium iter fidei ad ſalutem, non incedunt. Nam etſi vnum plerique eorum credunt in Dominum, quia tamen credere in mediatorem Dei, & hominem renuunt, à Dei miſericordia procul valdè exceſſerunt. Omnia verò promittente ſancto Euangelio, credentibus in Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ ſunt poſſibilia: his videlicet qui fidem rectam ſanctis

quo-

quoque decorant operibus. Enimuerò quẽadmodum ſine fide impoſſibile eſt, placere Deo ita etiã fides ſine operibus mortua eſt. Omnia nam concederet nobis omnipotens Deus, quæ in fide Chriſti patimur, ſi faceremus omnia ſecundum fidem quæ debemus. Crede firmiter, & operare fideliter, & impetrabis omnia ſemper.

Secundò facit miracula homo ſimilitudine angelicæ puritatis. Quanto enim mens noſtra in fide Ieſu Chriſti confirmata per dilectionem purior euaſerit: tanto ſanctis Angelis effecta ſimilior, eorum familiaritatem maiorẽ aſſequitur. Quiſquis enim ſanctorum Angelorum omnimodam familiaritatem aſſecutus fuerit, cùm voluerit in miraculis DEO largiente coruſcabit. Reuelant enim ſancti angeli hominibus puris, & in Dei amore feruentibus arcana cæteris abſcondita, & multa faciunt ei mandato creatoris manifeſta. Nam prope eſt Dominus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet Dominus, & deprecationes eorũ exaudiet, & ſaluos faciet eos. Quiſquis enim per gratiam cum Chriſto vnitus eſt, angelorum crebra viſitatione reficitur, & ſæpius cum neceſſitas expoſtulat eorum miniſterio, ſæpius & virtutibus illuſtratur. Hinc eſt quod etiam varijs depreſſi languoribus ad ſuffragia ſanctorũ ſe conferunt & promiſſa Domini reuoluentes animo, quod ſuis meritis nequeunt, alienis conſequuntur, quorum in fide Chriſti ſancta deuotio ſalutem à Domino percipit, quãdo & puritate adiuta conſcientiæ propriæ, & ſuffulta merito ſanctitatis alienæ in ſpem certè non temerè conſurgit. Fiunt autem in Eccleſia Dei miracula virtute

diuina triplici reſpectu vel medio. Aliquando nãque Deus omnipotens miraculum operatur miniſterio angelorum, meritis duntaxat ipſius operantis. Quemadmodum ſanctus Martinus cæcum & claudum ſanauit inuitos. Aliquando ſolius merito patientis fiunt miracula, ſicuti plures curatos legimus per malos Chriſtianos, qui infirmi optimos in fide ſanârunt. Tertiò huiuſmodi ſanitates fieri vtriuſque merito, patiẽtis videlicet ſimul & operantis non eſt dubitandum, Chriſto dicente ad quendam in ſanctoEuangelio: Si potes credere, omnia poſſibilia sũt credẽti. Vſq; adeò enim fides requiritur ad miraculum, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus veniens in patriam ſuam miraretur, quod non poterat ibi facere virtutem vllam propter incrudelitatem illorum. Sed nihil horum apud infideles agitur, vbi nec in operante ſanctitas, neque in patiente fides orthodoxa inuenitur.
Tertiò igitur miracula facit homo mediante cooperatione diabolicæ prauitatis. Et hoc fieri poteſt tripliciter, manifeſta videlicet inuocatione dæmonũ, implicatione, & ſuppoſitione. Inuocatione manifeſta, Necromantici & mulierculæ, quas vulgò maleficas nuncupamus, miranda faciunt, qui ſimilitudine voluntatis deprauati in conſortium dæmonum tranſierunt. Nam ſicut in Eccleſia Dei Sacramenta ſigna ſunt gratiæ inuiſibilis ſpiritus ſancti, ita in ſchola dęmoniorum characteres quidam & inuocationis modi notæ ſunt praui hominis & ſpiritus maligni. Vnde maleficis dæmonum ſigna præferentibus maligni ſpiritus inuocati libenter conſueuerunt occurrere, & horrenda maleficia ſimul & miranda quædam exhibere. Sed aliter

liter maleficæ, atque aliter Necromantici dæmonum inuocatione mirandos prouocant effectus: maleficæ quodam professionis genere ſubijciuntur dæmonibus, quorum miniſterio aërem turbāt, tempeſtates ſuſcitant, fruges deuaſtant, homines & iumenta infirmant, agunt cum dæmonibus ſpurciſſimæ voluptatis fœda commercia, & eos perniciosis carminibus, quos voluunt, ab inferis reuocant in aſpectum. Harum facta non miracula, ſed potius maleficia dicenda ſunt, & extremo ſupplicio meritò punienda. Necromantici verò non profeſſione manifeſta, ſed implicita conditione dæmonibus ſe ſubijciunt, dum eos non ſolùm cōiurationibus & oſtenſione characterum, ſed aleis, ſacrificijs, fumigijs, & votis ad circulum viſibiles compellere pollicentur. Horum infinita ſunt ſcelera, quoniam in conſortium dæmonum vel implicitè, vel explicitè omnes conſpicere manifeſtū eſt. Quamuis autem Necromantici non omnes vel arte vel opere ſint pares, in perniciem tamen propriam damnabili curioſitate omnes ſunt concordes, quia dæmonum ſuffragio cupiūt aſſequi, quod naturaliter nequeunt inuenire. Omnia eorum & opera & volumina ſuperſtitionibus & impietate ſunt plena, & ob id procul à finibus credentium exterminanda. Magna incantatorum & Necromanticorum in Oriente multitudo eſt, qui ſuis præſtigijs humanum genus miſerabiliter decipiunt, & penè totam Aſiam maiorem & minorem à fide CHRISTI dudum auerterunt. Tribus modis fieri præſtigiæ poſſunt, miniſterio dæmonum, operatione naturæ, & deceptione artis humanæ. Miracula infidelium verò iſto-

rum fieri modo nullus dubitabit verus Chriſtianorum. Vbi radix ponitur determinata operantis. Sunt autem hodie complures inter Chriſtianos dæmonum operibus dediti incãtatores, malefici, & reprobi circa fidem qui multos nimia curioſitate decipiunt & ſuis artibus impoſſibilia promittunt.

Implicatione verò dæmonum quandoque fiunt miranda: quotiens videlicet homo non ſatis rectè in fide firmatus aliquid operatur, vel optat aliter quàm decet Chriſtianum, etiamſi nullum credit eſſe peccatum. Quod cum fieri non debeat, nihilominus Diabolus ſe intromiſcens optatum plerumque præſtat effectum. Tale namque eſt illud, quo ſpaſmatici plerumque vtuntur: In die ſancto paraſceues annulum cuiuſcũq; metalli ſub officio fabricant, quem ſemper poſtea in digito cordiali portant. Vaniſſima ſunt hæc, nullã penitus radicem veritatis habentia. Attamen vidiſſe me quoſdam eadem vanitate curatos à ſpaſmo negare non poſſunt. Item verbis & herbis fortiſſimas quoſdam aperuiſſe ſeras mihi conſtat, quod neque Dei virtute, neque violentia rerum appoſitarum exiſtimo factum. Innumera quæ vidi, & audiui, poſſem introducere ſimilia, quorum effectus manifeſti quid aliud, quàm quædam dæmonum miracula? ſunt denique nonnulli homines nimiũ curioſi qui characteribus, ſchedulis, annulis, figuris, monilibuſque & vocabulis ignotis fidem & confidentiam pertinaciter adhibentes mirandos ſæpè conſequuntur effectus, quos neque ſanctitatis merito, neque Dei conceſſos miſeratione, ſed perfida potius credulitate ſubminiſtraſſe diabolũ mini-

minimè dubitamus. Dæmones enim maximam humani generis inuidiam habentes, vt animas perdant mortalium, libenter occurrunt vanis operationibus impiorum. Quidnam ſunt aliud characteres & occultorum interpretationes nominũ, quàm eſculenta quædam & potagia dæmoniorũ? Quicunque characteribus mirabiles effectus promittentibus, fidem adhibet, & fidem Chriſti & Eccleſiam ſanctorum implicitè negauit. Heu quot hodiè Chriſtiani, quot clerici, quot ſacerdotes (vt maioribus parcam) ſuperſtitionibus & multis & varijs vtuntur in actionibus quotidianis, quibus implicatas dæmonum ſequuntur pactiones, in contumeliam Chriſtianæ fidei & propriam condemnationem? Et quia hæc mala iam nimium ſunt inter Chriſtianos multiplicata, retraxit omnipotẽs manũ, & tradidit eos in ditionem perfidorum vt exactores pœnarum illos ſentiant, quorum imitatione non Deo viuo & vero, ſed vanis ſuperſtitionibus pertinaciter militabant.

Suppoſitione autem dæmonum miranda fieri manifeſtè cognoſcimus, ſi diligentius veritatem inquirimus. Iudæi namque, Saraceni, Pagani ſiue gentiles qui non credunt in Deum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſi qua faciunt miracula, nõ Dei virtute, non angelorum miniſterio, non ſanctitatis merito, ſed dæmonum credimus ſuppoſitione facta. Nam quotiens omnipotentem Deum, in cuius vnigenitum filium non credunt, pro alicuius mirandi effectus miſeratione inuocant, ſciens diabolus, quia non eſt peccatoribus ſalus, & quia non exaudit altiſſimus peccatores infideles, vt eos in erroribus conſeruet pertinaces, ſe occul-

in nemore porcos, cum luporum iam nullus haberet acceſſum, contigit pertranſire videntem abſente paſtore, qui cernens dæmonem cuſtodiam habere gregis, dixit ad eũ, quid miſer hic agis? qui reſpondit: iſtos cuſtodio porcos. at ille, quis tibi curam porcorum commiſit? iterum reſpondit: ſtulta confidentia paſtoris, nam ſchedulam quandam bacillo incluſã magnæ putat eſſe virtutis, q. Blaſij cuiuſdam meritis q̃bus lupi arceantur à porcis, ſuam peccauit in legem, & noſtras ſequitur vanitates, verum quia inuocatus non cõpareret, ego, ne homo confidentiam ſuam amitteret, porcos eius cuſtodio, & me pro Blaſio libẽs ſuppono. Ita, inquit, mortales vanis coniurationibus nos moleſtant, vt niſi velimus æſtimationem noſtri & honorem apud eos perdere omnẽ, neceſſe ſit vt eorum inuocationibus ſtultis plerumque occurramus. Huius ſimilitudine facti dæmones miſeros infideles decipiunt, & miracula, quæ orantes à Deo poſtulant, malignorum ſpirituum ſuppoſitione ſæpius aſſequuntur. In his enim quæ Dei vel cultum reſpiciunt vel honorem, libenter ſe dæmones ingerunt, & qui manifeſtos honores aſſequi nequeunt, occultis nimirum delectantur.

Simul notandum, quod ab initio mundi nulli vnquam religioni vel ſectæ principaliter excellenti defuere miracula, quãuis non omnia ex vno principio ſint facta. Nam quicquid miraculorum in vera religione factum eſt, non aliundè, quàm à Deo factum eſt. Habuit enim lex naturæ miracula ſua, habuit lex ſcripta, habuit iam ſimul & gratia. Qui religionem dedit omnipotens DEVS, ipſeetiam miracula facit. In falſis autem religio-

nibus vbi veritas non colitur, ſi qua fiunt miracula, non Deus, ſed diabolus operatur. Deus enim cū ſit veritas, religiones falſas non inſtituit, & ideo ſuis miraculis nunquam mendacium illuſtrauit. Mahumet qui malo dæmone plenus falſam religionem inſtituit, non ex Deo, ſed cooperatione dæmonum falſis eam miraculis exornauit. Dæmō etenim, qui cauſam dedit erroris, etiam miraculū (occaſione tamen accepta) falſum potuit exhibere deceptis. Vnde ſi Mahumeto nouam religionem rudi populo perſuadenti penitus defuiſſent miracula, nemo ei forſitan adhibuiſſet fidem. Oſtendit enim & ipſe tam ſubtilitate ingenij, quàm cooperatione diaboli quædam miranda populis, vt nouam doctrinam nouis quoque miraculis confirmaſſe videretur. Paganis idololatris etiam non defuerunt miracula, ſi fidem hiſtorijs non negamus. Iudæi verò ante incarnationem filij Dei legem eius ſuſcipientes per Moſen diuinis frequenter miraculis fuerunt illuſtrati. At verò poſt dominicam reſurrectionem euacuata lege Moſaica, qui non credunt in vnigenitum filium Dei, manent ſub ira indignationis eius, & ceſſauerunt ab eis omnia miracula veritatis. Vnde ſi qua hodie miranda faciūt, dæmonum ſunt opera, & manifeſti indicia erroris. Maximo enim dæmones ſtudio inuigilant, vt eos homines, quos à via veritatis, quæ Chriſtus eſt ſemel defecerunt errātes, cōtinuatione fraudis vſque ad mortē faciant in errore pertinaces. Enimuerò cum Deus gratiam ſuam infidelibus iuſta ratione ſubtrahit, eorum deceptor malignus ſpiritus incognitus accedit, & qui longè ſalutem abeſſe conſpicit, falſis miraculis quaſi propè ſit Dominus

mentes

mentes ignorantium ſeducit. Dæmonum igitur ſunt opera quæcunque infidelium miracula. Quoniam ſicut extra vnitatem Chriſtianæ fidei non eſt ſalus mortalibus, ita ſine Chriſto non conceditur mirabilium ſanctiſſima virtus. Nunc etenim dæmones inſidijs latitantes trophæo Chriſti dudum victi atque confuſi, in aperto comparere, vt ante incarnationem Domini, metuunt, & ideo ſe apud infideles pro bonis ſpiritibus mendaciter oſtendunt.

Sunt etiam qui præſcriptis tribus modis adijciunt quartum, dicentes mentem ſiue ſpiritum ipſius hominis poſſe naturaliter miranda facere, modo ſciat ſe ab omni aduentitio in ſeipſam ſupra ſenſum in vnitatem reuocare. Pollicentur enim qui talia aſtruunt naturæ miranda facere, futura prædicere, ſecreta hominum pandere, morbos auferre, & hominum ſubita conſilia immutare. Sed iſte miraculorum modus non poteſt eſſe ſimpliciter naturalis, certus, communis, & infallibilis, quoniam ſi verus eſt, quod ego non ſum expertus, neceſſe eſt etiam aliquid externæ poteſtatis occurrere, & vel angelum bonum, vel ſpiritum malignum cogitantes in parte occupare. Si autem nihil exterarum virtutum ſe intermiſcet, neceſſe eſt vaticinantem vel ex coniecturis, vel ex audaci præſumptione loquendi formare principium, & aliquando verũ, aliquando falſum pronunciaturũ iudicium. Enimverò quamdiu verſatur in corpore ſpiritus, nihil naturaliter intelligit ſine miniſterio ſenſus. Vnde non obniterer penitus, ſi confuſum & rudem intellectum noſtrum pari concedãt miniſterio adiuuari. Cernimus enim in his qui ple-

plerumq; amoris interni ad Ieſum deſiderio carnis modum contemplantes excedunt à terra ſurſum leuatos in aëra, quos non ſua duntaxat acie mentis, ſed diuina nihilominus virtute pendus excedere corporale putamus. Tria igitur memoratæ opinionis principia incognita multis ſatisfaciunt mea ſententia paucis, vt mẽs in corpore poſita mirandos extra ſe propria virtute operetur effectus. Quid enim, dicat mihi naturæ quiſquis ignarus, vtrum corporale pondus operatione mẽtis alleuari poſſit? Ego conteſtantibus mecũ duobus rem dico expertam. Cum proſequerer adoleſcẽs ſtudia literarũ, in vno lecto quatuor eramus, nocte quadam dormientes, ſurrexit è latere meo coæuus, & dormiens vt ſolebat in ſomnis domum oculis clauſis, & luna introlucente quinta decima quaſi vigil circumambulabat, aſcendit muros, & ſciurum agilitate ſua vincebat, lectum quoque ſecundo & tertio ſopitus tranſcendit, calcauit nos pedibus omnes, nec magis ſenſimus pondus, quàm ſi mus nos cõtigiſſet exiguus. Quocunque dormiens corpus mouebatur, ſubitò ianuarũ omnes vltra aperiebantur clauſuræ. Altiora domus ædificia velociſſimè penetrauit, & more paſſeris hærebat in tectis. Viſa loquor, non vaga relatione audita. Hæc animę, non corporis videntur officia, quæ ſua naturali poteſtate, vt ita dixerim, quaſi liberè vtitur, quando ligatis ſenſibus carnis extra domicilium corporis euagatur. Sed cum non ſit propoſitæ quæſtioni materia ex omni parte conueniens, de cauſis horum mirabilium in aliud tempus remittamus tractatum. Haud enim credimus iſta miranda ſapientibus, qui mentis humanæ virtutem &
nobi-

nobilitatem optimè intellexerunt, vtpote quæ ſolo corporis interiectu remorata, de aliquo par angelis æſtimatur. Faſcinationum denique & varios modos pertranſimus, & genera, quibus ad externa furioſus valde mirandos operatur effectus. Multa etiam poteſt ad producendos mirabiles effectus fortiſſimæ confidentię imaginatio, ſiue in verum, ſiue in æſtimatum feratur obiectum. Vnde cum tot ſint operandi miranda, & genera, & modi, non eſt mirandum, ſi Iudæi, Saraceni, pagani, gentiles, ac reliqui extra fidem Chriſti conſtituti quicunque infideles, qui facere miracula per publicam iuſtitiam nequeunt, miranda vel dæmonum ſuffragio, vel artificioſa induſtria committunt. Nec me fugit pari quidem ratione miracula ſanctorum impugnari ab impijs, quaſi non virtute Creatoris fiant, ſed potius implicatione vel ſuppoſitione diaboli. Quiſquis Chriſtianam fidem ſolam veraciter credit eſſe veram, omnium infidelium miracula cooperatione dæmonum non dubitat eſſe patrata. Si quis verò contrarium temerè & pertinaciter ſenſerit, infidelem ſe, non Chriſtianum oſtendit.

* * *

DE

DE SCRIPTVRA SACRA.

QVAESTIO QVARTA.

QVarta verò Sereniſſimæ Maieſtatis tuæ quæſtio fuit iſta: *Quare omnipotens Deus ſcripturam ſanctam, tam Noui quàm Veteris teſtamenti myſteria fidei noſtræ continentem, non dederit apertam, manifeſtam, in omnibusq; vniformem & palàm ad omnia ſufficientem: Sed inuolutam potius & in multis locis ænigmatibus plenam. Multa enim ad perfectionem fidei ſunt neceſſaria, quæ in diuinis ſcripturis non reperiuntur ſufficienter expreſſa.*

Ad hanc maieſtatis tuæ ſacratiſſimæ quæſtionē videtur reſpondendum: omnis ſcriptura diuinitus inſpirata perfectum diuinitatis eſt opus, ante tempus omne ordinatum præordinatum, in tempore ſcriptum, non ſecus quàm Deus voluit, qui vt ſcriberetur hominibus inſpirauit. Dei enim omnia perfecta ſunt opera: Ideoq; cum ſcriptura, de qua loquimur, Dei ſit opus: Neceſſarium eſt eam in omnibus confiteri perfectam. Summus etenim arbiter Deus, cuius omnia perfecta ſunt opera, ſicut voluit & quem voluit ſcripturis ſuis ordinem cōtulit, & excipientibus illas quemadmodum ſcriberent

bere: t procul dubio infudit. Sacræ namque ſcripturæ tantam omnipotens Deus authoritatem & maieſtatem contulit, vt in eius comparatione omnia huius mundi vocabula deficiant, cum diuina humanis propriè nequeant comprehendi ſermonibus. Diuina igitur ſcriptura quæ ſuperficie verborum neſcientibus apparet confuſa, ſcientibus eâm videtur manifeſta, quoniã niſi legatur illo ſpiritu, quo infuſa hominibus creditur, ad eius intellectum minimè peruenitur. Aliter eã legit indoctus, qui carnis vmbraculo ac vanis deſiderijs æſtuat, & aliter intelligens, quem extinctum voluptatibus, amor Dei veraciter inflammat. Vnde mirum non eſt, ſi homines carnaliter ſapientes diuinas ſcripturas non intelligant, qui carnis voluptatibus obcæcati Dei ſpiritus dulcedinem, nunquam perceperunt. Quemadmodum ſi puero prima literarum elementa diſcenti, volumen exhibeas quodcunque ſcriptum, cuius character ſuo ſit libello diſſimilis, cum legere nequiuerit ſcripturam, ilicò malam & non rectè formatam exclamabit. Pari modo ad lectionem diuinarum ſcripturarum accedentes homines, carnaliter duntaxat ſapientes, qui ea quæ diuini ſpiritus ſunt non capiunt, vitijs & temeritate grauati, cum ſuam ignorantiam & indignitatem culpare debuiſſent, ſcripturas quas non intelligunt ſanctas reprehendunt. Non enim paſſim omnibus diuinas licet interpretari ſcripturas, ne beſtia contingens montem, lapidibus obruatur. Surgunt nũc ordine præpoſtero plures, qui omne vitæ ſuæ tempus in literis humanitatis conſumpſerunt, & ſeniores facti diuinas ſcripturas, quas nuuquam didicerunt, perperàm interpretãtes,

tes, non enucleant, ſed confundunt, & in proprio ſenſu diſcutiunt. Vnde quicunque ſacras ſcripturas non eo ſpiritu intelligunt, quo ſcribentibus ſunt infuſæ, velamen ignorantiæ & temeritatis ſuper cordibus ſuis habent, more Iudæorum expanſum, & inde ſæpius venenum pernitioſi erroris hauriunt, vnde in ſpiritu accedentes Dei humiles ſalutis poculum acceperunt. Non enim habetur doctrina cœleſtis in verbis ſcripturarum, ſed in ſenſu, non in ſuperficie ſermonum, ſed in intellectu, non in folijs ornatæ orationis, ſed in occulto myſticæ inſpirationis. Hinc diuus papa Gregorius ſacra inquit ſcriptura omnes huius mundi ſcientias more locutionis ſuæ longè tranſcendit, quoniam in vno eodemque ſermone dum narrat textum, occultum predit myſterium, & quemadmodum ſimplices ſuperficie refouet, ita ſapientes myſterio exercet, habet enim in publico vnde paruulos nutriat, & ſeruat in occulto, vnde mentes ſublimium in admirationem dulcedinis ſuſpẽdat, quaſi fluuius quidam mirabilis, in quo & agnus ſimplex & paruulus ambulet, & elephas magnus natet. Et S. Auguſtinus ſuper Geneſin dicit: Sic diuina loquitur ſcriptura, vt altitudine ſua ſuperbos irrideat, attentos profunditate ſua terreat, magnos virtute paſcat, & ſua paruulos affabilitate nutriat. Maior eſt enim ſacræ ſcripturæ authoritas, quàm ſit omnis ingenij humani perſpicacitas. Propterea quatenus ad earum verum intellectum perueniatur, inprimis purgandus eſt ab omni affectione carnali animus, implorandum ſedulò cum humilitate diuinæ bonitatis auxilium, vt ſuo illuminet ſpiritu diſcentis intellectum. Autoritati namque diui-

diuinarum ſcripturarum omnia colla ſubdenda ſunt poteſtatū. Et ſicut diuus inquit Hieronimus, nunquam ſic adulandum eſt homini, vt ſanctarum ſcripturarum veritas negligatur, quæ tota in vtroque teſtamento & in narratione geſtorum eſt vera, in monitionibus recta, in promiſſionibus certa, & in comminationibus terribiliter metuenda. Quocirca non omnibus datum eſt poſſe diuinarum ſcripturarum penetrare myſteria, ſed illis duntaxat vtcumque permittitur, quibus & amor continuat ſtudium, & DEI ſpiritus purgatis mentibus verum confert intellectum. Quiſquis autem caligine vitiorum eſt ſordidus, quiſquis mente tumida incedit ſuperbus. Quiſquis de veritate ſcripturarum Dei vel in parte, vel in toto dubitat, nunquam ad earum intelligentiam ſe poſſe pertingere confidat. Dicit enim ipſius auctoritas ſcripturæ, quod niſi credideritis, nō intelligetis. Noſtri eſt tarditas ingenij, noſtri quoque impuritas deſiderij, quoties diuinas ſcripturas non rectè intelligimus, quando videlicet velamen pernitioſæ occupationis ſuper cordibus noſtris manet expanſum, quod non ſinit nos ad verū peruenire intellectum. Hinc fit quod ſenſum quem ſpiritus ſanctus diuinis ſcripturis infudit, non intelligimus, ſed nuda ſcribentē verba capientes in aliū ſenſum retorquemus. Enimuerò, ſi mentes noſtræ à vitijs eſſent purgatæ carnalibus, ſi per continuū ſobrietatis ſtudiū, ingeniū excitaretur in ſcripturis, adhiberetur credulitas & reuerentia, quam dignitas requirit, luce clarius intelligeret omnis ſtudioſus, nihil ſacris lectionibus ineſſe confuſum,

Digitized by Google

nihil diſſonum, nihil inconueniens, nihil abſurdum aut ſine iuſtiſſima ratione inſertum. Omnia ſiquidem diuinæ loca ſcripturæ ſunt plena myſterijs,& quotiens aliquid in eis videtur obſcurè poſitum,diuina eſt prouidentia factum, quatenus & ſtudioſa mens neceſſarium habeat pietatis exercitium, & fides ſimplicium debitæ reuerentiæ non amitteret locum.Non igitur à caſu, ſed prouidentia ſempiterna ſcripturas ſanctas in multis locis voluit eſſe obſcuras, quatenus tot abundaret myſterijs,quot ſenſibus inſpirante Dei ſpiritu Catholicè à doctoribus explanatur. Nam,vt ſacer inquit Auguſtinus, diuinæ ſcripturæ obſcuritas vtilis eſt, & multū prodeſt, propterea quod plures ſententias veritatis parit & in lucem producit hominibus,quia cum alius hunc,alius verò alium ſenſum Catholicè eam exponendo eruit, quàm ſit alta & profunda innoteſcit. Vnde non exiſtimet homo ſeculari literatura tumidus, quod ſacram ſcripturam intelligat,niſi prius velamen ſuperbiæ & omnis inordinatæ concupiſcentiæ deponat.Secularis enim literatura magis valet ad exercitandum ingenium,quàm ad illuminandum ad veram ſapientiam intellectum.Eſt ergò ſine dubio ſcriptura diuina purgatis mentibus per continuum exercitiū diuini timoris & frequens ſtudium lectionis, & manifeſta & lucida, quæ ſordidis & ſeculari ſapientia inflatis confuſa videtur & obſcura. Vnde ſcripturas ſanctas ille benè & rectè intelligit,qui affectione purgata, in earum ſtudio frequens ſic eas exponit, ſicut ille qui ſcripſit.Nam ſi alio ſpiritu legantur, quàm illo qui eas vt ſcriberentur inſpiraſſe creditur, neceſſe eſt quod mens à vero in-

tellectu penitus arceatur. Cum verò diſſonantiam in eis aliquam offendimus, non ſenſuum ſed verborum eſſe duntaxat intelligamus. quæ non à caſu ſed prouidentia Dei ordinante naſcitur, vt mens in ſcripturis (ne torpeſcat omninò) exercitata diutius roboretur. Dei namque conſilium falli nō poteſt, ſed diuinæ ſcripturæ conſilio voluntatis eius ſunt ſcriptæ, ſequitur neceſſario, quòd ſint veræ & nullatenus falſæ. Homines fuerunt à quibus diuinæ nobis ſcripturæ traditæ ſunt verba certè humana conſuetudine vſitata ſcripſerunt quibus hoc ſignificarent poſteritati, quod ſumma illa diuinitatis excelentia notum voluit eſſe mortalibus. Vos igitur nunc qui ſeculari ſapiētiæ dediti ſcripturas impugnatis diuinas dicite; Noui ac Veteris teſtamenti, quam vt veram authēticam & ſanctā Chriſtianorum ſuſcepit & veneratur ſcripturam eccleſia, vnde ſuſceptam creditis, ex Deo, an ex hominibus? Si ex Deo, quare vos ei non creditis? Omnis enim qui ſcripturam impugnat, quā ex Deo inſpiratam credit, diuinæ ordinationi manifeſtiſſimè reſiſtit. Si autem ex hominibus eſt, quare vos promiſſam in ea ſalutem ſperatis ęternam, quam homo dare non poteſt? Niſi forſitan pergatis dicere inſani conficta omnia, & nihil reſtare poſt fata quàm cinerem, mentemq; ſimul cum corpore ſubire interitum, quæ profeſſio non minus vos inſanos demōſtraret, quàm fatuos. Nam ſi in Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum vnigenitum filium Dei veraciter creditis, inſpiratas à ſpiritu ſancto diuinas ſcripturas neceſſariò dicetis, quod ſi facti cum Apoſtatis in reprobum ſenſum cōfictas ab hominibus dixeritis, quàm longè ſitis à ſapientia vera,

in tenebris errantes, impiè demonſtratis, imperitos & temerarios iudices vos eſſe palàm oſtenditis, qui ſcripturam, quam non intelligitis, condemnatis: verum quia familiarius eſt vobis ſapientiam contemnere, quàm diſcere, non eſt huius operis contra temeritatem imperitorum diutius mentem fatigare. Hoc vnum vos ſcire volo, quoniam nemo intelligit, niſi qui accipit, ſed quia vos ne accipiatis, ſordes affectionum interponitis, propterea intellectum veræ ſapientiæ non habetis. Omnipotens etenim Deus illis per gratiam illuminator adeſſe dignatur, qui carnalibus exuti deſiderijs, interni amoris flagrant incendio, qui propter Deũ nihil cupiunt in hoc mundo. Illis Dei ſpiritus præſentia ſua fert opem, quos in amore veritatis radicatos inuenerit, & purgatos ab omni aduentitio in cognoſcentiam omnium introducit. Verè namque diligentibus Deum omnia ſunt aperta, omnia nuda, omnia manifeſta, quoniam quiſquis per amorem, in fide Ieſu Chriſti omnia creantem & gubernantem conſpicit, vniuerſa quæ ſunt ei ad ſalutem neceſſaria cognoſcit. At verò contra ab ignauis, improbis, epulonibus, inuidis, auaris, incubonibus, ſordidis, luxorioſis, homicidis, impijs, ſuperbis & à pietate alienis, procul admodum habitat illuſtratio Dei, permittens eos dæmonis vltoris arbitrio, qui ſæui ignis acumen incutiens ſenſum affligit & mentem, magiſque ad patranda ſcelera impios armat & impellit, vt turpioris culpæ rei, acriori quoque ſupplicio fiant obnoxij. Vnde vitijs & deſiderijs implicati mundanis non ſolùm ſcripturas diuinas intellectu penetrare nequeunt, verùm etiam ſemetipſos negligentes

non

non agnoſcunt. Cum ergo ſcriptura ſacra perfe-ctum ſit Dei opus, ſic mentem confirmemus Cæſar oportet, quatenus eam credamus veram, rectam, integram, ſolidam, diuinitus inſpiratam, & omnibus ad Chriſtianæ fidei confirmationem intelligentibus abundantiſſimè ſufficientem. Enimuerò niſi diuina ſcriptura vera, ſancta, perfectaque in omnibus credatur & integra, fundamento ſuo fides priuaretur Chriſtiana. Cauendum eſt ergò maximè omni Chriſtiano, ne plus quàm expedit diuinas diſcutiendo ſcripturas terminos egrediatur pietatis, quia nō homo auctor eſt ſcripturarū, ſed ſpiritus ſanctus, cuius ordinationi reſiſtere conuincitur, quiſquis integritati ſcripturarum Dei reluctatur. Eſt autem ſcriptura (ordināte Deo) parabolis, ænigmatibus, ſimilitudinibuſque & comparationibus vtiliter intexta figurarum, quatenus legentes exercitentur ad intelligentiam, & interna dulcedine guſtata, mens confirmetur ad pietatem. Itaque ſi purificatis mentibus ſenſum attendamus ſcripturarū, non verba, intelligemus quàm rectè & propriè omnia ſint ordinata. Non enim decebat ſacras ſcripturas, in quibus cognitio diuinæ traditur maieſtatis, vſque adeò planas eſſe & manifeſtas, vt paſſim intelligerentur ab omnibus, quæ bonis intelligenda duntaxat proponitur & ſanctis, non etiam malis ſordidiſque mentibus atque pollutis. Hinc etenim ſcriptum eſt: beſtia quæ tetigerit montem lapidibus obruetur. Quid hic deſignatur per beſtiam? niſi homines imitatione brutorum ſine Dei amore viuentes in voluptatibus carnis? Et quid per montem exprimitur, niſi diuinarum altitudo ſcripturarum? Accedēs ad

montem hunc ſanctum beſtia lapidibus obruitur, quoniam homo mente impurus, aut circa fidem infirmus, qui altitudinem ſcripturarum diuinarũ rimari ſine tradente magiſtro nititur, varijs & perniciosis erroribus quaſi lapidum ictibus vulneratur. Nam ſicut omnia munda ſunt mundis, ita profana videntur cuncta profanis. Poſuit ergo Deus latibulum ſuum altitudinem ſcripturarũ, quę ſic inacceſſibilis, & clauſa eſt reprobis, vt tamen ſemper manifeſta pateat ſanctis.

Quare autem omnipotens Deus ſcripturam ſanctam ad omnia, quæ fidem reſpiciunt Chriſtianã, non dederit ſufficientem & manifeſtam, breuiter reſpondemus. Duo ſunt, quæ ad confirmationem fidei Chriſtianæ altiſſimus prouidit credentibus, Eccleſiam videlicet, & ſcripturam, vt quod in altera non ſatis manifeſtè exprimitur, latius ab altera declaretur. Vnde ſi quid in ſcripturis ſanctis circa regulas fidei minus ſufficiẽter inuenimus expreſſum, mox recurſum habemus ad Eccleſiam, & vbi Eccleſia informatione ſalutari opus habet ad pietatem illico ſe confert & ſcripturã. Hinc fit quod neque ſine ſcriptura haberet Eccleſia authoritatẽ, neque ſine Eccleſia fidem ſcriptura, vt duorum fiat ſententia vna. Auguſtinus enim dicit: Euangelio non crederem, niſi auctoritas Eccleſiæ me compelleret. Ioannes autem Gerſonenſis dicit: Eccleſiæ non crederem, niſi Euangelium me compelleret. Cõfirmat autem ſcripturam ſanctam Eccleſia, & ipſa confirmatur pariformiter a ſcriptura, Eccleſia abundat quoties ſcriptura deficit. Et ſi aliquando Eccleſia dubitat, ad ſcripturæ conſilium recurrit. Vnus enim eſt Dei ſpiritus ſanctus, qui in

fide

fide Ieſu Chriſti fundauit Eccleſiam, ipſe idem omnipotens qui ſolus inſpirauit ſcripturam. Et hic eſt funiculus triplex, qui non facile rumpitur, vbi ſcriptura diuina per ſpiritum ſanctum authoritate Eccleſiæ copulatur vſque adeò, vt Eccleſia ſcripturam, & ſcriptura rurſus commendet Eccleſiã. Cauſam itaque vt mihi videtur ad propoſitã quæſtionem inuictæ maieſtatis ô Cæſar ſufficientem aſſignauimus. Quoniam ſi omnia in ſcripturis ſanctis eſſent manifeſtè expreſſa, quæ pietatem fidei reſpiciunt, non videretur tantæ authoritatis ſancta mater Eccleſia, & euacuaretur magna ex parte meritum obediẽtiæ ſalutaris. Simul ad principalem quæſtionem ſatis puto reſponſum, vbi quidam exiſtimant, ſcripturam ſacram in plerisq; locis eſſe confuſam & imperfectam, quam tamen, ſi debita mentis puritate legerent, inuenirent vtique perfectam & ſolidam. Authoritas Eccleſię Catholicæ magna eſt, quæ ſola in his quæ fidem reſpiciunt in dubijs habet interpretari ſcripturas cui omnium ſubijcienda ſunt colla poteſtatũ, à cuius diffinitione ſi quis auſu temerario diſceſſerit, Euangelium Chriſti negauit. Vna eſt fidelium congregatio, mater Chriſtianorum, Eccleſia ſancta, extra cuius vnitatem nemo ſaluabitur, quæ etſi in moribus quandoque videatur infirma, tamen fide ſemper conſtans nunquam errauit Chriſti pietate ſalua.

DE

DE REPROBIS ATQVE MALEFICIS.

QVAESTIO QVINTA.

Quinta Sereniſſimæ Celſitudinis tuę quęſtio fuit iſta: *Quare homines impy, mali, & reprobi circa fidem, vt ſunt illa mulieres, quas vulgò maleficas nuncupamus, ſpiritibus queant imperare malignis, cùm viri boni, & fidei Chriſtianæ ſtudioſiſſimi obſeruatores neq; bonis ſpiritibus imperare poßint, nec ſemper malignis?*

Ad hanc quęſtionem ita me pridem memini reſpondiſſe: In omnibus diuinæ maieſtatis operibus ſeries & ordo pulchritudinis eſt immobilis æquitatis, quo ſingula conuenienter diſpoſita in eo, quem acceperunt gradu perſeuerant. Nam ſine ordine proprio nihil ſubſiſtit in mundo, in hoc ordine libertas arbitrij, quam Creator omnibus dedit hominibus nulla impellitur violẽtia poteſtatis quo minus ſemper maneat in ordine, quem à principio creationis ſuæ homo primus accepit. Vnde nemo bonus inter mortales niſi propriæ conſilio voluntatis adiutus per gratiam miſerentis Dei, & nemo malus niſi ſua ſpõte gratia deſtitut⁹ propter obſtaculum peccati. Voluntatis autem rectitudine bonis ſpiritibus efficimur ſimiles, ſi pietatem fidei, quam habemus in CHRISTVM, ſanctis & ne-

& neceſſarijs operibus comprobemus. Et ſicuti bonæ voluntatis conſummatio bonos homines ſpiritibus pares facit angelicis, ita peruerſitas impiorum eos ſimiles reddit dæmonibus. Vnde mali homines atque peruerſi, quanto amplius malitia propriæ voluntatis deprauati fuerint, tanto fiunt dæmonibus affectu ſimiliores. Similitudine verò amicitiæ familiaritas introducitur, ex qua paulatim confidentia mutua generatur. Ex confidentia minoris in maiorem naſcitur imperiũ, ſiue ſit verum, ſiue aſtutia ſimulatum. Prauorum itaque hominum ſi quod imperium eſſe videtur in dæmones, ex magnitudine prauitatis oritur: quando videlicet affectus eorum vſque adeò deprauatur, quod concurrentium ſibi dæmonum malitiam voluntate reproba vel ſuperant vel æquant. Non enim ſunt dæmones omnes malitia vel intelligentia pares, ſed eſt alius alio multum & aſtutior agilitate intelligendi, & deprauata affectione longè deterior. Nam qui labentes à ſedibus altis terræ magis coniuncti cauernas ſpeluncaſque inhabitant, cæteris profectò ſunt obtuſiores, vſque adeò quod & gladios metuant, & virgas, miniſque moueri videntur territantium hominum. Quemadmodum in his contueri licet, quos energumenos appellamus. Dæmones autem qui magis remoti commorantur à terra, & ſubtiliores ſunt natura, & rariùs conueniunt hominibus. Homines verò malitia pleni quanto magis in voluntatis peruerſitate profecerint, tanto fiunt ſimiliores dæmonibus, à quibus in familiaritatem admiſſi, iam deinceps efficiuntur audaces, accipiuntq; ſuper dæmones, quorum familiaritate vtuntur, imperi-

perium, non violentæ poteſtatis, ſed fictæ ſimulationis. Dæmones enim vt eos homines quos ſemel in deditionem acceperunt, voluntarios in eorum prauitate contineant, ſimulata ſe dominatione motos libenter ſe illis ſubijciunt, & quod ſponte faciunt, quaſi compellantur ad obedientiam fingunt. Nemo quippe verum ſuper dæmones imperium conſequitur, niſi quem fides in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per ſanctitatis meritum fecerit Deo acceptabilem & amicum, ſic enim de verè credentibus in Dominum Ieſum ſcriptura dicit: Et eis dedit poteſtatem ſuper omnia dæmonia. Imperat ergò dæmonibus homines mali, quos illis maleuolentia ſimiles, ſimilitudo familiares, & familiaritas proprios fecit atque ſubiectos. Quemadmodum ſi magno principi (quod fieri ſæpè contingit) ſeruorum quiſpiam humili natus loco diuturna familiaritate coniunctus imperare dicatur, à quo totum quod poſtulauerit ſine contradictione aſſequitur, vt magis ipſe dominum regere, quàm ab eo regi videatur. Iuxta hanc ſimilitudinem homines mali & reprobi, qui à dæmonibus in eorum admittuntur familiaritatem & fiunt protractiore confidentia multum audaces, accipiunt ſimulatum in illos, ne dicã familiare imperium, quod prauiſſimæ voluntatis ſimilitudine meruerunt. Vnde quicquid à dæmonibus ſibi ex compacto implicito vel explicito concurrentibus expoſtulauerint, accipiunt, niſi quoties ordinatione diuina prohibiti, præſtare nequeunt quod petitur. Nec tamen paſſim reprobis & malis, ita occurrunt omnibus, ſed illis duntaxat, cum quibus interueniente compacto aliquo fœdera inierunt, vt ſunt

vt ſunt maleficæ mulieres, quę homagium præſtitere Diabolo: & inuocatores illi dæmonum, quos vſitato vocabulo Necromanticos vulgus nuncupat.

Duo ſunt genera hominum, qui dæmonibus imperare licitè poſſunt.

Primum quidem illorum eſt hominum, qui merito ſanctitatis Deo dilecti poteſtatem ab ipſo cōculcandi caput antiqui ſerpentis acceperunt, quales in Eccleſia primitiua fuerunt Apoſtoli, eorūq; ſequaces atq; diſcipuli, de quibus in ſancto Euangelio Dominus loquitur, in nomine meo dæmonia eijcient, & ſerpentes tollent.

Secundum verò genus eorum eſt hominum, quibus ratione ordinis in Eccleſia Dei conceditur vt dæmones de hominum corporibus accepti poteſtate miniſterij depellant. Et hoc miniſterium exorciſtis in Eccleſia Dei committitur, quando videlicet à Pontifice ordinantur.

Rurſus ſunt duo genera hominum, qui dæmonibus imperare cupiunt, quod quàm illicitè præſumant iniquiſſimis conditionibus oſtendunt.

Primum genus pernicioſiſſimum eſt maleficarum, quæ pacta ineunt cum dæmonibus, & profeſſione ſolemni præmiſſa in ius proprietatis perpetuumque obſequium dæmonum alicui ſemetipſas tradunt. Quanta mala hoc pernitioſiſſimum genus hominum faciat in imperio tuo, nemo eſt ſapientiſſime Cęſar qui poſſit exprimere. Nam Deum inprimis fidemque Chriſti, & ſacrum Baptiſma negantes, ſe mente & corpore dæmonibus offerunt, homines & iumenta ſuis maleficijs infirmant, lædunt, & occidunt. Non eſt morbus quem (permittente

tente Deo) non poſſint inducere, quia cum ſe dæmonibus in obſeruatione compacti fœderis famulatrices exhibent, illorum cōparatione quicquid voluerint, audent. Vnde non ſunt vſpiam tolerandæ, ſed potius in loco omni funditùs exterminandæ, omnium creatore Deo ſic præcipiente: Maleficos non patieris viuere. Maleficarum aliæ carminibus dæmones aduocant, aliæ precationibus & ſacrificijs eos alliciunt, reliqui nefandis rebus & ceremonijs eos prouocantes in adiutorium impietatis ſuæ trahunt. Mirandū igitur non eſt, quod maleficæ dæmonibus imperare videntur, quibus impietate peruerſæ voluntatis factæ ſunt ſimiles, & mutua conuerſatione in malum humani generis concordes.

Secundum genus prauorum hominum dæmonibus imperare volentium illorum eſt, quos vulgo Necromanticos appellamus, qui artes profitētur execrationibus plenas, quibus pollicentur, ſe dæmones in circulum poſſe conuocare, vel in cryſtallum, ſiue vas aliud incluſos palàm viſibiles oſtendere. Hi pernicioſiſſimi homines pleni mendacio & ſuperſtitionibus tanta committunt mala, quanta bonus nemo poſſet excogitare.

Nam vt in obſequium ſibi dæmones alliciāt ſacrificijs turpiſſimis plerunque vtuntur, & expreſſum cum eis ineunt pactum. Multos varioſque libellos circumferunt ſpurcitijs, impietate, ac mendacio plenos, veterumque philoſophorum & ſapientum nominibus fallaciter inſcriptos, quorū exhibitione incautos & curioſos plures decipiunt, & in foueam dæmonum ſecum trahunt. Promittunt magna & penitus incredibilia, quorum

auditione

auditione homines in admirationem mendaciter ſuſpendunt.

Annulis, pendaculis, imaginibus, exorciſmis, & coniurationibus dicunt ſe dæmones poſſe coarctare malignos, vt in circulo, vel in cryſtallo, ſeu alio receptaculo viſibiles appareant, & ad omnia interrogata diſtinctè reſpõdeant. Hoc omnes quidem promittunt, ſed pauciſſimi noſtris tẽporibus inueniuntur, quibus maligni ſpiritus etiam malis per hunc modum obediant, Deo id iuſtiſſima ratione non permittente, ne curioſitas hominum ad nouitates prona, contempta religione Chriſti, ſuffragia in neceſſitate poſtularet à dæmonibus. Omnes autem quibus maligni ſpiritus aduocati cõiurationibus Necromanticorum obediunt in eorum conſortium per pactum explicitum vel implicitum ſine dubio tranſierunt. Reliquorum verò maior eſt numerus, quibus obedire maligni ſpiritus deſpiciunt, quamuis in profanis ſe Necromanticorum actibus omni tempore non vereãtur occupare. Et quia noſtris maximè temporibus abũdare cæpit iniquitas, & refriguit charitas multorum, iſti maledicti ac mendaciſſimi homines nimium inualuerunt, & quamuis contemnantur à dæmonibus, nihilominus in ſuis pernicioſis dogmatibus perſeuerantes multos decipiunt. Crede mihi, Cæſar, quoniam hoc mendaciſſimum genus hominum ſacro imperio tuo valdè eſt pernicioſum, & ideo non minus, quàm maleficarum ſcaturigo penitus exterminandũ. Pollicentur magna & mentiuntur omnia. Enimuerò cũcta, quæ in libris eorum promittuntur, vana ſunt & mentita, & nihil præſtant credentibus aliud, quàm dolos, fraudes

des & ſubtiliſſimas deceptiones. Quod ſi quando videntur exhibere promiſſa, non aliter quàm dæmonum id fieri cooperatione manifeſtum ſit omnibus, à quorum conſortio non minus eſt fugiendum, quàm à ſæuiſſimis inferni cruciatibus. Occurrunt enim plerumque his necromanticis operationibus dæmones, & vt inuocatores ſuos in cæpta perfidia contineant, eis, ſi poſſunt, rogata præſtant. Aliquando verò coniurationibus inuocati comparere deſpiciunt, & nihilominus inuocantium ſe mentes abduxerunt.

Eſt & aliud genus hominum non minus fatuũ, quàm ſuperſtitioſum, illorum videlicet, qui nullum volunt cum dęmonibus habere commerciũ, & nihilominus rebus vtuntur in operationibus veris dæmonibus appropriatis, & ob id penitus illicitis. Putant enim Characteribus magnam & occultam ineſſe virtutem, & ideò varios contra fidem Chriſti committunt errores. Verum quia nõ eſt huius temporis eorum recenſere veſaniã, propoſitum noſtrum proſequamur.

Quare autem boni & iuſti homines ſuper dæmones non conſequantur imperium, breuiter eſt dicendum. Quemadmodum ſimilitudo voluntatum homines malos & impios pares facit eſſe dæmonibus, ita bonos & iuſtos diſſimilitudo voluntatum eis reddit omnino contrarios. Inter contrarios verò atque diſſimiles nulla poteſt eſſe familiaritas, ſed repugnantia potius continua verſatur & odium. Vbi autem nulla reperitur ſimilitudine voluntatum contracta familiaritas, neque confidentia poteſt eſſe vnius ad alium, neque mutuus in operatione mirabilium concurſus. Nec tu Cæſar glorio-

glorioſe, homo cum ſis hominum moderator magnus & princeps; quempiam tibi familiarem admittis, moribus tibi omnino cõtrarium atque diſſimilem, & tuæ voluntati iugiter reluctantem. Viri autem boni & recti, quia prauiſſimæ voluntati dæmonum ſemper obnituntur, nequaquam in eorum poſſunt tranſire conſortium, quibus nec volunt, nec conſentiunt eſſe familiares, ſed eorum totis viribus refugiunt & deteſtantur occurſum, & ideo fictum illud, de quo dictum eſt, in eos non aſſequuntur imperium. Nuſquam enim tuta familiaritas, quà voluntatum ſimilitudo nulla præceſſit, nec poteſt inter contrarios eſſe concordia, nec inter diſpares voluntate conſtat amicitia. Nec tamen omnibus malis & reprobis paſſim dæmones obediunt, ſed illis duntaxat, quibus confæderantur pactis & obſequijs, & quos aliter nequeunt habere fideles, inuocati libenter occurrunt, licet ſe compelli mentiantur. Mirandum itaque non eſt, optime Cæſar, quod maligni ſpiritus prauis atque peruerſis nonnunquam videntur obtemperare hominibus, quos ſicut diximus, & maleuolentia ſimiles & pernicies in genus humanum fecit eſſe concordes. Sed procul ſit ab omni Chriſtiano, praua ſimilitudine voluntatis velle imperare dæmonibus. Quoniam ſi quis in hac vita malignorum ſpirituum habere conſortium cœperit, in futuro cum eis ſine fide ardebit. Sed quare boni & iuſti homines imperare ſanctis Dei angelis nequeunt in quorum ſimilitudinem bonæ voluntatis tranſierunt. Puto ex prædictis facile quæſtionis huius daretur ſolutio, ſi differentia intellectuum ad memoriam reuocetur. Quamuis enim plures in Ec-

Nn clesiâ

cleſia Dei ſint homines conſtituti, quorum iuſtiti[a]
multis proficit ad ſalutem, pauciſſimi tamen vſq[ue]
adeo noſtris temporibus proficiũt, vt propter ſan-
ctitatis meritum vel metuendi ſint dęmonibus, ve[l]
in conſortium familiaritatis recipiantur ab ange-
lis. Hinc fit, quod homines noſtræ tempeſtatis ne-
que malignis ſpiritibus merito ſanctitatis impe-
rant, neque ſanctis angelis familiares eſſe meren-
tur. Si qui verò in illum ſanctitatis gradum profe-
cerint, quo miracula facientes in Eccleſia, quem-
admodum ſancti quondam profecerunt, iam po-
tenter & imperare dæmonibus poſſunt, & fami-
liare beatorum ſpirituum habere conſortium.
Certum eſt enim quod ſancti & Deo dilecti homi-
nes in primitiua Chriſtianorum Eccleſia maior[a]
quondam bonorum cooperatione ſpirituum be-
neficia præſtitêre mortalibus, quã prauorum ho-
minum impietas maleficia dæmonum miniſteri[o]
vnquam inferre potuiſſet. Multa enim poteſt
miranda patrare, quiſquis Dei cul-
tor verus, ſimilis euaſerit ange-
lis ſanctis.

(*⁎*)

DE

DE POTESTATE MALEFICARVM.

QVAESTIO SEXTA.

Sexta inuictiſſimæ Maieſtatis tuæ Quæſtio fuit: *Vnde poteſtas hæc tãta maleficis quæ patrare tam multa, varia, & miranda poſſunt, etiam in vna hora, qualia vel quanta nullus bonorum facere poſſet in omni vita ſua?*

Ad hanc quæſtionem ſi breuiter voluerimus reſpondere, neceſſario dicemus: quod omnis poteſtas à Domino Deo eſt, ſine quo nihil poteſt omnis creatura. Dicit enim in ſancto Euangelio Chriſtus, ſine me nihil poteſtis facere, vnde manifeſtum eſt, quod omnis poteſtas faciendi aliquid hominibus à Domino Deo, & non aliundè conceditur, ſiue bonum homines, ſiue malum operẽtur. Hinc ſanctiſſimus præſul Auguſtinus dicit, voluntas Dei, eſt prima & ſumma cauſa omniũ corporalium ſpecierum ac motionum, nihilque fit in iſta totius creaturæ ampliſſima & immenſa republica viſibiliter, quod non de interiori inuiſibili atq; intelligibili aula ſummi Imperatoris aut iubeatur aut permittatur, ſecundũ ineffabilẽ iuſtitiã præmiorũ atq; pœnarum. Vnde non eſt dubitandũ Cæſar, quod poteſtas illa maleficarum, in qua mirandos (cooperatione dæmonum) horrendoſque producunt effectus, à Domino Deo concedatur,

cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere, & ſine cuius influxu nec manum homo poteſt mouere. Cõcludunt enim ſancti doctores, quod neque dæmones neque maleficæ quicquam facere poſſunt, ſiue hominem lædere, ſiue iumentum, niſi omnipotẽs Deus velit, conſentiat, poteſtatemque concedat, vt faciant quod iam peruerſa voluntate decreuerũt. Niſi Deus conſentiat & velit, nihil poteſt omnis creatura, alioquin ſi fieri aliquid eo non volente & conſentiente poſſet, ſequeretur neceſſariò, Deũ eſſe infirmum, qui prohibere non poſſet, quod fieri inuitus permittere cogeretur. Sed quoniam omnis homo, in quantum creatura eſt, à Deo dependet, nihil poteſt agere ſine illius voluntate, à quo & velle habet & poſſe. Quicquid igitur maleficæ faciunt, Deo fit permittente, ſine cuius voluntate nihil poſſunt, quia vt poſſint quod volunt, niſi Deus conceſſerit, neque à ſe, neque à dęmonibus conſequerentur, omnis itaque poteſtas à Domino Deo eſt, in quo omnia & ſunt, & mouentur, ſicut in prima rerum omnium cauſa, quoniam à quo libertatem arbitrij accepimus, ab ipſo etiam poſſe quod volumus habemus, ſed cum maleficarum ſit multum confuſus intellectus, non arte humana perpetrant mala quæ faciunt, ſed cooperatione dæmonum, quos vt natura ſubtiles, ita & experientia longa fecit ad producendum miranda veloces. Non enim cauſantur mirandi effectus maleficarũ ab huiuſmodi medijs, quibus vtuntur ad maleficandum. Vt ſunt capita mortuorum, bufones, ſerpentes, characteres, imagines, & his ſimilia. Sed ab inſtituente hæc ſigna Diabolo, qui cum ſit ſuperbiſſimus, Deo cupit in omnibus videri comparandus.

dus. Enimuerò quemadmodum omnipotens Deus quædam in Eccleſia ſua Sacramenta inſtituit, quæ dignè miniſtrantibus ipſo aſſiſtente ſalutarē deſignant & producunt effectum, ipſo qui inſtituit operante ſalutem. Ita & diabolus. qui nihil plus appetit, quàm æſtimari Deo æqualis, quædam ſigna tanquam Sacramenta inſtituit, quibus inuocatus ab his quibus confœderatus pactis operator malignus aſſiſtit, & quoties Deus permiſerit, quod rogatur malum efficit, ſi non permiſerit, ille nihil omninò facit. Omnium ſiquidem effectuum necromanticorum & maleficarum operator diabolus eſt, qui per applicationem mediorum, quę prius ipſe inſtituit, in materiam ſubiectam opus producit optatum, aliquando realiter, aliquando ſolū apparenter. Mulieres autem maleficæ, quæ iam voluntate deprauata, & conſenſu in conſortium dæmonum per pacta tranſierunt, notas quaſdam & ſigna ſymbolica ab ipſis recipiunt, quibus aduocati mox dæmones occurrunt. Nihil in his pernicioſis operationibus dæmonum fortius ſtulta credulitatè maleficarum, quæ pactis augetur & votis, quoniam quanto vel dæmonibus vel eorum ſignis firmiorem adhibuerint fidem, tanto velociorem aſſequuntur ipſis cooperantibus operationem. Voluntatis enim maleficarum nimis truculenta deprauatio eas quodammodo conuertit in furorē, quo mentem præoccupante mox dæmones ſe furentibus applicant, & effectum petitionis pactis inuitati & ſignis Deo permittente inſanientibus præſtant. Simile namque Plato recitabit in libro de furore Poëtico dicens: quemadmodum bachātes fœminæ mente non ſana mel & lac ex flumini-

bus hauriunt, mente autem ſana haurire nequeũt. Id autem efficit eorum animus in conſortium dæmonis mali extra ſe raptus. Exploratum habemus maleficas in fluminibus concitatis hauſiſſe butyrum temporibus, quod aliter fieri, quàm dæmonis miniſterio, nullatenus poteſt. Simili modo in odium traductæ alicuius vel hominis vel iumenti ſuſpirantes interitum grauiſſimo agitantur furore, nihil aliud quam vindictam in animo cogitantes, res capiunt ad maleficiũ ſibi notas & familiares, inuocant dæmones, oſtendũt ſigna ab illis inſtituta, ſimul & characteres, & quod propria virtute perficere nequeunt, illorum miniſterio conſequuntur. Alius verò, qui non eſt dæmonibus pacto & deditione ſubiectus, etiamſi res conuenientes ad maleficium nouerit, ſimul & modum operandi, quamuis exhibeat ſigna, rarò tamen effectũ conſequitur, propterea quod inter familiares dæmonum non habetur. Vſque adeò quippe diabolus elatus ſuperbia Eccleſiam Chriſti æmulatur, vt quemadmodum non ordinatus Chriſti corpus nõ poteſt conficere, quantumlibet verba cõſecrationis proferat, ſic etiam dæmon, quantumuis inuocanti & ſigna ſiue characteres oſtendenti, quem pacto ſibi non nouit ſubiectum, aut nunquam, aut rarò concurrit. Nam ſi omnibus ſe inuocantibus ſine pactis paſſim interpoſitis occurreret, non tot maleficas ſibi proprietatis iure dicatas poſſideret. Hinc eſt quod multi prophanis artibus dediti, dæmones ad circulum, ad ſpeculum, ſiue ad quælibet alia receptacula horrendis coniurationibus conuocare laborantes, nullum conſequuntur effectum, quoniam aut DEI obſtat imperium, aut dia-

diabolus contemnit curioſum hominem ſibi homagio non dicatum. Tria etenim requiruntur ad maleficium, ſine quibus nullum conſtat eſſe perpetratum: animo furens ac voluntate deprauata malefica: cooperatio quoque familiaris diabolica: & ante omnia permiſſio diuina. quod ſi vnum iſtorum non concurrerit, maleficium perpetrari non poterit. Nam ſi Devs non permitteret, nec diabolus quicquam, nec malefica poſſet. Et ſi diabolus prauæ mulieris voluntati non occurreret, nullum illa maleficium perpetraret. Rurſum ſi malefica defuerit, diabolus maleficium nullatenus conſummabit. Vtitur enim voluntate furentis maleficæ diabolus, tanquam artifex inſtrumento ad operandum, ſine quo non poteſt inferre maleficium. Et ſicuti dæmones in poteſtate acumineque ſubtilitatis ab inuicem differunt, ita maleficarum poteſtas non eſt in omnibus vna, ſed in ſingulis, provt dæmonibus concurrunt natura ſubtiliorib' vel groſſioribus, diuerſa. Multa enim ſunt genera dæmonum, & certis inter ſe gradibus diſtant, ratione locorum, in quæ cadentes à principio ſunt detruſi.

Primum quidem genus dæmonum appellatur igneum, quod circa ſuperiorem peruagatur aërē, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demergitur, ſed continuè ſub regionibus permanentes lunaribus, nullum habent cum hominibus in terra commercium. Quod verò ſub luna permaneant, ſanctus teſtatur Auguſtinus in opere de agone Christiano, ſic dicens: dæmones nō habitant in coelo, vbi ſol & ſtellæ ſunt, ſed omnes ſub regione lunari verſantur. Hinc motus, vt reor,

Apuleius, dæmonia dixit animalia eſſe ignita, propterea quod Ariſtoteles confirmauit, in fornacibus ardentibus quædam animalia parua ſæpius viſa volitaſſe penualis apta, quæ totum æuum ſuum diuerſantur in igne, quoniam cum igne oriuntur, & cum eo extinguuntur, & ad ſuum vnde venerāt locum euaneſcentes redeunt. Nulla ſunt eis cum maleficis conſortia, quoniam cum dęmorentur in igne, propter ſubtilitatem ſuam non poſſunt corpus iuduere groſſum ſiue aëreum.

Secundum genus aëreum dicitur, quod in aëre oberrans nobis propinquè commoratur. Si quidē poſſunt ad inferiora deſcendere, & aſſumptis de craſſiore aëre corporibus quandoque viſibiles hominibus apparere. Aëra permittente Deo ſæpius turbant, tonitrua & tempeſtates concitant, & omnes ſimul in perniciem humani generis cōſpirāt, more hominum affectionibus mouentur paſſionum, ſuperbia maximè & inuidia, tanguntúrque perturbationibus continuis, & nec ſolido veſtiuntur corpore, nec vno conſiſtunt loco, neque vnam omnes formam habent, ſed plurimas eaſque ſæpius mutant, ſecundum varieratem affectionū, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus euocati, vel impulſi perturbatione ad nocendum. Habent enim omnino violentum & furioſum morē turbationibus plenum, vnde vehementer malefacti & perturbati repentinas plurimum machinantur inſidias, & dum ſuas agunt incurſiones, partim latere volunt, partim inferunt violentiam. Maleficæ horum dæmonum cooperatione ſuffultę tanto ſunt ad maleficandum potentiores, quantò ſuperiorem ex eorum ordine concurrentem fuerint

aſſecutæ. In vita ſancti Antonij diuus Athanaſius aërem plenum dixit eſſe dęmonibus, quod & Mercurius antea dixerat ter maximus: nullam videlicet mundi partem dæmonum præſentia deſtitutã. Sanctus quoque pręſul Ambroſius dicit, plenus eſt mundus ſanctarum virtutum, quia plenus eſt nequitiarum. Vnde Platonici dæmones in aëre volantes in modum denſiſſimæ niuis ignitæ cupientibus tradidere viſibiles, ſi aliquandiu verſus cœlum ſole ſplendente irreuerberatis oculis continuerint obtutus, ſed neſcio an in aëre cauſetur ob iectum ex conſiſtentia reali, vel certè oculorum motus interclusus repræſentet imagines falſas, nõ ſine detrimento ſenſus, tamen leui, præmiſſorum cepi exprimentum.

Tertium verò genus dæmonum terreſtrium dicimus, quos prolapſos ê cœlo in terram pro ſuis demeritis minimè dubitamus. De hiş ſanctiſſimus præſul & martyr Chriſti Theophorus quondam Ignatius in epiſtola quadam ita ſcripſit ad Epheſios: Nihil melius eſt quàm pacem habere, in qua omne telum euacuatur, aëreorum ſimul & terreſtrium ſpirituum. Ex his autem dæmonibus alij verſantur in ſyluis, atque nemoribus qui venatoribus ponunt inſidias. Alij verò patulis degunt in campis, qui nocte oberrare faciunt itinerantes, nonnulli commorantur in locis abditis atque cauernis, reliqui cæteris minus furioſi & perturbati demorari cum hominibus in obſcuro delectãtur. Non vno ducuntur affectu, ſed vario, quoniam alij ſunt alijs minus deprauati, quanquam omnes ſint malis turbationibus pleni. Ex his quidam ſolis gaudent illuſionibus territare homines, alij præ-

des & ſubtiliſſimas deceptiones. Quod ſi quando videntur exhibere promiſſa, non aliter quàm dæmonum id fieri cooperatione manifeſtum ſit omnibus, à quorum conſortio non minus eſt fugiendum, quàm à ſæuiſſimis inferni cruciatibus. Occurrunt enim plerumque his necromanticis operationibus dæmones, & vt inuocatores ſuos in cæpta perfidia contineant, eis, ſi poſſunt, rogata præſtant. Aliquando verò coniurationibus inuocati comparere deſpiciunt, & nihilominus inuocantium ſe mentes abduxerunt.

Eſt & aliud genus hominum non minus fatuũ, quàm ſuperſtitioſum, illorum videlicet, qui nullum volunt cum dęmonibus habere commerciũ, & nihilominus rebus vtuntur in operationibus veris dæmonibus appropriatis, & ob id penitus illicitis. Putant enim Characteribus magnam & occultam ineſſe virtutem, & ideò varios contra fidem Chriſti committunt errores. Verum quia nõ eſt huius temporis eorum recenſere veſaniã, propoſitum noſtrum proſequamur.

Quare autem boni & iuſti homines ſuper dæmones non conſequantur imperium, breuiter eſt dicendum. Quemadmodum ſimilitudo voluntatum homines malos & impios pares facit eſſe dæmonibus, ita bonos & iuſtos diſſimilitudo voluntatum eis reddit omnino contrarios. Inter contrarios verò atque diſſimiles nulla poteſt eſſe familiaritas, ſed repugnantia potius continua verſatur & odium. Vbi autem nulla reperitur ſimilitudine voluntatum contracta familiaritas, neque confidentia poteſt eſſe vnius ad alium, neque mutuus in operatione mirabilium concurſus. Nec tu Cæſar glorio-

glorioſe, homo cum ſis hominum moderator magnus & princeps, quempiam tibi familiarem admittis, moribus tibi omnino cõtrarium atque diſſimilem, & tuæ voluntati iugiter reluctantem. Viri autem boni & recti, quia prauiſſimæ voluntati dæmonum ſemper obnituntur, nequaquam in eorum poſſunt tranſire conſortium, quibus nec volunt, nec conſentiunt eſſe familiares, ſed eorum totis viribus refugiunt & deteſtantur occurſum, & ideo fictum illud, de quo dictum eſt, in eos non aſſequuntur imperium. Nuſquam enim tuta familiaritas, quà voluntatum ſimilitudo nulla præceſſit, nec poteſt inter contrarios eſſe concordia, nec inter diſpares voluntate conſtat amicitia. Nec tamen omnibus malis & reprobis paſſim dæmones obediunt, ſed illis duntaxat, quibus confœderantur pactis & obſequijs, & quos aliter nequeunt habere fideles, inuocati libenter occurrunt, licet ſe compelli mentiantur. Mirandum itaque non eſt, optime Cæſar, quod maligni ſpiritus prauis atque peruerſis nonnunquam videntur obtemperare hominibus, quos ſicut diximus, & maleuolentia ſimiles & pernicies in genus humanum fecit eſſe concordes. Sed procul ſit ab omni Chriſtiano, praua ſimilitudine voluntatis velle imperare dæmonibus. Quoniam ſi quis in hac vita malignorum ſpirituum habere conſortium cœperit, in futuro cum eis ſine fide ardebit. Sed quare boni & iuſti homines imperare ſanctis Dei angelis nequeunt in quorum ſimilitudinem bonæ voluntatis tranſierunt. Puto ex prædictis facile quæſtionis huius daretur ſolutio, ſi differentia intellectuum ad memoriam reuocetur. Quamuis enim plures in Ec-

cleſiaDei ſint homines conſtituti,quorum iuſtitia multis proficit ad ſalutem, pauciſſimi tamen vſq; adeo noſtris temporibus proficiũt,vt propter ſanctitatis meritumvel metuendi ſint dæmonibus,vel in conſortium familiaritatis recipiantur ab angelis.Hinc fit,quod homines noſtræ tempeſtatis neque malignis ſpiritibus merito ſanctitatis imperant, neque ſanctis angelis familiares eſſe merentur.Si qui verò in illum ſanctitatis gradum profecerint,quo miracula facientes in Eccleſia, quemadmodum ſancti quondam profecerunt, iam potenter & imperare dæmonibus poſſunt, & familiare beatorum ſpirituum habere conſortium. Certum eſt enim quod ſancti &Deo dilecti homines in primitiua Chriſtianorum Eccleſia maiora quondam bonorum cooperatione ſpirituum beneficia præſtitêre mortalibus, quã prauorum hominum impietas maleficia dæmonum miniſterio vnquam inferre potuiſſet.Multa enim poteſt miranda patrare, quiſquis Dei cultor verus, ſimilis euaſerit angelis ſanctis.

(*⁎*)

DE

DE POTESTATE MALEFICARVM.

QVAESTIO SEXTA.

SExta inuictiſſimæ Maieſtatis tuæ Quæſtio fuit: *Vnde poteſtas hæc tãta maleficiis qua patrare tam multa, varia, & miranda poſſunt, etiam in vna hora, qualia vel quanta nullus bonorum facere poſſet in omni vita ſua?*

Ad hanc quæſtionem ſi breuiter voluerimus reſpondere, neceſſario dicemus: quod omnis poteſtas à Domino Deo eſt, ſine quo nihil poteſt omnis creatura. Dicit enim in ſancto Euangelio Chriſtus, ſine me nihil poteſtis facere, vnde manifeſtum eſt, quod omnis poteſtas faciendi aliquid hominibus à Domino Deo, & non aliundè conceditur, ſiue bonum homines, ſiue malum operẽtur. Hinc ſanctiſſimus præſul Auguſtinus dicit, voluntas Dei, eſt prima & ſumma cauſa omniũ corporalium ſpecierum ac motionum, nihilque fit in iſta totius creaturæ ampliſſima & immenſa republica viſibiliter, quod non de interiori inuiſibili atq; intelligibili aula ſummi Imperatoris aut iubeatur aut permittatur, ſecundũ ineffabilẽ iuſtitiã præmiorũ atq; pœnarum. Vnde non eſt dubitandũ Cæſar, quod poteſtas illa maleficarum, in qua mirandos (cooperatione dæmonum) horrendoſque producunt effectus, à Domino Deo concedatur,

cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere, & ſine cuius influxu nec manum homo poteſt mouere. Cõcludunt enim ſancti doctores, quod neque dæmones neque maleficæ quicquam facere poſſunt, ſiue hominem lædere, ſiue iumentum, niſi omnipotés Deus velit, conſentiat, poteſtatemque concedat, vt faciant quod iam peruerſa voluntate decreuerũt. Niſi Deus conſentiat & velit, nihil poteſt omnis creatura, alioquin ſi fieri aliquid eo non volente & conſentiente poſſet, ſequeretur neceſſariò, Deũ eſſe infirmum, qui prohibere non poſſet, quod fieri inuitus permittere cogeretur. Sed quoniam omnis homo, in quantum creatura eſt, à Deo dependet, nihil poteſt agere ſine illius voluntate, à quo & velle habet & poſſe. Quicquid igitur maleficæ faciunt, Deo fit permittente, ſine cuius voluntate nihil poſſunt, quia vt poſſint quod volunt, niſi Deus conceſſerit, neque à ſe, neque à dæmonibus conſequerentur, omnis itaque poteſtas à Domino Deo eſt, in quo omnia & ſunt, & mouentur, ſicut in prima rerum omnium cauſa, quoniam à quo libertatem arbitrij accepimus, ab ipſo etiam poſſe quod volumus habemus, ſed cum maleficarum ſit multum confuſus intellectus, non arte humana perpetrant mala quæ faciunt, ſed cooperatione dæmonum, quos vt natura ſubtiles, ita & experientia longa fecit ad producendum miranda veloces. Non enim cauſantur mirandi effectus maleficarũ ab huiuſmodi medijs, quibus vtuntur ad maleficandum. Vt ſunt capita mortuorum, bufones, ſerpentes, characteres, imagines, & his ſimilia. Sed ab inſtituente hæc ſigna Diabolo, qui cum ſit ſuperbiſſimus, Deo cupit in omnibus videri comparandus.

dus. Enimuerò quemadmodum omnipotens Deus quædam in Eccleſia ſua Sacramenta inſtituit, quæ dignè miniſtrantibus ipſo aſſiſtente ſalutarē deſignant & producunt effectum, ipſo qui inſtituit operante ſalutem. Ita & diabolus, qui nihil plus appetit, quàm æſtimari Deo æqualis, quædam ſigna tanquam Sacramenta inſtituit, quibus inuocatus ab his quibus confæderatus pactis operator malignus aſſiſtit, & quoties Deus permiſerit, quod rogatur malum efficit, ſi non permiſerit, ille nihil omninò facit. Omnium ſiquidem effectuum necromanticorum & maleficarum operator diabolus eſt, qui per applicationem mediorum, quę prius ipſe inſtituit, in materiam ſubiectam opus producit optatum, aliquando realiter, aliquando ſolū apparenter. Mulieres autem maleficæ, quæ iam voluntate deprauata, & conſenſu in conſortium dæmonum per pacta tranſierunt, notas quaſdam & ſigna ſymbolica ab ipſis recipiunt, quibus aduocati mox dæmones occurrunt. Nihil in his perniciosis operationibus dæmonum fortius ſtulta credulitatè maleficarum, quæ pactis augetur & votis, quoniam quanto vel dæmonibus vel eorum ſignis firmiorem adhibuerint fidem, tanto velociorem aſſequuntur ipſis cooperantibus operationem. Voluntatis enim maleficarum nimis truculenta deprauatio eas quodammodo conuertit in furorē, quo mentem præoccupante mox dæmones ſe furentibus applicant, & effectum petitionis pactis inuitati & ſignis Deo permittente inſanientibus præſtant. Simile namque Plato recitabit in libro de furore Poëtico dicens: quemadmodum bachātes fæminæ mente non ſana mel & lac ex flumini-

bus hauriunt, mente autem ſana haurire nequeūt. Id autem efficit eorum animus in conſortium dæmonis mali extra ſe raptus. Exploratum habemus maleficas in fluminibus concitatis hauſiſſe butyrum temporibus, quod aliter fieri, quàm dæmonis miniſterio, nullatenus poteſt. Simili modo in odium traductæ alicuius vel hominis vel iumenti ſuſpirantes interitum grauiſſimo agitantur furore, nihil aliud quam vindictam in animo cogitantes, res capiunt ad maleficiū ſibi notas & familiares, inuocant dæmones, oſtendūt ſigna ab illis inſtituta, ſimul & characteres, & quod propria virtute perficere nequeunt, illorum miniſterio conſequuntur. Alius verò, qui non eſt dæmonibus pacto & deditione ſubiectus, etiamſi res conuenientes ad maleficium nouerit, ſimul & modum operandi, quamuis exhibeat ſigna, rarò tamen effectū conſequitur, propterea quod inter familiares dæmonum non habetur. Vſque adeò quippe diabolus elatus ſuperbia Eccleſiam Chriſti æmulatur, vt quemadmodum non ordinatus Chriſti corpus nō poteſt conficere, quantumlibet verba cōſecrationis proferat, ſic etiam dæmon, quantumuis inuocanti & ſigna ſiue characteres oſtendenti, quem pacto ſibi non nouit ſubiectum, aut nunquam, aut rarò concurrit. Nam ſi omnibus ſe inuocantibus ſine pactis paſſim interpoſitis occurreret, non tot maleficas ſibi proprietatis iure dicatas poſſideret. Hinc eſt quod multi prophanis artibus dediti, dæmones ad circulum, ad ſpeculum, ſiue ad quælibet alia receptacula horrendis coniurationibus conuocare laborantes, nullum conſequuntur effectum, quoniam aut DEI obſtat imperium, aut dia-

diabolus contemnit curioſum hominem ſibi homagio non dicatum. Tria etenim requiruntur ad maleficium, ſine quibus nullum conſtat eſſe perpetratum: animo furens ac voluntate deprauata malefica: cooperatio quoque familiaris diabolica: & ante omnia permiſſio diuina. quod ſi vnum iſtorum non concurrerit, maleficium perpetrari non poterit. Nam ſi DEVS non permitteret, nec diabolus quicquam, nec malefica poſſet. Et ſi diabolus prauæ mulieris voluntati non occurreret, nullum illa maleficium perpetraret. Rurſum ſi malefica defuerit, diabolus maleficium nullatenus conſummabit. Vtitur enim voluntate furentis maleficæ diabolus, tanquam artifex inſtrumento ad operandum, ſine quo non poteſt inferre maleficium. Et ſicuti dæmones in poteſtate acumineque ſubtilitatis ab inuicem differunt, ita maleficarum poteſtas non eſt in omnibus vna, ſed in ſingulis, provt dæmonibus concurrunt natura ſubtiliorib' vel groſſioribus, diuerſa. Multa enim ſunt genera dæmonum, & certis inter ſe gradibus diſtant, ratione locorum, in quæ cadentes à principio ſunt detruſi.

Primum quidem genus dæmonum appellatur igneum, quod circa ſuperiorem peruagatur aërẽ, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demergitur, ſed continuè ſub regionibus permanentes lunaribus, nullum habent cum hominibus in terra commercium. Quod verò ſub luna permaneant, ſanctus teſtatur Auguſtinus in opere de agone CHRISTIANO, ſic dicens: dæmones nõ habitant in cœlo, vbi ſol & ſtellæ ſunt, ſed omnes ſub regione lunari verſantur. Hinc motus, vt reor,

Apuleius, dæmonia dixit animalia eſſe ignita, propterea quod Ariſtoteles confirmauit, in fornacibus ardentibus quædam animalia parua ſæpius viſa volitaſſe penualis apta, quæ totum æuum ſuum diuerſantur in igne, quoniam cum igne oriuntur, & cum eo extinguuntur, & ad ſuum vnde venerãt locum euaneſcentes redeunt. Nulla ſunt eis cum maleficis conſortia, quoniam cum dęmorentur in igne, propter ſubtilitatem ſuam non poſſunt corpus iuduere groſſum ſiue aëreum.

Secundum genus aëreum dicitur, quod in aëre oberrans nobis propinquè commoratur. Si quidẽ poſſunt ad inferiora deſcendere, & aſſumptis de craſſiore aëre corporibus quandoque viſibiles hominibus apparere. Aëra permittente Deo ſæpius turbant, tonitrua & tempeſtates concitant, & omnes ſimul in perniciem humani generis cõſpirãt, more hominum affectionibus mouentur paſſionum, ſuperbia maximè & inuidia, tanguntur que perturbationibus continuis, & nec ſolido veſtiuntur corpore, nec vno conſiſtunt loco, neque vnam omnes formam habent, ſed plurimas eaſque ſæpius mutant, ſecundum varietatem affectionũ, quibus vel occurrunt maleficarum carminibus euocati, vel impulſi perturbatione ad nocendum. Habent enim omnino violentum & furioſum moré turbationibus plenum, vnde vehementer malefacti & perturbati repentinas plurimum machinantur inſidias, & dum ſuas agunt incurſiones, partim latere volunt, partim inferunt violentiam. Maleficæ horum dæmonum cooperatione ſuffultę tanto ſunt ad maleficandum potentiores, quantò ſuperiorem ex eorum ordine concurrentem fuerint

aſſecu-

aſſecutæ. In vita ſancti Antonij diuus Athanaſius aërem plenum dixit eſſe dęmonibus, quod & Mercurius antea dixerat ter maximus: nullam videlicet mundi partem dæmonum præſentia deſtitutā. Sanctus quoque pręſul Ambroſius dicit, plenus eſt mundus ſanctarum virtutum, quia plenus eſt nequitiarum. Vnde Platonici dæmones in aëre volantes in modum denſiſſimæ niuis ignitæ cupientibus tradidere viſibiles, ſi aliquandiu verſus cœlum ſole ſplendente irreuerberatis oculis continuerint obtutus, ſed neſcio an in aëre cauſetur obiectum ex conſiſtentia reali, vel certè oculorum motus intercluſus repræſentet imagines falſas, nō ſine detrimento ſenſus, tamen leui, præmiſſorum cepi exprimentum.

Tertium verò genus dæmonum terreſtrium dicimus, quos prolapſos è cœlo in terram pro ſuis demeritis minimè dubitamus. De hiş ſanctiſſimus præſul & martyr Chriſti Theophorus quondam Ignatius in epiſtola quadam ita ſcripſit ad Epheſios: Nihil melius eſt quàm pacem habere, in qua omne telum euacuatur, aëreorum ſimul & terreſtrium ſpirituum. Ex his autem dæmonibus alij verſantur in ſyluis, atque nemoribus qui venatoribus ponunt inſidias. Alij verò patulis degunt in campis, qui nocte oberrare faciunt itinerantes, nonnulli commorantur in locis abditis atque cauernis, reliqui cæteris minus furioſi & perturbati demorari cum hominibus in obſcuro delectātur. Non vno ducuntur affectu, ſed vario, quoniam alij ſunt alijs minus deprauati, quanquam omnes ſint malis turbationibus pleni. Ex his quidam ſolis gaudent illuſionibus territare homines, alij præ-

Digitized by Google

dictionibus futurorum in admirationem ſui trahere cupiunt audientes. Nonnulli verò ad hoc ſummo conatu laborãt, vt homines irrationabili furore turbatos aut melancholia furentes terreant, lædant, vel occidant, quod experientia ſæpius factum agnouimus. Hinc ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in tertio libro de prouidentia ad Stagyrium monachum dicit: Omni actione Diabolica potentior eſt ad non nocendũ mœroris magnitudo, quia dęmon quoſcunque ſuperat, per mœroré ſuperat, eum ſi auferas, nihil à dæmone quiſquam lædi poterit. Hoc autem dæmonum genus raró eſt maleficis familiare, propter inconſtantiam affectionum & leuitatem, qua territare multos gaudẽt potius, quàm vnius mulierculæ ſubeſſe imperio. Commorantur tamen interdum aut pollicentur veſanis, in vitro, vel in cryſtallo, ſiue in ſpeculo, & carminibus concitati reſponſa dãt mulieribus, & ſi quis venturus eis maledixiſſet in via prænunciant. Et hoc maleficorum genus multum aliquoties differt à reliquis, quoniã quod illæ maleficio reddunt infirmum, iſtę curare pollicentur. Verum quia maleficium vt plurimum repellunt maleficio, earum acceſſus interdicitur ab Eccleſia omni Chriſtiano.

Quartum genus dæmonum nuncupatur aquaticum, quoniam ſe humoribus immergens circa lacus & fluuios habitat, ira plenum, turbatum, inquietum, & fraudulẽtum, quod in mari tempeſtates concitat, nauigiaque demergens in profundũ, multis vitam aufert in aquis. Et iſti dæmones quoties aſſumunt corpus viſibile, in ſexu frequentius apparent fœmineo, & in maſculino rariùs videntur,

tur, propterea quod in locis verſantur humidis, & molliorem vitæ ductum ſequuntur, nec vile ſchema facile cæterorum conſuetudine poſſunt aſſumere. Vnde Naiadas Nereidaſque aquarum Nymphas non maſculino, ſed fæminino ſexu dudum nominauit antiquitas. A noſtris autem aquaticæ mulieres, id eſt, Waſſer Frawen communi vocabulo dicuntur. Qui verò habitant in locis ſicciotibus & ſubaridis, quoties hominibus corporaliter apparent viſibiles, in viros ſe transformant. Diuerſarum quoque ſpecies aſſumunt beſtiarum, prout varijs tanguntur affectionibus. Sancti autẽ Angeli, quoniam affectione nunquam variantur, vniformiter ſemper apparent in forma virili. Nuſquam enim legimus ſcriptũ, quod bonus ſpiritus in forma ſit viſus muliebri, aut beſtiæ cuiuſcunq;, ſed ſemper in ſpecie virili. At verò ſæpius viſi ſunt dæmones circa flumina & fontes in ſpecie mulierum aliquandò chorizantes, aliquandò capillos more fæminarum explicantes, nonnunquam verò cum hominibus loquentes, & varias ludificationes exercentes. Et hoc genus dæmonum non conſueuit cum maleficis habere commercium.

Quintum genus ſubterraneum dicitur, quod in ſpeluncis & cauernis, montiumque remotis concauitatibus demoratur. Et iſti dæmones affectione ſunt peſſimi, eoſque inuadunt maximè, qui puteos & metalla fodiunt, & qui theſauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratiſſimi, hiatus efficiunt terræ, ventoſque flãmiuomos ſuſcitant & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctibus aliquandò de montibus turmatim egreſſi mirandas ſtupendaſque in campis du-

cunt

cunt choreas, & quaſi vnius ducis metuentes imperium ſubitò euaneſcunt ad ſignum, & ad ſua diuerticula reuertuntur. Interdum nolarum inter eos auditur ſonitus, & ſe nonnunquam ſpiritus eſſe hominum vita defunctorum mentiuntur. Nihil magis quærunt, quàm metum hominum & admirationem. Vnde habemus compertum quod ſimpliciores hominum quoſdam nonnunquam in ſua latibula montium duxerunt, ſtupenda mirantibus oſtendentes ſpectacula, & quaſi beatorum ibi ſint manſiones, amicos ſeuiuorum mentiuntur. Ex his quoque dæmonibus quidam incubones ſunt theſaurorum, quos auaritia mortalium abſcondit in terram, & ne rurſus in vſus perueniant hominum eos ſubducunt, furantur, & cuſtodiunt & quandoque de loco in locum tranſponunt. Et hoc genus dæmonum cum maleficis mulieribus nullum conſueuit habere commercium.

Sextum verò dæmonum genus appellatur lucifugum, propterea quod lucē maximè horrent, & deteſtantur, quia nec diebus vnquam apparent, nec alio modo corpus, quàm de nocte poſſunt aſſumere. Hoc eſt negotium quod in tenebris perambulat, genus dæmonum imperſcrutabile ac penitus tenebroſum, paſſionibuſque frigidis agitatum, malitioſum, inquietum, & perturbatum, quod occurrentes homines nocturnis violenter comprimit horis, ſæpiuſque (Deo permittente) aut flatu quoſdam interficit aut contactu. Maleficis non conuenit hoc genus dæmonum, neque carminib⁹ actari poteſt, quia lucem fugit, & voces hominum, ſimulque omnem tumultum aëreum, maximè ad maleficia fæminarum conſueuit oc-

currere

currere, quoniam cæteris omnibus eſt magis ſubtile & audaciſſimæ temeritatis. Terreſtrium quoque nonnulli maleficis vt eſt dictum ſubſeruiunt, qui tamen inferiori gradu habiti maiora illa maleficia inducere minimè poſſunt. Conſtat igitur manifeſtè, quod tota poteſtas maleficarum, in qua tam miranda faciunt, dæmonibus à Domino Deo limitata conceditur, & quando ille non permittit, nihil operantur.

DE PERMISSIONE DIVINA.

QVAESTIO SEPTIMA.

SEptima quæſtio Sereniſſimæ Maieſtatis tuæ fuit iſta: *Quare omnipotens Deus cum ſit iuſtus & vindex malorum tanta maleficia in perniciem humani generis fieri permittat, quibus non ſolùm peccatores, ſed etiam innocentes multi pereunt grauiter cruciati.*

Ad hanc quæſtionem taliter me dudum coram maieſtate tua cõſtitutum memini reſpondiſſe. Omnipotẽs Deus iuſtus & rectus, pius & miſericors, quicquid permittit iuſtè permittit, quoniã iuſtus eſt, & nõ eſt apud eum iniquitas, ſed omnia in vero iudicio, quæ fiunt, aut facit, aut permittit. Cùm ergò quæritur, quare Deus mala fieri permittat? reſpondemus, ideo permittit, quia iuſtus eſt. Non videa-

videatur maieſtati tuæ, ô Cæſar, quam dedimus, abſurda reſponſio, quoniam diuinæ bonitati non præiudicat vllatenus, quod mala fieri iuſtiſſima ratione permittit, potius autem præiudicaret, ſi mala in præſenti mundo fieri non permitteret. Enimuerò ſi non permitteret fieri mala, iam homo peccare non poſſet, eſſet certè impeccabilis, quod eius naturæ non conuenit, cui ab initio liberum arbitrium conditor omnium dedit. Homo etenim creatura cum ſit, & non creator, eſt neceſſariò tam ad bonum conuertibilis, quàm ad malum, cuius eſſe dependet à ſummo creaturarum opifice omnium, quemadmodum à cauſa ſui eſſe omne cauſatum: Creare verò ſoli Deo relictum eſt, qui eſt incorruptibilis & ſempiternus, corruptibile autem omne neceſſariò deficit, conſeruatur autem bonitate creatoris, quamdiu cauſæ influentiam non amittit. Vnde fieri nec potuit, nec decuit, quod homo ex conditione ſuæ naturæ crearetur impeccabilis, quo ſolus gaudet naturaliter opifex omnium Deus, qui eſt incommutabilis & ſempiternus. Quoties verò confertur homini, vt peccare non poſſe videatur, nec libertas arbitrij tollitur, nec poſſibilitas ſimpliciter aufertur, ſed voluntas in bono confirmatur. Et quotienſcunque hoc donum confertur creaturæ, munus eſt gratię, non naturæ. Dicit enim ſcriptura, Deus ab initio creauit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Nam propriè loquendo eſſe non poteſt, vt homo mortalis in originali diſplicentia conceptus, & liberum habeat arbitrium, & non poſſit committere peccatum. Dicit enim ſanctiſſimus pręſul Auguſtinus, prima libertas voluntatis erat poſſe peccare,

care, nouiſſima erit in gloria multo magis non poſſe peccare. Itaque ſi homo peccare non poſſet, propriæ voluntatis ſuæ dominium non haberet. Vnde quamuis omnipotens Deus peccatum non velit, peccare tamen homines, & malum facere iuſtè permittit, quatenus libertate arbitrij permanente, & virtus boni operis meritũ & prauitas voluntaria recipiat, quod fecerit malũ. Nemo enim aut benè facit, aut peccat inuitus. Iuſtè igitur omnipotens Deus peccare & malum facere homines permittit, quibus à principio libertatem arbitrij conceſſit. Sunt autem multæ rationes à ſanctis doctoribus dudum aſſignatæ, quare omnipotens maleficia tanta fieri per dæmonum cooperationem permittat, quarum ordine neceſſariò breuiter faciemus mentionem.

Prima eſt, vt diuinæ manifeſtetur excellẽtia poteſtatis, qui ſolus eſt incommutabilis, & ſupra omnem longè poſitionem. Omnis autem creatura mutabilis ad incommutabilem creatorem nullam habet comparationem. Vnde in Numeris legitur: Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. In Eſaia quoque dicitur Deus fidelis abſque iniquitate, iuſtus & rectus, in libro etiam Tobiæ ſcribitur, Iuſtus es Domine: & omnia iudicia tua vera ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, veritas, & iudicium. Et in libro ſancti Iob legimus: Abſit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas: Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reſtituet eis. Omnis igitur homo, qui ſuam ignorantiam & infirmitatem rectè intelligit, quàm ſit nihil comparatus ad creatorem

ſuum

ſuum patenter agnoſcit, iuſtè namque Deus permittit peccare hominem, quo & libertas cōtinuetur arbitrij & excellentia hominibus innoteſcat magni Dei.

Secunda ratio eſt, vt imperſcrutabilis Dei ſapientia innoteſcat mortalibus, quæ nouit ex noſtris malis elicere bonum, cum vnius peccatum alterius facit eſſe meritum, & virtutis incrementum. Nam ſi malum fieri non permitteret, quis noſtrū intelligeret bonum? Facit enim Deus bonum & ordinat, mala verò non facit, ſed ab impijs facta, ne inordinatè veniant, ipſe diſponit. Neque malitia hominum Dei voluntatem impedit, neque poteſt homo quicquam, quod DEVS non permittit.

Tertia verò cauſa eſt, quod omnipotens fieri maleficia permittit, vt manifeſtet ſuā clementiſſimam bonitatem in eos, qui peccauerunt, & egerūt pœnitentiam, quam nullatenus poſſet oſtendere, ſi creaturam non permitteret peccare. Nam ſi nullus eſſet peccator, nec Deus poſſet eſſe miſerator, ſed quoniam in multis offendimus omnes, vbique Deus inuenit quod remittat, vbique reus occurrit, in quo ſuam miſericordiam pius conditor oſtendat. Vnde ſanctus præſul Auguſtinus: Si leuis morbus eſſet, contemneretur medicus, nō quæreretur: ſi medicus non quæreretur, morbus non finiretur. Ideo vbi abundauit peccatum, abundauit & gratia, quæ ſola diſcernit redemptos à perditis, quos in vnum coaceruat maſſa perditionis, ab origine ducta creationis. Eſt ergo miſericordia Domini ſuper omnia opera eius.

Quarta verò ratio diuinæ permiſſionis eſt: vt

iuſtitia creatoris in eos declaretur, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, quoniam ſi omnes benefacerent, & nemo peccaret, nihil haberet iuſtitia Dei, quod puniret, vt ergò iuſtitia locũ habeat, diuina permiſſione creatura peccat. Iuſtus enim eſt Dominus, qui reddet vnicuique ſecundũ opera voluntatis ſuæ.

Quinta ratio eſt dignitas conditionis humanæ, quia ſi Deus non permitteret peccare hominem, brutis videretur deterior, quæ nulla impellente violentia naturæ motibus liberè vtuntur. Nam etſi ratione bruta careant, liberum tamen naturæ motum habent, quem ſequuntur, in quorum comparatione homo videretur inferioris conditionis, ſi liberum non haberet arbitrium voluntatis. Permiſit autem homini Deus voluntatem liberã, cui nec reges imperant, nec principes.

Sexta ratio eſt laus meriti conſtantiæ humanæ virtutis, quoniam iuſtum virum propterea laudamus quia cum potuiſſet tranſgredi, non eſt tranſgreſſus, ſed gratia Dei adiuuante in bonæ voluntatis conſtantia permanſit.

Septima ratio, quare omnipotens Deus permittat dæmones tanta maleficia intercurſu maleficarum facere, eſt vt illi, qui contempta veritate delectantur mendacio, per inuentorem mendacij diabolum ſeducti penitùs decipiantur. Dignum eſt enim vt incantatores atque maleficæ, qui ſalutaria Chriſti documenta ſequi deſpiciunt, à dæmonibus decepti, omnes ad inferos demergantur in æternum puniendi, ſuffragium à dęmonibus totius humani generis hoſtibus expetunt, & Saluatorem mundi, quem ſolum adorare debuerant, contem-

nunt.Iuſtum eſt enim vt is, qui veritatē ſpontanea voluntate deſerens adhæret mendacio,in interitū à diabolo præcipitetur.

Octaua cauſa eſt manifeſtatio diuinæ poteſtatis,cuius potentia & virtus eſt ſuper omnem creaturam.Enimuerò cum Deus omnipotens aliquando magna permittat diabolo,&parua quædam deneget,quàm ſit infirmus humani generis hoſtis & diuinæ maieſtati ſubiectus in omnibus manifeſtat:Nihil enim à ſeipſo poteſt diabolus, ſed omnia quæ facit,Deo permittente facit. Cauſa igitur omnium prima, propter quam omnipotens Deus fieri maleficia permittit,iuſtitia eſt, qua libertatē, quam creaturæ ſemel à principio contulit, ordine inuiolabili cuſtodit. Verùm quia poteſtas creaturæ omnis à ſuo creatore dependentis reſtricta eſt & limitata,nec diabolum omne quod vult poſſe manifeſtum eſt,nec hominem, voluntate quantūlibet deprauatum. Voluntas quidem eſt libera, ſed poteſtas certis & neceſſarijs gradibus limitata. Quoniam quidem ſi dæmones poſſent omnequod vellent,nihil tutum in humanis permaneret, ſed labefactarent omnia. Ligatam verò poteſtatem dæmonum hiſtoria ſancti Iob manifeſtè demonſtrat exemplo, quem non amplius tentare Sathan audebat,quàm ei fuerat diſpenſatione diuina permiſſum. Nemo enim in præſenti mundo, quantūlibet iuſtus aut fortis dæmonum furori poſſet reſiſtere,ſi pro eorum arbitrio libera ſemper nocendi poſſent vti poteſtate. Ante verò dominicam paſſionem maiore, quàm poſtea, libertate vtebantur poteſtatis. Sed CHRISTO mortem pro nobis in ara crucis guſtante, valdè ea deinceps

eorum

eorum eſt imminuta poteſtas, ſaluatore in Euangelio dicente: nunc princeps mundi eijcietur foras. Etenim Christi humilitas, & perſeuerantia ſanctorum, audaciā dæmonum valdè reſtrinxerunt, ita quod incentores malorum rectè nuncupari poſſunt, impulſores verò minimè. Nec inualeſceret contra nos Diabolus, niſi vires ex noſtris peccatis acciperet. Hinc nos ſcriptura admonet dicens: reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis: & iterū, nolite locum dare diabolo. Concludendo igitur ſermonem ad intelligentiam propoſitæ quæſtionis, quare Devs fieri tot maleficia permittat, rationes credo ſufficienter manifeſtas. Nam etſi voluntas dæmonum ſemper ſit iniqua, poteſtas tamē nunquam poteſt eſſe iniuſta, quoniam quod malè vult, ex proprio habet arbitrio, quod autem malè facere poteſt, ſolùm habet à Deo. Et hæc quantum ad eos pertinet, qui mala faciunt dicta ſunt.

Sed quare omnipotens Devs permittit dæmones lædere homines medio maleficarum, qui in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt, & fideliter credunt, in vnigenitum filium eius Dominum noſtrum Iesvm Christvm? Nam ſi malos, peruerſos, & infideles in corpore & in rebus tantùm lædere poſſent, coërcerentur verò ab acceſſu & læſione bonorum atque fidelium, permiſſionis iuſtum rectè videretur eſſe iudicium. Nunc autem frequentius boni & innocentes dæmonum maleficijs infirmantur, & quandoque etiam vita priuantur, vt ſilentio iacturam rerum temporalium, quam ſæpè maleficati patiuntur, tranſeamus. Multis venit in ſcrupulum, cur

Oo 2 iſta

&corporis ſanitate, ille Deum veraciter diligit, & integritatem fidei Chriſtianæ rectè cuſtodit. Non ſunt inter Chriſtianos tolerandi, ô ſacratiſſime Cæſar, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem, qui per maleficia curant maleficiatos, qui furta miniſterio dæmonum reuelant & adulteria, qui lapidum aut ſpeculorum inſpectione prænunciant futura. Non exaudias illos, precor, qui diuinarum legum ignari huiuſmodi miniſtros dæmonũ, imperio tuo exiſtimant vtiles, propterea quod maleficio nouerunt maleficia diſſoluere, quoniã iſta perniciosa curatio corporũ, mortem inducit animarum, & facit homines à Deo creatore omnium recedere, & impijs apoſtatis dæmonibus adhęrere, cum quibus poſt mortem damnabuntur in æternum.

Secunda ratio quare omnipotens Deus maleficio lędi permittat innocentes, eſt augmẽtum meritorum, vt videlicet probata eorum in tribulatione patientia, coronam gloriæ in cœlo digniorem mereatur. Nam, vt ſacer inquit Auguſtinus, homo ſibi ignotus eſt, quid ferre poſſit, quid non poſſit: aliquando metuit ſe non poſſe quod tamen poteſt cum accedit tentatio, quaſi interrogator quidam homo inuenitur à ſeipſo qui prius latens neſciebat ſeipſum. Diuus Archiapoſtolus Petrus, antequam ei ſuperueniſſet tentatio, & ſe latebat, & alios, quàm eſſet inconſideratus & infirmus, acceſſit illa, & apparuit infirmitas, quæ latebat. Maxima igitur hominis probatio tentatio eſt, ſacra teſtante ſcriptura, vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Facilis eſt in proſperitate patientia, quando mẽtem nulla pulſant ad-

uerſa. Multæ autem tribulationes iuſtorum, ſed de omnibus his liberabit eos Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Tertia diuinæ permiſſionis ratio eſt humilitatis cuſtodia, quatenus homo fidelis & iuſtus Deũ ſemper timeat, & nunquam de ſua fortitudine vel iuſtitia præſumat. Hinc de reprobis dicit ſcriptura: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò terruit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua, prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Miſerentis Dei eſt, quod homines bonos & iuſtos interdum permittit aduerſitatibus concuti, quos nouit in proſperis non poſſe humiliari. Multos enim tribulatio fecit humiles, quos ſecunda reddidiſſent elatos. Denique maleficiorum timida imaginatio facit bonum hominem, timere Deum ſuum, & eius ſedulo inuocare auxilium, quo munitus contra dæmonum incurſus ſe poſſit confidere tutum. Nemo autem ſuperbus & præſumens de viribus ſuis à maleficijs dæmonum ſe tutum exiſtimat, quoniam quem inflatum ſuperbia Dei protectio deſerit, dæmonum maleficijs procul dubio patefcit.

Quarta ratio eſt, vt bonorum malorumque diſcretio habeatur. Dicit enim de bonis ac Deo dilectis hominibus ſcriptura in actibus apoſtolorum, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et ſanctus Chriſti amator Paulus in quadam Epiſtola dicit: Omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur. Sapientiſſimus quoque Rex Salomon in prouerbijs dicit: quem diligit Dominus, corripit,

& quaſi

& quaſi pater in filio complacet ſibi. Res Chriſtiano nimis glorioſa pro Dei amore patienter tolerare aduerſa, ſiue à malis hominibus inferãtur, ſiue à dæmonibus. Datur enim poteſtas diabolo eiuſque miniſtris lædẽdi homines bonos & iuſtos, non in eorum confuſionem, ſicut petitores exiſtimant, ſed in maximam potius & certam animæ conſolationem. Enimuerò cum benè viuit homo iuſtus, neminem lædit, neminem offendit, nulli facit iniuriam, Deum ſuũ toto corde diligit, timet, & veneratur, omni ſolicitudine mandata eius cuſtodiens, & nihilominus tribulatur à maleficis, ſiue in corpore, ſiue in rebus, ſiue in vtroque, verè beatus homo eſt ille, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus his, qui diligunt eum. Omnis qui rectè viuit in vnitate fidei Catholicæ Chriſtianorum, & mala in hoc mundo recipiens pro Dei amore patienter tolerat, certum eſt ſignum, quod in gratia Dei ſaluãdus perſeuerat. Quo contra de malis & reprobis ita ſcriptum legimus: quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitijs, domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Manifeſtum enim damnationis eſt ſignum, ſi hic malè viuas in peccatis & vitijs, Deo contrarius, & in bonis fortunæ corporiſque ſanitate proſperatus.

Quinta ratio quod omnipotens permittit homines bonos & iuſtos tribulari à malis & reprobis, eſt propter mentis omnimodam purgationẽ. Nam ſicut ſcriptura dicit, non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet, ſed cum

Deus nullum peccatum tranſeat impunitum, ordinat iuſtus hominibus per miſericordiam pro eorum dilictis pœnas temporales, impijs verò & reprobis per iuſtitiam æternas. Commutat ergo ex miſericordia pœnitentibus pœnam æternam in temporalem, quam vel in hoc mundo patiatur neceſſarium eſt, vel poſt mortem in purgatorio. Verum quia purgatortj tormenta ſunt horrenda atque grauiſſima, miſericorsDeus pœnitẽtes quos diligit, in hacvita purgare varijs modis cõſueuit, per incommoda diuerſarum in corpore & in rebus tribulationum. Proſunt enim maleficia impiorum bonis & iuſtis hominibus ad medelam, ipſis autem inferentibus ad damnationem.

Sexta ratio eſt, vt homo per incurſus dæmonũ maleficiatus reuocetur ad pœnitentiam, & proponat in corde ſuo neceſſariam vitæ emendationẽ. Omnipotens etenim Deus non ſubitò cum peccamus immittit vindictam, ſed vſque ad præfinitum tempus noſtram expectat emendationem. Si verò pœnitentiam agere neglexerimus, venit ad nos vindex malorum, quando non putamus, & qui nos peccatores in tranquillitate pœnitendo recognoſcere contempſimus, in tribulatione ſerò tandem recognoſcemus. Hinc ſanctus Propheta in perſona Dei loquitur dicens: ſi dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis nõ ambulauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea.

Septima ratio quare omnipotens Deus permittit maleficia dæmonum præualere bonis & inno-

centibus

innocentibus eſt, vt amputetur eis nimium licentioſa peccandi occaſio. Sunt enim multi pauperes & infirmi Deo placentes boni & deuoti & humiles quos inopia&ægritudo corporis inDei amore conſeruant,qui ſi diuites honoribuſque ſublimati eſſent,citò in profundum vitiorum à ſanctitatis propoſito defluerent.Non expedit omnibus ad ſalutem habere cum ſanitate honores atque diuitias, nec diuturnior vita hominem ſemper efficit meliorem. Propterea omnipotens Deus volens in eos,quos elegit, miſericordiam ſuam oſtēdere, permittit bonos, iuſtos,& innocentes varijs calamitatibus ſubiacere,& aliquandò per dęmones,aliquandò per malos homines, aliquandò diuerſis alijs modis ac medijs aufert ab huiuſmodi hominibus diuitias & honores, quibus malè præſciuit vſuros,quatenus humilitatem in paupertate & abiectione cuſtodiant, quam in opulentia & ſublimitate poſiti minimè conſeruaſſent.Permittit etiã ſæpius multas eos & magnas ægritudines incidere,quibus læta ſanitas carnis, maximam intuliſſet ægritudinem mentis.

Denique permittit maleficio quoſdam ad mortem impelli, vt amputetur eis peccandi licentia, qua fuerant abuſuri, diutius in vita permiſſi.Hinc de viro iuſto dicit ſcriptura: raptus eſt,ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam eius.

Octaua ratio diuinæ permiſſionis eſt, vt homines Sacramenta venerentur Eccleſię,quæ magnam habent virtutem cõtra omnia maleficia malignorum ſpirituum. Raro enim maleficijs dæmonum læditur,qui ſacramenta & ritus Eccleſiæ Catholi-

cæ debito cum honore veneratur. Et propria maleficarum cōfeſſione ſæpius audiuimus, quod miſſarum auditio & vſus rerum benedictarum ab Eccleſia multum infirment dæmonum poteſtates. Neque enim fruſtra benedicuntur in Eccleſia Dei, ſed vt ſint quæ diuinæ protectionis munimen dæmonibus oſtendant, metuenda ſignacula. De pueris verò & infantibus qui in Chriſto renati maleficijs dæmonum vel hominum quandoque necantur, non dubitamus, quin diuina prouidentia hoc fieri permittat eis in ſalutem, qui omnia nouit in melius ordinare mortalibus. Sæpè tamen cōtingit, infantes maleficijs perire propter delicta parentum.

(*:*)
(*)

DE

DE PROVIDENTIA DEI.

QVAESTIO OCTAVA.

Ctaua Serenitatis tuæ quæſtio iſta fuit: *An ratione queat naturali, quemadmodum & ſanctis ſcripturis probari, Deum habere curam humanarum rerum, & actionum, eorũq; omnium & ſingulorum, quæ geruntur in mundo, certam & infallibilem prouidentiam?*

Ad hanc quæſtionem ita memini reſpondiſſe. Mundus totus, cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt diuinæ ſunt prouidentiæ ſubiecta, cuius volũtate & imperio ab initio in eſſe producta fuerũt. Nihil eſt enim in toto vniuerſo, quod prouidẽtia creatoris non gubernetur. Hanc ſentẽtiã primo quidem ſcripturis, & poſtea rationibus, quãtum licet breuiter comprobemus. In libro Iudith legimus: Omnes viæ tuæ pacatæ ſunt, & cũcta iudicia tua in prouidentia poſuiſti. Et in Eccleſiaſte ſapientiſſimus Rex Salomon ſic loquitur: ne dederis os tuũ, vt peccare facias animam tuam, neq; dicas coram Angelo, non eſt prouidẽtia, ne fortè iratus Dominus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum. Manifeſtiſſima prouidentiæ teſtimonia cõfirmãtur in ſancto Euangelio, dicente Saluatore noſtro ad diſcipulos: nõne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadit ſuper terrã

coram

coram Deo? Magna diuinæ prouidentiæ commendatio, quæ non ſolùm hominum curam habet, ſed auium quoque minutarum. Enimuerò ſi tam parua curat omnipotens, quis eum curam habere magnorum non crederet? Reſpicite inquit volatilia cœli, quæ non ferunt, neque metunt, neq; congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Et poſt pauca ſubiungit dicens: ſi fœnū agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei? omnipotens Deus, quia omnia creauit, & cum non eſſent in eſſe produxit, ne labantur & defluant, vniuerſa regit & gubernat, quod fieri nullatenus poſſet, ſi prouidentiam & curam omnium non haberet. Nam ſi prouidentia tollitur, neceſſe eſt vt continuationis ordo totius vniuerſi confundatur. Curat autem omnia prouidentia creatoris, quoniam qui volatilia paſſit, & dat iumētis eſcam ipſorum, & implet omne animal benedictione, veſtitque fœnum agri, ornans pulchro decore violas & lilia, hominis non poteſt obliuiſci, quem ad imaginem ſuam ab initio creauit. Omnia curat qui omnia gubernat, & non ſolùm hominis prouidentiam gerit, ſed etiam omnium iumentorum, in cuius ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt qui voluntati eius in aliquo poſſit reſiſtere.

Conſideremus nunc ergo ingentem hanc machinam totius vniuerſi, quemadmodum in ſua originali diſpoſitione ac motu ſemper ordinatiſſima perſeuerat, & diuinam illam incommutabilē prouidentiam (niſi mente turpiter excedamus) ea conſeruare, dirigere & gubernare manifeſtiſſima ratione intelligemus: Deinde contemplemur terrena

rena omnia, quàm ordinatiſſimè ſingula quæque in ſua naturali diſpoſitione naſcuntur & procedunt, quod fieri non poteſt à caſu, ſed illius volũtate moueantur oportet, cuius facta & creata ſunt poteſtate. Conſequenter verò terram in medio locatam mundi, veluti punctum ſiue centrũ, quod circulum explicat æque diſtanter totius vniuerſi, quo nihil pulchrius, nihil ornatius, nihil denique magis delectabile ſenſui ſe potuit offerre contuẽdum. In hoc puncto molis immenſæ ab ipſa concluſa mole mirabiliter omnia cernimus ordinata & nihil non ordinatum poſſe relinqui, vt omnia, quæ interdum fluitare nobis aliquo modo videntur, certo ſciamus penes ordinẽ vniuerſi ſuo quodam ordine non carere. Dei etenim nutu ſimplici ac penitus incommutabili omnis machina totius vniuerſi ex tot diuerſis mobilibuſq; congeſta ordinatiſſimè conſpirat & regitur. Videmus certè in his, quę noſtro ſeſe ingerunt ſenſui, quoniam quãto in gubernatore quolibet maior cum tempore conſurgit intelligentia & poteſtas, tantò illic minus aliquid fortuito caſu inordinatum poteſt cõtingere. Cum ergò ſummus ille intellectus omnium creator, conſeruator, & rector omnipotẽs Deus mundum ſua incommutabili prouidentia regat & gubernet, omnia ſuo continens ſub imperio, nullus certè vnquam temeritati relinquitur locus, quæ tantæ maieſtatis impediat voluntatem.

Vniuerſum igitur quod vſpiam eſt vel eſſe poteſt, ſub vnius diuinæ mentis imperio comprehẽditur, cuius infallibile iudicium nihil ſubterfugere poteſt. Nobis autem inopinati caſus accidũt, quo-

quoniam mutabiles ſumus, & quotidiè ferè mutamur, nullam futurorum habentes determinatã ſcientiam. Optimus verò ille factor omnium Deus, cum ſit omninò incommutabilis, omnia nouit, omnia conſpicit, omnia ſimul & ſemel intelligit, cuius prouidentia non fallitur, cuius voluntas nunquam variatur, cuius potentia non frangitur, cuius ordinatio non violatur, cuius conſilium nunquam intercipitur, etiamſi mutari ſententia, quandoque videatur. Vnde ſi diligenter aduertamus, planè intelligemus, quoniam fines rerum & motionum declarabunt inferiora hæc omnia diuina prouidentia fieri, conſeruari, diſponi, atque moueri: cuius imperio nihil penitus eſt alienum. Ipſe namque dominator vniuerſorum Deus & omnia intelligit, & ſingula, non diſtentus more noſtro in plurima, ſed in ſeipſo conſiſtens indiuiſibile vnum, quem intuendo veluti exemplar totius vniuerſi, & cauſam cauſarum, perque cauſas omnium cauſam contuetur, & omnia contuendo curat, & prouidet ſingula, dirigens ad finem bonum ordine ſempiterno. Age nunc ſapientiſſime Cæſar, quo prouidentiam intelligamus diuinam omnia gubernantem, rationibus quantum poterimus, breuibus ad intentionem vtamur. Itaque ſi Dei actio ipſius intelligentia eſt propria, quod nullus ſapiens non admittit, tanquam eminentiſſima ſimul & intima, quantum agit, tantum vtique intelligit, & è conuerſo. Agit autem in ſingulis, non ſolùm magnis, verùm etiam minutiſſimis. Intelligit igitur ſingula. Entis ſi quidem primi per ſingula quomodolibet Entia, certis ordinibus conſequentia, ampliſſimus eſt influxus, & quæ

poſt

poſt ipſum agunt, ipſius vbique virtute mouētur, & agunt.

Aut ergo Deus nihil extra ſe intelligit vel agit, quod eſt falſum, aut agendo omnia & ſingula etiam eadem intelligit, quod eſt verum. Nuſquam enim fieret, niſi prius (vt more noſtro loquamur) intelligerentur ab ipſo Deo, qui facit ea, ſicuti nō fiunt à ſole, quæ non proſpiciuntur ab eo. Verùm quia omnia & ſingula quæ facit omnipotens intelligit, haud dubium, quin diſponit, regit, & ordinat omnia quæ facit, à quo res non ſolùm habēt vt ſint, ſed etiam vt cauſæ quædam aliarum rerum, Itaque ſi habent à Deo res vt ſint, cauſæ inde quoque acceperunt officium cauſę proprium, hoc eſt, conſeruare pro viribus, & curare quod fecerunt. Quocirca ſi à prima cauſa omnes cauſæ hanc habent proprietatem, in quantum ſunt quædam cauſæ, merito ipſa hanc bonitatem naturaliter habet ac prouidentiam, vt omnia curet, & ſingula quæ fecit, in quantum maximè cauſa eſt eorum omniū & ſingulorum. Quæ quidem niſi ſingillatim cuſtodiantur ab eo, qui facit ea, non cuſtodientur vnquā communia, quæ conſeruantur in ſingulis. Nec enim conſeruabitur totum, quod ex partibus conſtat, ſi partes ipſæ negligantur. Ex intētione igitur intelligentiæ prima maximaque communis prouenit vniuerſalis diſtinctio rerum. Ipſa verò per ſe diſtinguitur ab alijs, cæteraque inter ſe ſuæ notionis norma diſtinguit. Vnde ſicut diſtinctiſſimè Deus omnia & ſingula nouit, ita & diſtinctiſſimè regit, moderatur, & curat. Manifeſtum igitur puto, clementiſſime Cæſar Maximiliane, & ſatis oſtenſum, ꝙ prouidentia ſumi rectoris Dei inferiora

omnia & ſingula amplectitur, diſponit, regit,& moderatur, alioquin ſine obſeruantis prouida diſpoſitione hunc ordinem, qué cernimus pulcherrimum, nullatenus continuarent. Nec me fugit quam variè quondam huius mundi ſapientes de prouidentia fuerint opinati. Ex his quidam non prouidentia, ſed caſu factum hunc mundum arbitrati ſunt, quorum ſi eſſet opinio vera, nullus relinqueretur prouidentiæ locus, ſed neceſſariò fluitarent omnia, cum eo mundus quo factus eſt caſu poſſet interire.

Contra quorum falſam opinionem alij docuerunt, nec fieri mundum ſine ratione potuiſſe, nec conſtare certè, niſi ſumma prouidētia factoris regeretur. Hinc Boëtius vir Chriſtianiſſimus dixit: O qui perpetua mundum ratione gubernas, Terrarum cœliq́ue ſator, qui tempus ab æuo Ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri. Iterumq́ue dixit: omnium generatio rerum cunctuſque mutabilium naturarum progreſſus. Et quicquid mouetur, aliquando cauſas, ordinem, formas ex diuinæ mentis ſtabilitate ſortitur.

Alij verò Deum incorruptibilia duntaxat curare putabāt, vt ſunt cœleſtia & ſubſtantiæ ſeparatæ, ſimul & ſpecies rerum, cętera verò cuncta neſcire, penituſque negligere. Sed hi turpiter errauerunt, quoniam omnipotens non ſolū vniuerſalium & corruptibilium prouidentiam habet & curam. Vnde ſanctus iterum Boëtius dicit: Sedet in terra conditor altus, rerumq́ue regens flectit habenas, Rex & Dominus, fons & origo, lex & ſapiens arbiter æqui. Hic eſt cunctis continuus amor, repetuntq́ue boni fine teneri, quia non aliter durare que-

queunt, niſi conuerſo rurſus amore refluant cauſæ quas dedit ipſe.

Alij verò neglectum ſe iri non ferentes, hominem propter intellectus præeminentiam de numero corruptibilium exemerunt dicentes, Deum hominis curam & prouidentiam habere, reliqua verò terreſtria cuncta deſpicere. Contra quorum falſam opinionem & ſatis reor dictum, & multa producere omninò ſuperfluum. Ait enim ſcriptura: homines & iumenta ſaluabis Domine: Et in alio loco quidam ſapiens dixit: puſillum & magnũ fecit Dominus, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Omnia igitur & ſingula inferiora, magna & parua, corruptibilia & incorruptibilia diuinæ maieſtatis prouidentia ordinat, regit, diſponit, & curat, cuius voluntas potentiſsima ex nihilo omnia producit, ſacra iterum proteſtante ſcriptura: Tu verò pater prouidentia ab initio cuncta gubernas. Erubeſcant igitur homines mente corrupti & impij ac reprobi, circa fidem Chriſtianam, qui vana loquacitate inflati prouidentiam omnia ſcientis auferunt, & quantam Deo iniuriam faciant non attẽdunt. Quid enim, vt Firmiani vtamur ſententia, tam dignum, tamque proprium omnipotenti Deo, quàm prouidentia? Sed ſi nihil prouidet, ſi inferiora negligit, ſi mortalia non curat, amiſit iam omnem dignitatem. Sed impoſſibile eſt, ſancto atteſtante Anſelmo, Deum honorem ſuum perdere, quoniam, ſicut peripateticus ait, in æternis nõ eſt malum, nec corruptio, nec peccatum. Qui ergò prouidentiam tollit, totam Dei ſubſtantiam tollit, & quid dicit niſi Deum non eſſe?

Sed dicant mihi nunc, qui Dei prouidentiam

negant inferiora curare. Si Deus inferiora negligit, attendant, quid neceſſariò ſequatur. Si Deus ſcienter nos negligit &contemnit, non eſt iam deinceps cauſa, qua ipſum vel proſequamur, vel religione veneremur beneficium, quin potius neglecti & contempti negligamus & illum ipſi. Si verò neſciens nos contemnit ac negligit, penitus iam cauſa nō eſt, vt neſcientem nos, & ob id nihil conferre potentem, colamus aut precibus inuocemus. Nam ſi non curat humana Deus ſiue ſciens, ſiue neſciens, ceſſat omnis cauſa pietatis, cum ſit ſpes nulla ſalutis. Quænam poteſt inter mortales pietatis eſſe conſideratio, quæ ſpes animarum ſalutis, ſi Deus humana non curat? Enimuerò ſi prouidentia tollitur, quem colimus, quem adoramus? ſi non eſt apud Deum prouidentia mortaliū, certè neque beneficia præſtat hominibus, neque pœnas deſertoribus imponit, neque mortales iuuare poteſt nec vult, nec omninò curat, nec quid agamus aduertit, & neq; preces neq; orationes cuiuſquā exaudit. Cur autem illi cultum exhibemus vllum, cur honorem, cur preces, aut quare neſcientem nos Deum tantoperè metuimus vel timemus, qui nobis neglectis atque contemptis, neque benefacere poteſt, neque malè? prouidentia enim ſublata, neque ſanctitas, neque religio ſubſiſtet, quibus extinctis, perturbatio vitæ ſequetur maxima, &confuſio horrenda. Pietate in Deum ſublata quid iam erit reſpublica, niſi cōfuſio ſempiterna? peribit neceſſariò fides hominum publica, ſocietaſque humani generis, iuſtitiaque omnis vna ſimul euaneſcent & peribunt. Quid erit de fide Chriſtiana ſentiendum, ſi Deus non curat huma-

na? quid denique de ſaluatore omnium Domino noſtro IeſuChriſto,niſi,fabula inanis,& fictitium totum reputabitur, ſi non eſt prouidentia Dei mortalia curās? Proinde quicquid in hac vita boni agimus, quicquid pro Dei amore mali ſuſtinemus,vanum eſt totum ,ac nobis inutile, ſi ille de nobis curam non habet vllam.

Videant nunc, & horreant qui prouidentiam Dei negant,cum finem opinionis ſuæ deſperationem omnium peſſimam intueantur. Nemo igitur ſe vaniloquentia Philoſophorum ſecularium inductus ad contemptum Dei erudiat, nemo prouidentiam ſummi & incommutabilis boni tollat, nemo dignitatem creatoris omnium corrumpat. Omnes enim qui prouidentiam negant diuinam, beneficijs clementiſſimi Saluatoris & indignos ſe præſtant,& ingratos.

Firmiter enim credendum eſt,& nullatenus dubitandum hunc mūdum vniuerſum , tam viſibilē quàm inuiſibilem, omniaq; & ſingula , quæ vel in cœlo ,ſunt vel in terra,& in mari,diuina ꝓuidētia regi,& gubernari,& nihil pēitus in toto vniuerſo ab eius cura alienum. Nā & fruges & reliqua omnia,quæ terra parit, tēpeſtates quoq;,ac varietates tēporū,cæliq; mutationes, quibus omnia,quæ terra gignit naturata pubeſcunt, diuina prouidentia generi humano præſtat,procuratq; omnia &ſingu la,nec ſolùm magna,ſed & minima quæq; , vſq; adeò vt nec tenuiſſimum quidem arboris folium in terram decidat ſine voluntate omnipotentis Dei patris,qui creauit illud & regit &curat.Si quis autem putat hanc tantam totius vniuerſi magnitudinem ab vno Deo qui ſolus eſt,nō poſſe regi & gu-

bernari, nimium fallitur, & quanta ſit virtus diuinæ poteſtatis neſcire comprobatur. Enimuerò qui vniuerſum mundum ex nihilo potuit in eſſe producere, etiam quod fecit prudentiſſimè in ſempiternum poteſt gubernare. Omnia enim nouit, omnia intelligit, omnia poteſt, qui ſolus omnipotens omnia creauit.

Nos igitur ſancto Euengelio credentes, diuinam imprimis prouidentiam veneremur, mentes quoque noſtras qua poſſumus virtute ſurſum erigamus ab his, quæ ſunt caduca, & nobis ipſis redacti vniamur, quatenus Dei maieſtatem vbique præſentem fideliter intelligamus, quæ cum ſit omninò incircumſcriptibilis, tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, ſuperexcedit omnia, & ſuſtinet omnia. Non autem ex vna parte ſuſtinet, atque ex alia ſuperexcedit, neque ex vna parte implet, atque ex alia circumplectitur, ſed cicumplectendo implet, & implendo circumplectitur, ſuſtinendo ſuperexcedit, & ſuperexcedendo ſuſtinet omnia, qui per molem corporis nuſquam eſt, & per inſcriptibilem ſubſtantiam ſuam nuſquam deeſt, qui oculis carnis non cernitur, qui per fidem in cordis puritate videtur. O virtus inexplicabilis, ô pietas incompræhenſibilis, ô ſapientia ineffabilis, ô diuinitas incircumſcriptibilis, quæ non partibus conſtas vt corpus, non affectibus diſtas vt anima, non formis ſubſtas vt cætera omnia, quę per te facta ſunt, qui es in omnibus, & ſuper omnia regens & gubernans ſapientiſſimè vniuerſa. His itaque teſtimonijs, ſacratiſſime Cæſar Maximiliane, ſatis, vt reor, probatum eſt, mundum hunc vniuerſum Dei prouidentia gubernari, qui cum ſit intel-

lectus purus, ſimplex, increatus, & ſempiternus, omnia nouit, omnia intelligit, omnia præcognoſcit atque omnipotens natura cum ſit, omnia potens poteſt, cui nihil eſt difficile, nihil impoſſibile, qui tam miranda creauit potentia ſua, in veritate conſtituit, ratione perfecit, virtute ſuſtinet, bonitate illuſtrat, ipſi laus, ipſi honor, ipſi gloria, qui viuit & regnat Deus glorioſus & excelſus in ſecula ſæculorum

Amen.

(*,*)

AVCTORIS PRO-TESTATIO AD CAESAAEM.

HAEC ſunt, Maximiliane Cęſar inuictiſſime, quæ mihi ad octo quæſtiones, à tua maieſtate propoſitas videbantur dicenda. Voluiſti etenim earundem etiam à me habere iudicium in ſcriptis, ſupra veritatem de me faciens æſtimationem: qui illis comparandus nõ ſum ingenio, quorum ante me ſententiam audiuiſti. Faciat me venia dignũ, ſi quid minus propriũ dixi, quod imperio celſitudinis tuæ viator in itinere conſtitutus, vt potui per interualla quod reſpondendum occurrebat, dictaui. Dico autem ex mente & manifeſtè proteſtor, me Chriſtianæ fidei ſyncerum confeſſorem, & in vnione ſacroſanctæ Romanę Eccleſiæ vſque ad mortem velle permanere. Vnde ſi quid vel in hac lucubratione, vel in alijs haberetur dictum, vel ſcriptum aliter, quã illa tenet, ſentit, credit, & docet, vt verus obediensq; filius præſentium atteſtatione denuncio, & volo ſimpliciter eſſe, & haberi perpetuò reuocatum. Quocirca maieſtatem tuam, ſapientiſſime Cæſar, & humiliter rogo, & inſtanter commonefacio, vt priuſquam reſponſiones

nes meas ad noticiam facias peruenire illorum, quibus deſtinata ſeruantur, multorum facias iudicio comprobari: ſummoperè namque curandum eſt, vt nihil proponatur illis, quibus tua Serenitas ad ſalutem inuigilat, niſi ſolidum, probatum, manifeſtum, & ſententia plurimorum ſapientum in fide Catholica legitimè confirmatum. Omnipotens Deus te ſua prouidẽtia dirigat, & cuſtodiat ſemper ad laudem nominis ſui, Maximiliane Imperatorum maxime. Ex ciuitate Neometana, decima die menſis Iulij, Anno Chriſtianorum milleſimo, quingenteſimo, octauo.

Ioannes Tritemius
Abbas.

DE NATV-
RA, INCOMMO-
DIS, SIMVL ET REMEDIIS
furentis hominum iræ, quæſtiones 265.
cum compendioſis ſuis reſo-
lutionibus,

CONSILIAQVE REPRIMENDAE IRAE
à quodam docto viro collecta.

IACOBI I.

OMNIS HOMO VELOX SIT AD AV-
diendum, tardus ad loquendum, tardus ad i-
ram: nam ira viri, iuſtitiam Dei
non operatur.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Balthaſari Clipei ſub inſigni
Arboris, 1603.

QVOT SINT GENERA IRAE.

1 *Quotuplex eſt ira in genere? Duplex. Dei ſcilicet, & hominis.*

Quid ſit ira Dei.

2 *Quid eſt ira Dei? Iuſta peccati vindicta.*
3 *Quid eſt ira Dei? Auerſio vultus eius.*

Quomodo Deus iraſcatur.

4 *Quomodo Deus dicitur iraſci? Non quidem animi motu, vel qualibet etiam perturbatione, quæ illi omnino accidere nequit, ſed quando creatura delinquenti iuſtam infert vltionem.*

Vnde ſit ira Dei.

5 *Vnde procedit ira Dei, quæ in peccantes animaduertit? Ex pura ſua miſericordia.*

Quæ ſit natura iræ Dei.

6 *Quomodo Deus hominibus iraſcitur? Vt pater corrigens, non vt iudex damnans.*
7 *Quibus Deus verè iraſcitur? Vitijs, non hominibus.*
8 *Ira Dei cuius maximè recordatur? Miſericordiæ.*
9 *Quando ira Dei eſt maxima? Cum non requirit, nec punit hominum peccata.*
10 *Quos ſemper percutit ira Dei? Populum pertinacem.*
11 *Vnde omnes facti ſumus miſeri & mortales? Ex iuſta Dei ira.*

Quæ ſint ſpecies iræ Dei.

12 *Quando Deus iraſcitur vt pater? Cum per verbum externè, & ſpiritum ſuum internè, delinquentem increpat, & facit pœnitentem.*
13 *Quando Deus iraſcitur vt Dominus? Quando corripit vt durus, & ſtatim vlciſcitur.*

Quæ-

Quando Deus iraſcitur vt iudex? In extremo iudicio, vbi nec pœnitentia, nec venia locus vllus erit. 14

Cuius ira poteſtas dinumerari nequit? Iuſti Dei. 15

Quibus ira Dei, vſq; in nouiſſimum, ſine omni miſericordia ſuperuenit? Impijs. 16

Qui prouocant iram Dei? Simulatores & callidi. 17

Quis Deo vt plerunq; iraſcitur? Peccator. 18

Quis non vult ſibi iraſci Deum? Omnis malè agens 19

Ad quid ſuis iraſcatur Deus.

Quare Deus, quos diligit, flagellis hic erudit? Ne pœnis excrucientur æternis. 20

Quæ ſint iræ Dei remedia.

Quibus ira Dei flecti poteſt? Pœnitentia & precibus. 21

Quid ab ira Dei verè liberat? Sola per Chriſtũ gratia 22

Quid ſit ira hominis.

Quid eſt ira hominis? Accenſio ſanguinis circa cor. 23

Quid eſt ira?
- *Libido puniendi eius, qui videtur læſiſſe iniuria.* 24
- *Breuis furor.* 25
- *Inſania initium.* 26
- *Irrationalis impetus.* 27
- *Canis impudens.* 28
- *Ignis vehemens, omnia deuorans, nam & corpus perdit, & animam corrumpit, & reddit quemq; inſuauem, ac viſu turpiſſimum.* 29

Quid ſunt amantiũ iræ? Amoris redintegratio. 30

Quis dicitur iratus? Qui ex aliqua re laceſſitus excãduit 31

Quid eſt iratus? Sibi iniucundus, & alijs damnoſus. 32

Quo iratus ab inſano diſtat? Solo tempore. 33

Quid

Vnde eſt iracundia? Ex peccati pœna, & non ex diuina creatione. 52
Vnde eſt iracundia? Ex vitio multum iraſcentis. 53
Quare ira multis videtur non poſſe eſſe ſecundum naturam? Quia fit repugnante ratione. 54
Vbi requieſcit ira? In ſinu ſtulti. 55
Qui citò ad iram inter ſe mouentur, & facilè ſedantur? Pueri. 56
Qui in iram facilius prolabuntur? Aegritudine preßi. 57
Qui inter ieiunos & ſaturos natura ſunt iracundiores? Ieiuni. 58
Qui vniuerſaliter de facili plerunq; iraſcuntur? Deſiderantes aliquid, & non aſſequentes. 59
Quæ gentes natura ſunt omnium iracundißimæ? Germani & Scythæ. 60
Quid facit irritationem, & iram, & ruinas multas? Vinum multum potatum. 61
Qui omnium facillimè iraſcuntur? Quibus bilis fulua prædominatur. 62
Qui nulla prorſus aguntur ira? Frigidi atque humecti. 63
Qui ad iram ſunt tardiores? Qui bilem ſanguinemúe habent frigidiorem. 64
Quæ ſunt execrabilia? Ira & furor. 65
Ira, clamor, & omnis amaritudo, cuiuſmodi ſpiritus furor eſt? Immundi. 66

Quæ ſint iræ humanæ ſpecies.

Iræ ſpecies quæ ſunt? Furor & amaritudo. 67
Quotuplex eſt ira? Duplex, per vitium ſcilicet, & per zelum. 68

Quæ

69 *Quæ ira dicitur furor? Quæ non quieſcit donec puniat.*

70 *Quæ ira dicitur Mania ſeu Menis? Quæ diu in memoria manet.*

71 *Quæ ira dicitur excandeſcentia? Fellea, quæ citò accenditur, & cito deſiſtit.*

72 *Quæ iracundia dicitur ieiuna? Quæ propenſa admodum eſt, nimioq́ plus ad omnem excandeſcentiam parata.*

73 *Quid eſt ira iuſta? Mater diſciplinæ.*

74 *Quid eſt ira, quæ eſt cum cauſa? Iudicium, non ira.*

75 *Quid eſt ira inueterata? Odium.*

76 *Ira legum cui neceſſaria eſt? Ciuitatis moderatori.*

77 *Quid eſt ira Regis? Fremitus leonis.*

78 *Qui dicuntur Microlypi? Qui minutulis ſufferueſcunt rebus.*

79 *Qui dicuntur Crypſicholi? Iram diſsimulantes.*

80 *Qui dicuntur Crypſini? qui mentem celant doloſe.*

Quæ ſit natura humanæ iræ.

81 *Quæ eſt natura iræ? vt dilata & occultata langueſcat & pereat, prolata verò magis ac magis conflagret.*

82 *Quæ eſt cauſa, vt mentem ſuperet ira? Multitudo cogitationum ſuperuacuarum, quibus mens acquieſcit.*

83 *Super cuius iram non eſt ſeuior ira? Mulieris.*

84 *Cuius ira eſt grauiſsima? Probi hominis.*

85 *Quando iratus intus deterius igneſcit? Cum ſe foras per linguam non exprimit.*

86 *Quando ira ad manus plus proſilit? Cum ratio longius ab irato recedit.*

Q

Quis ſeipſum conſumit? Ex ira alteri malum inferre cogitans. 87

Quis priorem ſemetipſum ſemper grauius, quàm alterum punit? Aduerſus ſe ex ira pugnans & exardeſcens, ac qualiter inimicum vlciſcatur conſiderans. 88

Quid plus ſemper vindictam exigit, quàm iniuriam accipit? Ira. 89

Iræ paſſiones quo terminantur? In delectatione obtenta vindicta. 90

Quid innocentes etiam ſæpe ad crimen adducit? Ira. 91

Quando iratus iuſtum putat omne quod fecerit? Commotionis tempore. 92

Cui omne quod rectè dicitur, peruerſum videtur? Mēti furore ebriæ. 93

Quis opprimit antequam corrigat? Qui cum corrigere nititur, ira ſuperatur. 94

Ad quæ furor longus poſſeſſorem ſuum perditè ducit? Aut ad dedecus, aut ad mortem. 95

Quid quaſlibet infirmas manus adiuuat? Ira. 96

Qui dicunt iracundiam fortitudinis cotem eſſe? Peripatetici. 97

Quare ira dulcior melle ſtillante à nonnullis dicitur? Quia ad omnem iram ſequitur delectatio propter ſpem puniendi. 98

Ira hominis quæ in ſe propriè habet? Turbulentum animi motum, & vigorem vindictæ. 99

Quis etiam ſibiipſi aliquando minimè parcit? Furioſe iratus. 100

Iram nuſquam continere, cuiuſmodi hominis eſt? Imperiti atq; intemperantis. 101

Quo

102 *Quo etiam canes perſæpe occæcantur? Vehementiore aduerſum feras concepta ira.*

103 *Vnde ira ſuam habet fortitudinem? Non quidem ex ſe, ſed ex illo, qui eam nutrit.*

104 *Quid ira percitos vel maximè ſubit? Erubeſcentia & multa operum ac verborum ipſorum pœnitentia.*

105 *Quos conſopiti irati, vnicè fugiunt ac metuunt? Quos furoris & inſaniæ ſuæ teſtes habuerunt.*

106 *Qui monitoribus & iram dirimere conantibus ſtrenuè inſultant? Ira accenſi.*

107 *Quando ira eſt virtus? Cum per zelum appetit vindictam ſecundum ordinem rationis.*

108 *Quid inſipientis eſt? Iraſci in quibus non oportet.*

109 *Quid æquè inſipientis eſt? Non iraſci in quibus oportet.*

110 *Quis iraſcendo peccat? Qui non cum cauſa iraſcitur.*

111 *Quando iraſcendo non peccamus? Si nobis & proximis delinquentibus iraſcamur.*

112 *Quando iraſcendo non peccatur? Cum ira compeſcitur, ne ad iniuriam vſque progrediatur.*

113 *Quando ira viri, iuſtitiam Dei non operatur? Cum iratus in aliquem ſententiam profert.*

114 *Quorum ira naturâ ſunt acerbiſſima? Fratrum.*

115 *Quid omnium tardiſſimè ſeneſcit? Ira.*

116 *Quando ira Diabolo dat occaſionem gloriandi? Si diu in animo manſerit.*

117 *Qui aſinorum more calcibus morſibuſque inuicem inſultant? Irati.*

118 *Quis nullum decorem neque modeſtiam ſeruare poteſt? Iracundia intumeſcens.*

Quam-

Quando irati maximè ſeviciſſe exiſtimant? Cum maximè ab ira vincuntur. 119

Quid torquet iram? Fœlicitas aliena. 120

Quare iracundus dicitur peccata effundere? Quia etiam malos, quos incautè ad diſcordiam prouocat, peiores facit. 121

Quis ſtatim indicat iram ſuam? Fatuus. 122

Quid grauius eſt ſaxo & oneroſius arena? Ira ſtulti. 123

Quibus iraſcentibus ira ſua videtur eſſe minus iniuſta? Omnibus. 124

Vbi iracundia ſemper mendax eſt? In amore. 125

Ira quorum eſt factiua? Inimicitiæ & odij. 126

Quos trux ira decet? Feras. 127

Quid turbat etiam ſapientem hominem? Ira. 128

Qui ſolent truncare verba ſua? Vehementer irati. 129

Quis emittit anhelitum fumoſum per nares? Furenti ira commotus. 130

Qualis iræ finis eſt? Initium pœnitentiæ. 131

Iracundi cum quibus tandem punientur? Cum Aſcalonitis. 132

Quæ ſint externa irati hominis ſigna.

Quid vel maximè profuerit iratis? Deformitatem iræ intueri. 133

In quo excandeſcentis iræ turpitudinem facilè quis deprahendet? In alio ira concitato. 134

Vbi expreſſius relucet veſtigium cordis irati? In facie in oculis, & lingua. 135

Quibus ira apertè ſignificatur? Quādo

136 Totum corpus inuerecundè tremit.
137 Vniuerſa facies inflatur.
138 Multus in ore toto rubor ſeu pallor eſt.
139 Flagrant emicantq́; oculi.
140 Surgunt capilli.
141 Ora tument.
142 Dentes labris impinguntur & cō-primuntur, interdum verò concrepant.
143 Sermo prærumpitur.
144 Lingua præpeditur.
145 Labia quatiuntur.
146 Irrationabiliter vociferatur.
147 Corporis membra frigeſcunt.
148 Manus incompoſitè complodun-tur.
149 Pedibus ridiculè pulſatur humus

Quomodo iratus interne ſit affectus.

Iratus vt eſt affectus?

150 Feruor ſanguinis & ſpiritus circa cor ſentitur.
151 Mens accenditur.
152 Spiritus ſtridet.
153 Cor palpitat.
154 Nigreſcunt ſanguine venæ.
155 Vſus rationis perturbatur.
156 Propoſitum obliuiſcitur ac impeditur.

quæ ſint corporis & fortunæ,ex
ira,mala.

Qui non ſunt ſani? Quos ira poßidet. 157
Quæ minuunt dies? Zelus & iracundia. 158
Quid turbat ira? Oculum. 159
Quid extinguit oculum? Odium. 160
Quo infelicitas geminatur? Iracundia. 161
Quos omnis decor linquit? Iratos. 162
Quid ſibi prorſus nihil proſpicere conſueuit? Iracundia. 163
Immodica ira quid gignit? Inſaniam. 164
Quis neſcit mediocritatem, quæ inter nimium & parum eſt, tenere? Iratus ad pœnam accedens. 165
Quid parturit ira? Ingentes minas. 166
Quis dolorem virtutem putat? Expers conſilij furor. 167
Quid interficit virum ſtultum? Iracundia. 168
Quis dicitur in fermento iacere? Qui intumeſcit ira. 169
Quis comedit labra ſua? Qui ſtomachatur animoq; ringitur. 170
Quid prouocat vir iracundus? Rixas. 171
Quæ ſunt incentiua ad malè operandum? Iracundia & cupiditas. 172
Quid per iram rumpitur? Concordia. 173
Per quid fraternitas primum deperijt? Per iram fratricidij. 174
Quid per iram amittitur? Gratia vitæ ſocialis. 175
Quid omnium maximè contrarium eſt Reipublicæ? Ira commotio & impetus furoris in ciuibus. 176
Qui minus poſſunt conſiderare orationes ſuas? Homines irati. 177
Quæ ira in Regibus eſt inextinguibilis? Quam regni zelus accendit. 178

179 *Quid victorem Alexandrum vicit? Ira.*

180 *Quid promittit audaciam? Ira.*

181 *Qui ſemper ſunt fugiendi? Domini irati.*

182 *A quo hoſte imprimis cauendum eſt? Ab irato.*

183 *Quando iratus voto & voce homicidium peragit, etiam ſi à læſione proximi manibus ceſſat? Cum in maledictionis iaculum linguam vertit, & proximi interitum precibus expoſcit.*

184 *Poteſtas humana iræ quanta eſt? Vt cum corpus occiderit, amplius nihil habeat, quo alteri noceat.*

185 *Quid facit ira? domos & familias totas euertit.*

186 *Quid maris tempeſtati perquam optimè comparatur? Ira.*

187 *Quorum verba longam habent pœnitentiam? Iratorum.*

188 *Quorum facta omnem ipſorum vitam multoties ſubuertit? Ira ardentium.*

189 *Cum quo nemo debet eſſe aßiduus? Cum homine iracundo.*

190 *Cum quo nemo concorditer habitare poterit? Cum eo, cuius ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum.*

191 *Quis eſt ad peccandum procliuior? Qui ad indignandũ facilior eſt.*

192 *Quando iracundus ſibi iraſcitur? Cum aliis iraſci deſinit.*

193 *Quando incipimus aliis iraſci? Cum nobis deſinimus.*

194 *Qui ad amicitiam non ſunt aſſumendi? Iracundi, inſtabiles, ſuſpicioſi, & verboſi.*

195 *Ira per vitium quid agit? Stultos excæcat & trucidat.*

Cui

Cui prorſus nihil fidendum? Ira. 196

Quæ animi mala ex ira proueniant.

Quis matrem ſuam (mentem) comedit? Cogitatio iracundi. 197

Quid iracundo furor ſuus confert? Deturbationem ab omni conſilio ac mente, & grauem conſcientiæ remorſum. 198

Quid per iram perditur? Sapientia, vt quid, quoue ordine agendum ſit, neſciatur. 199

Quando ira intelligentiæ lucem ſubtrahit? Cum mentem permouendo confundit. 200

Quare per iram lux veritatis deperditur? Quia cum menti iracundiæ confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit. 201

Quid per iram perditur? Iuſtitia. 202

Quare per iram iuſtitia relinquitur? Quia dum perturbata mens iudicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat. 203

Quid non habet miſericordiam? Ira. 204

Quid per iram amittitur? Patientia. 205

Quid neſcit ſapere? Zelus. 206

Quid non habet conſilium? Ira. 207

Quis facinus conſilium putat? Iratus. 208

Quæ ira cordi vel maximè nocet? Tecta. 209

Quid iratus omnibus votis à Deo expoſcit? Fratris interitum. 210

Quis fruſtra à Deo quærit medelam? Proximo reſeruans iram. 211

Cui nihil oportet credere? Animo dolenti. 212

Vbi eſt correptio mendax? In ira contumelioſi. 213

214 *Quæ conſilio maximè ſunt contraria? Feſtinantia & ira.*

215 *Qui exiſſe ex mentis poteſtate dicũtur? Qui effrenati aut libidine aut iracundia feruntur.*

216 *Cum quo nullus tutò deliberat? Cum ira.*

217 *Quis adimit conſiderationem? Furor.*

218 *Quis ſeruitij pergraue patitur iugum atq; iniquas interim leges tolerat? Qui ira ducitur.*

219 *Quæ res ad pericula capeſcenda impetuoſiſsima eſt? Animi concitatio.*

220 *Quæ ira iure grauis videtur? Non quæ mẽtem migrare facit, ſed quæ domo excludit omninò.*

221 *Quis ſubdolè inſidiatur vt coluber? iratus animus.*

222 *Quis veneno malignitatis armatur vt vipera? Mens concitata.*

223 *Quid atrocius viſcera humana laniat quàm leo? Hominis iracundia.*

224 *Quid omnia interiora hominis depaſcitur? Ira.*

225 *Cuius affectus omni flamma vehementior eſt? Ira.*

226 *Quid facit ira conſternatio? Ex naturalibus ſenſibus excedere.*

227 *Quid ſatius eſt in corde latere quàm iram? Viperam.*

228 *Quis ſemper triſtis eſt, & ſemper ardet? Iratus.*

229 *Vbi non eſt philoſophandi tempus? In ira.*

230 *Vbi non habitat Spiritus ſanctus? Vbi furor eſt.*

231 *Quare ira ſuam Spiritui ſancto habitationẽ claudit? Quia quietẽ mentis ſubtrahit: Spiritus ſanctus enim ſuper ſolum humilem & quietum requieſcit.*

232 *Quorum excuſatio duplici accuſatione, & graui quidem multa digna eſt? Ira percitorum.*

Qui-

Quibus accenſæ iræ perfacilè mederi poſſit.

Quare ira vitanda eſt? Sanitatis cauſa.
Quis vitam optimam vixerit? Ira imperans. 233
Apud quem citò moritur iracundia? Apud bonum vi- 234
rum. 235
Quis vincit iram? Cedens ira.
Quid non minoris virtutis eſt, quàm omninò non iraſ- 236
ci? Compeſcere iram. 237
Quid eſt iracundiam mitigare? Magnam martyrij
partem perferre. 238
Quis hoſtem ſuperat maximum? Qui iracundiã vin-
cit. 239
Quis melior eſt, quàm qui capit ciuitatem? Iram re-
primens.
Quæ eſt maxima victoria contra iram? Non quidem 241
cum vlciſcimur iniurias, ſed cum eas æquo animo
toleramus.
Vnde animi naturaliter æquiores fiunt? Cum lentis 242
legumento vt plurimum veſcuntur.
Quid ab irato in primis quærendum eſt? Quare iraſca- 243
tur.
Quibus temperatur ira? Conſilio & mora. 244
Quis verbis maledicis minimè eſt laceſſendus? Iratus 245
& tumidus animus.
Iræ finem imponere cuius propriè eſt? Hominis Chri- 246
ſtiani.
Cui non eſt reſpondendum? Irato. 247
Quando intentius iracundiæ obſiſtendum & lingua 248
continenda eſt? Cum ea maximè animum mouet.

249 Iratus qualiter compeſci poterit? Si omnes ſibi, quas pati poteſt, contumelias propoſuerit.

250 Iratus quo facilè ſedatur? Si vel Deo vel proximo ſæpe ſe recolit parcenda peccaſſe.

251 Ira commotus vt valet reprimi? Si redemptoris ſui Christi perpeſſa probra ſollicitè recoluerit.

252 Quo cohibenda erit ira? Metu futuri iudicij.

253 Quo debet & poteſt quidem vinci ira? Patientia.

254 Quæ eſt iræ quietatio? Manſuetudo.

255 Quid quietat iram? Tempus.

256 Cuius iratus potiſſimum recordari debet? Miſericordiæ Dei in peccatores.

257 Quando ira ſtudioſe eſt cauenda? Semper, præſertim tamen in puniendo.

258 Quid ſubſtricti ſecuribus Romanorum Magiſtratuum faſces præmonebant? Lentè ad irrogandam pœnā pergendum eſſe. (tranquillitatem mens redierit.

259 Quando iratus quid agere debet? Cum concitata ad

260 Ira potentiū quibus eſt lenienda? Blandis ſermonibus.

261 Quid extinguit iras? Munus abſconditum.

262 Quis mitigat iram? Qui ſtulto ſilentium imponit.

263 Vt quis proximi iram perfacilè portabit? Cum aduerſus eum non iraſcitur.

264 Super quid non debet Sol occidere? Super iracundiā.

265 Quid conſequitur, à proximo offenſam & contumelias æquo animo tolerans? Sedatum animum & leuius in ſeipſum Dei iudicium.

Memorabilia reprimendæ iræ conſilia.

Rom. 12.

Si fieri poteſt cum omnibus hominibus pacem habentes

bentes: non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ, Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, ego retribuã.

1. Ioan. 3. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuũ, homicida eſt. Et ſcitis, quod omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. 2

Ioan. Chryſoſt. Homilia 31. ad populũ: Credite mihi, peiora ſunt, quæ nunc patimur his, quæ Paulus perpeſſus eſt. Eum illi lapidibus cædebant, ſed nunc accidit, vt verbis, lapidibus difficilioribus feriamur. Quid igitur? oportet, quod ille fecit, etiam nos facere. Percutientes non odit, ſed eorum qui traxerant ſe, rurſum ciuitatem intrauit, tales operatos iniurias beneficiis affecturus. Si tu quoq; pertuleris contumeliarũ autorem aſperum, indignè de te meritum, & tu lapidatus fueris, ne dicas enim; iniuriam nullam intuli. Quid enim iniuria commiſit Paulus vt lapidaretur? Regnum annunciabat, abducebat ab errore, ad Deum ducebat. Hæc coronis digna ſunt, hæc pdicatione, hæc innumeris bonis, nõ lapidib⁹. Verũtamẽ cõtraria paſſus cõtraria faciebat. hæc enim ſplẽdida victoria. Et traxerũt eũ, inquit, & te frequẽter trahunt. Tu vero ne iraſcaris, ſed prædica verbum cum manſuetudine. Affecit te cõtumelia, tace & benedic ſi potes, & prædicaueris quoq; verbum, humanitatem docueris, docueris manſuetudinem. Noui multos non ita vulneribus dolentes, ſicut verborum percuſſione, hanc quidẽ plagam corpus excipit, illam anima. Sed ne doleamus imò vero dolorem paſſi perferamus. Non videtis pugnantes, qui cum in capite vulnerantur, dentes com- 3

primentes, ita quietè dolores ſuſtinent? Non opus eſt ſtridere dentes, non opus eſt mordere. Recordare Domini tui, & ſtatim memoria medicamentum impoſueris. Recordare Pauli. Cogita quòd tu qui percuteris, viciſti: ille verò qui percuſsit victus eſt, & tu per hoc omninò ſanatus es. Momentum eſt, & totum illico perfeciſti, ne ſimul abducaris, neque moucaris, & totũ extinxeris. Magna conſolatio propter Chriſtum aliquid perpeti. Non prædicas fidei verbũ, ſed philoſophiæ verbum prædicas. At, inquies, quanto maiorẽ viderit humanitatem, tanto magis vrgebit. Igitur propterea doles, quoniam mercedem tibi maiorem accumulat? ſed inutilis efficitur inquies, hoc eſt, propria conſideratio puſillanimitatis. Et aliter enim fit inutilis, etiã ſi vlciſcaris. Si Deus ſciſſet, quod inutiles fiant iniuſti, eò quod ab eis vltio non ſumatur, non hoc feciſſet, ſed dixiſſet: Teipſum vlciſcere. Sed nouit, quod aliter magis proficitur. Noli contrariam Deo legem ſancire, illi pare. Non es tu melior eo, qui fecit nos. Ipſe dixit: Contumeliam patiens æquè feras. Tu dicis, contumeliam refero, ne fiat inutilis. Tu maiorem igitur illius curam geris. hæc vitij ſunt & procacitatis, & ſuperbiæ verba, quæ Deo contraria ſanciunt: nam licet etiam læderet, nonne parere oporteret? Cũ quid Deus iubet ne nos contrariam feramus legem. Reſponſio, inquit, ſuccumbens auertit iras non aduerſans. Si tibi prodeſt & illi prodeſt. Si verò te debentem illum corrigere lædit, multò magis illum Medice cura teipſum: Maledixit, tu benedic. Conuitiatus eſt, tu lauda. Inſidiatus eſt, tu benè merere: contraria ei tribue, ſi modo prorſus

ſus ſalutis eius prouidentiã geris, neq; iniuriam tuam vis vlciſci. At frequenter, inquis, longanimitatem na-ctus, peior factus eſt: hoc non propter te, ſed propter ipſum. Vis diſcere qualia paſſus eſt Deus? ipſius alta-ria ſuffoderunt, prophetas occiderunt, & omnia fere-bat. Num ſupernè fulmen emittere poterat? ſed poſt-quam prophetas miſit, & eos occiderunt, tunc miſit filium, cum maiorem aggreßi ſunt impietatem, maio-ribus eos proſecutus eſt beneficijs. Et tu cum videris exaſperatum, magis cede: maioris enim hic furor in-diget remedij Quantò grauiores infert contumelias, tanto maioris indiget manſuetudinis. Et ſicut febris cum vehementer ſpirauerit, tunc eget cedente, ſic & iraſcens. Beſtiam, cum maximè efferatur, tunc fugi-mus omnes, ſic & iraſcentem, hoc honorem eſſe ne cẽ-ſes, quoniam & beſtiam honoramus, & furentes cum declinamus? Nequaquam. Nota magis hæc eſt & cõ-tumelia, imò vero neque nota, neq; contumelia, ſed miſericordia & humanitas. Non cernis nautas, cum vehemens ventus ſpirauerit, vela demittẽtes, ne ſub-mergatur nauigium. Equos, cum in campum delati ſeſſorem abrepuerint, à ſeſſore non retrahi, ne vires incaſſum exhauriat? Ignis eſt ira: Flamma eſt velox, indigens materia. Igni fomitem ne prabeas, & ſtatim malum extinxeris. Non habet ex ſe fortitudinẽ ira, niſi ſit aliter qui nutriat eam. Nulla tibi eſt excuſa-tio: ille furor tenetur, & neſcit quid agat. Tu conſpi-ciens eum, cum in eadem incideris, nec ex illo fueris correctus, quam veniam ſperabis? Si quem in conuiuio conſtitutus ab initio videris ebrium, & turpiter agen-

agentem, nonne multo magis, poſt illum inebriatus, venia fueris indignus? Itidem & hic, quod excuſationem eſſe putamus, dicendo ſcilicet ego non cœpi, hoc cõtra nos eſt, quod nec illum conſpicati ſumus correcti, vt ſi quis diceret, ego prius non interfeci, propterea namq; puniri dignus es, quoniam nec exemplum intuitus temetipſum coërcuiſti. Si videris vomentem ebrium diſtrahi, diſsipari, oculos habere diſtentos, immunditia menſam implere, omnes eum fugere, & poſtmodum in eadem incidas, num eris magis odioſus? Talis eſt & iraſcens, imò verò vomentis venas intendit, oculos inflammat, diſtrahit inteſtina, verba multo illis immundiora cibis eructat, indigeſta loquitur omnia, elaboratũ nihil, non enim ira permittit, ſed ſicut illic humorũ immoderatio ſtomachum vexans vt plurimum, omnia eijcit, itidem & hic immodicus feruor animam vexans ea tegere, quæ tacere bonum eſt, non permittit. Sed effabilia dicit, & ineffabilia, non audientes, ſed ſeipſum dedecorans. Sicut igitur à vomentibus fugimus, ſic & ab iraſcentibus, puluerem eorum inijciamus vomito. Quid agentes? tacentes, canes vocemus, vt ipſa deuorant vomita. Noui, quod audientes nauſeam patimini. Sed cum hæc fieri videtis, hoc volo vos tunc pati, non autem ſuper facto delectari. Quæ ſordidior eſt contumelijs gaudens, qui reuertitur ad vomitum ſuum. Nam ſi poſtquam ſemel euomuit, deſtitiſſet, non eſſet par illi. Si verò rurſum eadem vomit, manifeſtum eſt, quod ea dem comedit. Quid itaq; tali magis abominabile? Quid autem illo ſordidius ore, quod tales cibos manducauit? Atqui hoc eſt opus natura: Illud

ra:illud verò minimè. Imò vero & hoc præter naturã & illud. Quomodo? Non enim ſecundum naturam eſt temerè contumeliam inferre, ſed præter naturã. Nihil igitur vt homo loquitur, ſed hæc quidem, vt fera, hæc autem vt furens &c.

Athenodorus philoſophus, cauſatione ſenectutis flagitat ab Octauio Auguſto, vt ſibi liceret redire domũ. Abiturus igitur & vale Cæſari dicturus, adiecit. Cæſar cum iratus fueris, ne quid dixeris, feceriſúe, priuſquã Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recenſueris. Vt ſic concitatio illa, quæ momentoſa eſt, mente aliò traducta, parui temporis interiectu emollita relangueſcat.

Exempla repreſſæ iræ, notatu digniſsima.

De Figlinis in fugam iræ vltrò comminutis.

Cotys Thracum rex, quod eſſet natura prærapidus, & ad iram efferuentior, ad vltionem proinde etiã præceps, præcipueq; imperioſus, & immitis in ſeruorũ delictis, cum precioſiora eſſent ab hoſpite dono ei oblata Figlina, cælato opere, tornatiliq; ratione conſpicua, ſed tamen prætenuia, fractioniſq; iniuria proportuna. Offerenti quidem gratum ſe præbuit, ampliter illum muneribus afficiendo. Cæterùm mox vaſa contriuit omnia, facti protinus ex fide ratione reddita. Quod vereretur, ne per iniuriam miniſtros peccantes ea in re ſæuius, amariusq; verberibus concideret.

De cauſis iræ ſublatis.

Auguſtus Cæſar cum apud Vedium Pollionem cœnaret, eiusq; ſeruorum vnus vas fortè Chryſtallinum alliſiſſet, ad vltimũ rapi ſupplicium Vedius perturba-

tior uſſerat, & Murenis iamiam erat obijciēdus, quas in piſcina depaſcebat capaciſsima. Euaſit ad Cæſaris pedes dilapſus puer, non quidem mortem deprecaturus, ſed mortis genus, hoc eſt, ne eſca fieret. Miratus crudelitatis inuſitatā ſpeciem Cæſar, dimitti è veſtigio puerum imperauit. Et vaſa eius operis conteri vniuerſa. Imprimis verò piſcinam compleri, oblinariq́.

De inimicis glorioſe vlciſcendis.

Eutrapeles cum inimicis ſuis quàm maximè nocere vellet, diuites eos faciebat, dictitans ita ſe eos optimè vlciſci, vt qui accepturi eſſent cum diuitijs ingentem curarum ſarcinam.

De iniurijs liberè neglectis.

Antiſthenes cum audiſset Platonem malè de ſe loqui, nihil commotus: Regium, inquit, eſt, cum feceris benè, audire malè.

Tiberius Cæſar cum iocis, conuicijs, famoſis carminibus frequenter impeteretur Amicis adultionem hortantibus reſpondit, In ciuitate libera, linguam mentemq́ liberas eſſe debere.

De moroſa vxore fortiter tolerata.

Socrates cum Xantippen rixantem diu tuliſſet in ædibus, ac tandem feſſus conſediſſet ante fores, illa magis irritata quiete viri, de feneſtra perfudit eum lotio. Ridentibus qui præteribant, ridebat & ipſe, dicens: Facile diuinabam, poſt tantum tonitru ſequuturam pluuiam.

Alcibiades interrogauit Socratem, quenam ratio eſſet, quod mulierem tam moroſam, & iurgioſam domo non exigeret. Quoniam, inquit Socrates, quum il-

lam

Iam domi talem perpetior, inſueſco & exerceor, vt cæterorum quoq; foris petulantiam & iniuriam faciliùs feram.

Alcibiadi demiranti, quod Socrates Xantippẽ ſupra modum rixoſam domi pateretur, Socrates reſpõdit: Ego iam pridem ijs ſic aſſueui, vt non magis offendar, quàm ſi rota, quæ aquam educit è puteo, ſtridorem audiam.

Socrates Alcibiadi admiranti, quod tam acerbã vxorẽ domi pateretur, At tu, inquit, nonne domi tuæ toleras gallinarum glocientium ſtrepitum? Tolero, inquit Alcibiades, ſed gallinæ oua mihi pariunt pulloſq;. Et mihi, inquit Socrates, mea Xantippa parit liberos.

De ſeruis ob iram non correctis.

Plato cuidam famulo ſic comminatus eſt, Loris te cæderem, ni iratus eſſem.

Idem iratus alteri cuidam ſeruo, quum eum caſtigare pararet, & fortè interueniret Xenocrates, flagella inquit, hunc puerum, nam ipſe ſum iratus.

Pſal. IIII.

Si iraſcimini nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris: & in cubilibus veſtris compungimini.

Subiecta cenſuræ omnia ſint Eccleſiæ:
Laudet profanus an improbet nihil moror.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

IHS